


MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM

LEIPZIG 1768

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG. IX,88.

N O V A
A C T A
E R U D I T O R U M
A N N O
M D C C L X V I I I
publicata.

Cum Serenissimi Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Prostant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et
LANCKISII heredes.


Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT.
ALBRIZZUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Parisiis apud
BRIASSONUM: Ultraiechi apud ABR. van PADDENBURG, IO. BROEDE-
LETUM, et P. MORTIER: Lugduni Batavorum apud LUCHTMANSIOS:
et Amstelredami in SCHREUDERI officina.

M D C C L X V I I I.

LECTORI

BENEVOLO

S.

 *Rediisse nos tandem in viam, a qua nos et belli calamitas, et cessatio Collegarum, aliquantum abduxerat, dici non potest quantopere laetemur. Habes, Lector, ut olim, iustum anni proxime praeteriti Actorum Volumen, et id quidem, nisi vehementer fallimur, bonorum librorum adparatu insigne. Profuit nobis, quod grati fatemur, provocata iteratis precibus nostris doctissimorum virorum, Bibliopolarum item, Batavorum imprimis atque Italorum, liberalitas, et de studiis nostris honorificentissimum iudicium. Dabimus omni tempore operam, ut hoc et Actis prosit, tibi que ipsi, Lector, qui iis legendis, adhuc tibi probari hanc laborum nostrorum rationem, satis superque testaris. Quid igitur iam fiet de illis,*
qui

qui calumniati sunt, cessare Acta, et mox penitus interitura? pudorem iis inculcet vaticinandi temeritas haec, ubi acui diligentiam nostram in dies viderint, et ubi intellexerint, nihil ad huc pristini decoris Actis deesse, sive doctorum virorum benevolentiam spectes, sive indefessam Collectorum assiduitatem. Nos igitur, qua olim fide, integritate, atque diligentia, de bonis libris iudicium tulimus hoc Actorum Opere, eadem pergemus etiam deinceps, quantum per nos licebit, Lectorum commodo prospicere. Rogamus autem Viros litterarum et nostri amantes, ut ill. Com. de Tuschis de Fagnano, Lamberti, Henerti exemplo invitati, pergant ornare haec Eruditorum Acta dissertationibus philosophicis, mathematicis, physicis, quas olim Leibnitiis, Bernoulliis, Wolfis, debuisse qui ante nos fuerunt, grati meminimus. Tu Vale, Lector, et nobis, quod facere Te ad huc praeclare multis documentis cognovimus, favere perge.

N. I.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Ianuarii Anno MDCCLXVIII.

*PETRI PAULLI IUSTI SPECIMEN OBSERVA-
tionum criticarum, in quibus varia veterum Scripto-
rum, nec non Iuris Romani loca, explicantur aut
emendantur.*

Viennæ, typis Io. Thom. de Trattneri, MDCCLXV.
in quarto, pagg. 93. præter indices.

Doctissimus harum Observationum auctor, quisquis ille sit, iure sibi suo igitur merito, vindicat locum inter eos, quibus præclaræ doctrinæ, copiosæque veterum lætionis laus debetur: quam quidem nos eo libentius tribuendam ei duximus, quo magis numerum in dies decrefcere dolemus eorum, qui studium in tractandis veterum scriptis collocare suum operæ pretium existiment. Est enim tanta nostræ ætatis perversitas, ut nihil fere legatur, scribatur, laudetur, commendetur, nisi pertineat vel ad fœenam, vel ad fabulas romanenses, vel ad cantilenas pastoritias, vel ad alias id genus ineptias, quibus teneri quid igitur mirum? (**BONUS**, quem aiunt, **GUSTUS**, si diis placet! constanter clamatur.) Nos non ita sumus difficiles ac severi, ut istarum rerum tractationem plane inutilem putemus, negligendamque; quippe quam honestam posse delectationem habere non ignoramus: sed

A

hoc

2 NOVA ACTA ERUDITORUM

hoc tantum volumus, ut ne viri docti et graves, recondita antiquitate contempta, his solis rebus incumbant, exque earum levitate laudes captent: quae quidem laudes iis potius videntur relinquendae, quibus aditus ad interiores litteras, vel a natura, vel a fortuna obferatus est. In hac igitur aetatis nostrae perversitate, quae summis solet laudibus eorum titillare aures, quorum opera versatur in BONO illo GUSTU adiuvando, semper gaudemus et laetamur, ubi quenquam istis Sirenium infidius evitatis in portum verae eruditionis pervenisse animadvertimus. In quibus cum sit Cl. Iustus, liquido gratulamur ei hoc suum Observationum Specimen, in quo notitiam critices non vulgarem, diligentemque veterum lectionem, ostendit. Quod si non omnia omnibus fuerint prooata, id facile ignoscent eius aetati, annum, ut ipse fatetur, vigesimum secundum vix supergressae. Nam, ut verum fateamur, accidisse viro videtur, quod fere omnibus solet, qui emendandi consilio ad libros accedunt, ut sint paullo procliviores atque adeo audaciores ad corrigendum: cuius rei deinde testimonia afferemus. Ceterum emendationes eius pariter atque interpretationes, nisi etiam semper verissimas, valde tamen speciosas, acrique ingenio dignas, deprehendimus.

Est autem totus Observationum fasciculus descriptus in capita XXVI, in quibus singulis varia vel Auctorum, vel Iuris romani loca, quae summam per indicem praepositum enumerata sunt, aut explicando, aut emendando tractantur. Quod quomodo factum sit, iam iam cognoscamus, ita, ut nostrum de hoc specimine iudicium, exemplis in utramque partem comprobemus.

In iis quidem, quibus operam suam Vir doctiss. nobis probavit, ponenda est emendatio ea, quae cap. III. proponitur, ad vocabulum *sanctissimus* Gratiano restituendum. Quam emendationem ita confirmavit, ut praeter auctoritatem membranarum manu exaratarum, multis, iisque luculentis exemplis demonstraret, Episcopus antiquioris ecclesiae
sanctis-

sanctissimos fuisse proprie compellatos. — Eodem se modo commendat cap. V. correctio Orosii lib. I. c. 16. de Amazonibus: qua pro *plurimas* scite legit *pulcherrimas*. Id quod cum orationis *ovatus* suadet, tum vero etiam auctoritates Festi et Virgilii ab eo laudatae luculenter confirmant. — Sic porro nihil nobis certius videtur restitutione loci ex Isidori differentiis cap. VII. tentata: quae ipsi eo maiori est laudi, quo minus Casparus ille sagacissimus Barthius sanari hunc locum posse iudicavit. Reliqua, quae per occasionem disputata sunt hocce capite, cuique, credimus, antiquitatis amatori facile sese probabunt. — Insignis est opera V. Cl. in loco Horatii cap. XVI. emendato, qua sibi omnes Musae Venusinae amicos haud parum devinzerit. Locus est Lib. I. Sat. VII. v. 9-20. Qui uti est elegantissimus, ita a nemine interpretum adhuc recte intellectus. Sed si sequare sententiam Iusti, sensus tibi planus, ingenioque Horatii dignus apparebit. Praeterea enim quod v. 16. postulante contextu legit *at* pro *aut*, mutavit interpunctionem fere sic: Ad regem redeo: — convenit (hoc etenim incidit (inter H. — fuit) duo — Glauco; — missis.) Bruto — compositus — Bacchius. — Ipsam horum versuum explicationem, quam addidit pag. 55. relinquimus, ut chartae parcamus, legendam quibus volupe est.

Atque haec sunt, quae de dexteritate Viri critica testentur. Restat, ut nunc deinceps afferamus quaedam eorum, quibus subscribere nos quidem non possumus. Et statim sese nobis offert cap. I. in quo emendatur poematum Laberii, a Macrobio lib. II. Saturn. c. 7. asservatum. Versus, quorum res agitur, hi sunt:

Fortuna immoderata in bono aequa, atque in malo,
 Si tibi erat libitum litterarum laudibus
Floris cacumen nostrae famae frangere —

Legi vult Vir doctiss. *florens* pro *floris*, quoniam hoc dictionem faciat impeditam, aureaque Laberii facilitate indignam.

4 NOVA ACTA ERUDITORUM

At nos neutrum videmus. Nam cacumen floris famae, est summa famae celebritas, fama gloriosissima. Sic est sensus expeditus, Laberioque dignus. Putat quidem V. Cl. (id quod eum maxime ad emendandum hunc locum videtur induxisse,) esse inauditum, litterarum laudes frangere famam: imo etiam nunc frangunt, si quidem litterae sint ex eo genere, quod virum doctum et gravem parum deceat; ex quo sane erant litterae Laberii, utpote qui rebus levissumis, et Romae ignominiosis, hoc est minimis conscribendis, operam daret. Quid igitur mirere, si fama Laberii suis ipsius litteris Romae est imminuta? Quis hodie vir gravis magno adhuc opere laudavit eos, qui praestantissimas ingenii dotes in fabulis et cantilenis pastoritiis perdunt conscribendis? Ita omnino litterarum laudes frangunt famam. Deinde vero etiam non sufficit ad emendationem, recte dici *litteris florere*; aequè enim recte dicitur *cacumen floris frangere*. Accedit, quod, ut ipse fatetur, omnes omnino editiones hanc lectionem constantè exhibeant; quare malimus, si tamen genitivus ille nimis cuiquam durus videatur, accusativum statuere obsoletum, quam correctionem admittere,

Floris, cacumen nostrae famae frangere.

Transcimus ad cap. II. in quo Ciceronis lectio in Catilina. I. cap. 8. *nove* explicatur, et defenditur adversus Zinzerlingium, Gruterum, et Bouhierium, qui omnes legunt *si hic morari aequo animo non potes*, ipse vero cum Graevio adhaeret lectioni *si emori aeq. a. n. p.* et putat, (haec est nova eius explicatio.) Ciceronem respicere orationem Catilinae habitam ad suos, quibus persuadere conatus sit, praestare *emori per virtutem*, quam vitam miseram — per dedecus amittere. Sed haec interpretatio, quamquam ingeniosa, nimis tamen longe repetita videtur, quam ut queat probari. Nam, etiamsi Cicero vel maxime, quae Catilina in conventu suo disseruit, habuerit comperta; tamen inde nondum sequitur, respicere hic Ciceronem istius orationem, quam si respexisset,

set, haud dubie ipsius Catilinae verba retinisset, multoque significantius dixisset, *emori per virtutem*, quam *emori aequo animo*; id quod ne Catilina quidem ad suam orationem poterat transferre, nedum Senatus, illius orationis ignarus. Cui igitur bono sic loquebatur Cicero, si nemo eum intelligeret! Quid quod *τὸ morari* longe rectius, quam *τὸ emori*, opponatur *τὸ abire*? Quin etiam, quae antecedunt apud Ciceronem, lectionem *morari* non tam suadere, quam flagitare videntur, cum concludendi formula, *quae cum ita sint*, satis indicet, Ciceronem potius respicere sua proxime praecedentia verba, quam illa Catilinae remota, neminique praeter ipsum cognita. — Eiusdem naturae est emendatio Taciti lib. VI. Annal. c. 26. ab hoc cap. IX. proposita, qua verba Taciti *abstinentiam cibi coniunxit*, praecipitanter mutat in *abstinentiam sibi iniunxit*. Quae enim cum qua re abstinentiam cibi coniunxit? Respondemus, cum *consilio moriendi*, quod cepisse paulo Nerva ante dicebatur; cum quo utique etiam coniungenda erat ista cibi abstinentia, si quidem exsequi suum vellet consilium. Nemo enim solo moriendi consilio unquam mortuus est. Ceterum non negamus, abstinentiam interdum dici absolute pro abstinentia cibi: sed an hic etiam res ita se habeat, tantum abest ut credamus, ut potius in alia omnia eamus. — Non magis placet coniectura cap. X. prolata, de corrupto A. Gellii loco, cuius verba lib. XVIII. c. 6. haec sunt: „Helius Melissus in nostra memoria fuit Romae summi quidem loci inter Grammaticos *et temporis*, sed maiore in litteris iactantia *et σοφιστία*, quam opera.“ Locum enim corruptum nemo non videt, sed correctione Cl. Iusti non refici eum aeque facile patet. Primo enim qualis, quaesumus, intercedit similitudo inter vocabula *τῆς σοφιστίας* et *temporis*, ut potuissent confundi? deinde vero etiam Grammatici iidem sunt, qui *τῆς σοφιστίας*, ut adeo ex hac emendatione absurdissima enascatur tautologia. Nos quidem ea sumus opinione, ut putemus, mendum non esse in *τῷ temporis*, sed in particula *et*, pro qua si legatur *tunc*, sensus certe evadet facilis

6 NOVA ACTA ERUDITORUM

cilis et perspicuus. Et quis non videt, quam facile potuerit particula *sum*, quae fortasse per solum *t* expressa erat, legi ab imperitis scribis pro *st*? — Huc pertinet denique locus Manilii Astron. lib. V. v. 20. a viro doctissimo c. XV. emendatus; in quo loco profecto nihil videmus, quod emendatione egeat. Quaerit quidem mendum in vocabulo *quid*, eiusque loco ponit *quis*. At in lectione vulgari sensus planus extat, et elegans: quem si quis adsequi non potuerit, adeat novissimum Manilii editorem, Eliam Stoeberum, (prodiit eius editio anno superiore Argentorati) in notis ad h. l. pag. 512. seqq. qui et ipse hanc Iusti correctionem improbat, eumque simul recte reprehendit, quod v. § 14. eiusd. lib. ex Fayi mendosa correctione produxerit.

Ex his igitur factis, credimus, apparebit, verum esse utrumque id, quod initio diximus, clarissimum Observat. auctorem, uti non sit ex vulgaribus criticis, ita eum tamen esse nonnumquam lapsum. Quod cum abundantia magis, quam inopia ingenii factum esse intelligamus, legenda ipsi commendamus quae Stoeberus ad locum Manilii supra laudatum utiliter differuit, tuncque optamus, ut quamprimum auctorem aliquem classicum, quorum multi sunt qui manuum adhuc criticam expectent, suo velit ornare ingenio.

M. MANILII ASTRONOMICON, EX RECENSIONE Rich. Bentley, cum selectis variorum, et propriis notis, cura M. ELIAE STOEBERI.

Argentorati 1767. 8vo. pl. 39.

Quod iam saepe optavimus, ut parabilior esset iuventuti, Graecarum et Latinarum litterarum, artisque criticae studiosae, bonorum Scriptorum veterum copia, ne vel propter editionum maiorum caritatem, vel minorum raritatem, carere utilissimis auctorum veterum operibus cogantur,

tur, eius rei inde a paucis annis non sine magno gaudio, a viris doctissimis initium vidimus factum esse. Teruntur nunc manibus iuvenum, libri Ciceronis, Livii, Suetonii, maxime vero poetarum, Horatii, Ovidii, Virgilii, Tibulli, quorum editiones inde ab aliquo tempore praestantissimas, neque minus parabiles, a summis aetatis nostrae viris, quos nemo non novit, accepimus; et quos ante hac latinarum litterarum studiosi, si vel maxime comparare sibi voluissent, tamen, vel propter editionum antiquiorum raritatem insignem, vel recentiorum ingens pretium, non poterant. Quis itaque non probet laudabile Stoeberi V. Cl. consilium, quo Manilium, poetam profecto elegantissimum, curis suis illustratum, cum eruditis communicare studuit? Etenim haud paullo rarum adhuc in Germania nostra fuit opus Manilianum, maxime in privatis doctorum virorum bibliothecis, ut vix centesimo cuique comparandi eius copia fieri posset. Ac si nihil aliud Vir Cl. nisi editionem Boeclerianam repetitam nobis dedisset, vel sic satis bene meruisse de multis viris doctis, quibus angusta domi res est, poterat videri. Nunc tanto maiori laude dignus est, cum ipse etiam per se Manilio curam impendit, et, ut post illos *Scaligeri*, *Boecleri*, *Bentleii* labores, tamen suo quoque ingenio et doctrina illustratiorem, quam antehac, ederet, omnem operam dedit. Ac profecto, si quis alius, certe Manilius, magnam materiam habet exercendi ingenii critici, et expromendae doctrinae accuratioris, cum propter ipsam rerum et argumenti difficultatem, tum propter multitudinem locorum corruptorum, codicum contra paucitatem. Iam, quomodo Stoeberus editoris officio functus sit, breviter, age, videamus.

In praefatione primum agit de suscipiendae editionis Manilii novae consilio, et variis, quibus in ea adornanda usus sit, subsidiis, quorum tria maxime commemorat, Codicem MS. Parisinum, Codicem Paullinum Lipsiensem, et editionem primam Io. Regiomontani, Norimb. 1472, (ut putat.)
vulga-

8 NOVA ACTA ERUDITORUM

vulgatam. Horum singulorum indolem, historiam, usum, virorumque doctorum in ea impensos labores, copiose narrat. Sequitur deinde Iul. Pontederæ, in Gymnasio Patavino rei botanicae Professoris, Epistola de Manilii Astronomia, eiusque anno coelesti, ad Andream quendam Maranum, amicum, scripta. Tum textus ipse Manilii e recensione Bentleyi, nude, paginis 149, cum varietate lectionis, ad finem cuiusque paginae posita, exhibetur. Sequuntur porro notae cl. Editoris et aliorum, cum eorum, qui data opera notas ad Manilium edidit, ut Scaligeri, Petavii, Salmasii, Huetii, Fayi, Bentleyi, tum caeterorum, a quibus data occasione et obiter singula Manilii loca hinc inde emendata, vel illustrata sunt, ut Carrionis, Barthii, Turnebi, Gronovii, denique indice rerum memorabilium, in opere Maniliano occurrentium, volumen clauditur. Iam ad singula descendemus, et, ut appareat, quomodo in tractando Manilio Cl. Editor versatus sit, speciminis causa Librum I. percurrere, de quibusdam locis sententiam nostram dicemus.

L. I. v. 28. transpositio versuum aliquot, qua mederi loco haud dubie corrupto tentat, non ea plane quidem nobis satisfecit; sed tamen iidem simul fatemur, meliorem vix repertum iri, credimusque adeo in ea acquiescendum, donec certiore aliquis attulerit. Planior et facilius est ea, quam v. 44. et 45. tentavit, ubi tamen nobis non placet lectio Regiomontani et reliquorum, quam ipse probat:

„Quas ferat Euphrates, in quas et Nilus inundat.

Est enim contra Grammaticam, quia *inundat* necessario Indicativum requirit, dudumque a viris doctissimis, (etiam in his ipsis Actis,) monitum est, in Scriptoribus aureae aetatis, (qualis est Manilius,) tutissime corrigi, quae pugnent cum elegantia et *aristoteli* Grammatica, etiamsi codices dissentiant. Ad v. 47. superflua nobis visa est nota: *preces, sacra, sacrificia*. Ea enim per *publica vota* intelligi, praesertim cum adicitur mentio *sacerdotum*, ut hoc loco, vel tirones sciunt. V. 6. ad verba:

verba: „Immotusque *novos* pontus subduxerat *orbes*“ rectissime annotavit, accipiendum id esse de Britannia, paullo ante Maniliæ aetatem a Iul. Caesare detecta et subacta. V. 90. ubi Bentleius legit: „Semper et ex aliis *alia* profeminat usus“ ipse fatetur, et metrum, et sententiam, et codices requirere, ut legatur *alias*, sc. *artes*; id enim praecessisse. Si haec tria consentiunt, quae coniuncta maxime decernunt, cur *alias* in textum non recepit? nos quidem id facere minime dubitavimus. V. 91. ad verba: „linguas *didicere* volucrum“ notantur haec: alii legunt praedicere, quod non ineptum prorsus. Nisi h. l. non per errorem typographi irrepit, non videmus, quomodo V. Cl. probare potuerit lectionem, quae manifeste metro repugnat. Erudita sunt, quae ad v. 116. de verbis *emergere* et *evolvere* disputat, ubi Bentleius legit: *ovincere*. V. 147. „Sed facies *quacunq̄ue* tamen sub origine rerum Convenit“ videtur nobis lectio Bentleii: *quacunq̄ue*; illud ipsum, quod Vir Cl. in nota explicandi causa adiecit, multo melius, et luculentius exprimere, quam vulgaris: *quaecunq̄ue*, cui ille favet. V. 172. reprehendit Huestium, qui in verbis: „Itaque contractis consistunt corpora plagis, Et concurrento *prohibent in* longius ire“ velit rescribi: *prohibentur*. Sed fatemur, hanc coniecturam nobis multo planiorem vulgata videri; deest enim in hac Accusativus, qui abesse vix potest. Certe si retinendum omnino sit *in*, (quod tantopere defendit vir cl.) legeremus potius, si codices faverent, *prohibent se in* etc. Sed nihil decernimus. V. 221. rectissime, contra Gronovium ac Bentleium, sequitur Scaligerum, legentem: „Te testem dat, luna, sui *glomerabilis* orbis“ pro *glomeraminis*, et illam lectionem adversus hanc e Grammatica defendit. V. 245. elegans nobis et probabilis videtur coniectura Cl. Editoris: „Nos in nocte sumus, somno *qui* membra locamus“ pro Bentleiano: somno *se* membra locamus; haec enim lectio nescio quid duri et asperi habet. Etiam illa nota nobis placuit, quae v. 253. „Solemque alternis vicibus per tempora portant“ sc. *sidera*, adiecta est: Quae portant solem atque alia sidera, sive planetas. Di-

euntur autem portare solem, quatenus in iis signis exoritur atque voluitur. Atque omnino optarem, ut paullo numerosiores ex hoc genere in libro annotationes essent. Est enim maxime frugiferum lectoribus, quoniam ipsa verba auctoris, tropos, sensum etc. breviter explanant, sine magno doctrinae apparatu et ostentatione. V. 423. ubi Viri cl. in verbis: „Cui proximus anguis Squamea dispositis imitatur *tergora* flammis“ probat *lumina*; repudiato *tergora*, non videmus quid absurdi sit in *tergora*; certe *tergora* nihilo deterius esse arbitramur *tergora lumina*. Nota Viri cl. haec est: „Ergo anguis dispositis flammis imitatur *tergora* squamea?“ „Qualis sensus! Libri nostri omnes: *lumina*. Dicit autem „possunt *lumina squamea* ipsae squamae, colore suo micantes, et auri fulgore quasi ardentes etc.“ Nonne vero *tergora squamea* eodem redeunt? *Tergus* apud poetas simpliciter pro quovis corpore, sive animato, sive inanimato, dicitur, ut apud Phaedrum L. II. Fab. 2. Tunc *diviso tergo*, silvas petivit, h. e. *cadavere*. Imo *tergora* tanto convenientius est huic loco, (quod inter alia anguibus quoque *tergus* (ver Balg) proprie tribuitur,) dummodo libri MSti addicerent. Itaque etiam hoc non ideo monuimus, ut *lumina* deleri velimus, sed ut nihil absurdi appareret esse in *tergora*, ut Viro Cl. videtur. V. 460. elegantissima et verosimillima est coniectura, qua pro: „*fulgentia visus*“ legit: „*fallacia visus*“ nec alia magis re ea se nobis commendat, quam simplicitate, quae semper est maximum indicium veritatis. V. 764. probavimus eius sententiam, quae verba Manilii: „*Castra ducum et caeli*“ ab emendatione, imo potius corruptione Bentleyi, contra auctoritatem codicum, legitis: „*Affaracum atque Ilum*“ bonis argumentis vindicat. Non item placuit nobis coniectura ad v. 774. „*Perfidus et victor*, straxat quae classibus aequor“ ubi pro *victor* Manilium scripsisse putat *ultor*. Est enim hoc contra metrum, et, quanquam per caesuram videtur excusari posse, tamen sine necessitate non inducendum est, imprimis cum nihil iure reprehendi possit in expositione

fitione loci Gronoviana, nec ipse Vir cl. aliquid in ea reprehendat. Denique in v. 907. unice veram putamus eius coniecturam, legentis: „Arma Philippeos impleverunt sanguine campos“ pro vulgato *agmine*. Hoc enim, nisi plane nullum, certe frigidissimum sensum habet.

Ex his, quae ad L. I. diximus, patere arbitramur, quale pretium criticis cl. Stoeberi laboribus statuendum sit, et, magnam ei spem propositam esse gratiae ab erudita Germania hac editione ineundae. Sed sunt tamen, ut libere dicamus, duo maxime, quae nobis in toto eius consilio valde displicuere, et quae scimus etiam multos alios offensura esse, quae tamen nullo, aut parvo negotio, poterant evitari. *Alterum* est, quod notas aliorum, et suas, non statim subiecit textui, sed ad calcem ablegavit. Est enim hoc molestum lectoribus sine discrimine omnibus; et quotusquisque, cum in loco aliquo textus inter legendum haeserit, sustinebit semper illum locum in notis evoluere? *Alterum*, quod etiam magis reprehendimus, est illud, quod, cum instituisset selectas virorum doctorum annotationes suis annectere, auctorum nomina sciens ac volens reticuit. Quanquam enim se propterea excusat in praefatione, atque id se fecisse, *tum ne gloriolam captare videatur suis, tum ne adolescentes parum cauti tantorum virorum auctoritate moverentur, nullumque discrimen facerent*: tamen haec speciosius, quam verius ab eo dicuntur. Nam quod ad prius attinet, suo se ipse gladio (ut hoc utamur) videtur iugulare. Quid enim habet, quod opponat, si quis calumniandi causa dixerit, tanto magis eum videri gloriolam suis captare voluisse, cum nomina auctorum reticuerit, quod facile praeviderit, unumquemque lectorem existimaturum, maximam et optimam notarum partem ab ipso profectam esse? Quis enim tam divina memoria sit, ut, quas ante forte aliquando legerit, (si modo legerit,) Scaligeri, Boecleri, Barthii, Bentleii, in Manilium notas, ita statim rursus agnoscat, ut a Stoeberianis e vestigio possit discernere. Nos

certe, si cl. Editoris loco fuiffemus, quanquam in alia rē, tamen imitati effemus rationem eam, quam de Epaminonda Cornelius Nepos in eius vita c. 3. fin. narravit. Deinde vero, non verendum erat, ne adolefcentes parum cauti, in legendo Manilio auctoritatibus moverentur. Qui enim tiro-nes sunt, ut hac cautione adhuc opus habeant, iis non scri-ptae videntur illae doctorum virorum, nec ipsius Cl. Editoris in Manilium notae; qui vero iam sine cortice natant, ac pos-sunt has notas cum fructu legere, iis non perinde est, quis cuiusque notae auctor fuerit. Non enim solum scire cu-piunt, *quid* dictum sit, sed etiam *quis* dixerit, ut colligere in-de possint, quid, et quantum quisque illorum virorum ad il-lustrandum Manilium attulerit.

Ceterum, his monendis nihil detractum volumus lau-dibus cl. Stoeberi, cuius in Manilium merita, (ut cuilibet ap-parebit,) lubentissime agnoscimus, iidemque simul eundem hortamur, imo rogamus, ut pergat nobis sistere alios poetas latinos, ex illis difficilioribus, et rarioribus, eo habitu, quo iam Manilium nobis exhibuit. Credimus enim, si parem in iis edendis diligentiam praestiterit, doctissimi cuiusque prae-conia et laudes ei minime defuturas.

*DE TOPICIS SCHEDIASMA. AUCTORE
I. H. LAMBERT.*

I.

Quod in contemplandis *rebus corporis* vel inprimis sese offert immensum spatium, huiusque dimensiones, in-tervalla, distantiae, loca, ceteraeque eius determinatio-nes, horum omnium saltem *analogia* in *rebus mere intellectu-ibus* reperire sibi visi sunt, qui ab antiquissimis retro tempo-ribus *ideis abstractis* nomen imponere, ipsasque ideas sibi per-ceptas

ceptas cum aliis communicare studuerunt. Hinc nata nomina *idearum sublimium, profundarum, longoque intervallo ab invicem remotarum, mundi intellectualis, campi Scientiarum*, et id genus innumera alia. Nec defuerunt qui in istiusmodi *campis* singula loca inquirere, eaque ad certas classes revocare adgrederentur. Hinc artis illius, quae vel hanc ob causam *topica* dicta est, prima petuntur initia, veraque, si quidem curatius excolenda sit, fundamenta. An vero ulterius excoli, pleniusque adornari haec ars vel possit, vel etiam mereatur, altioris utique simul et difficilioris indaginis res est. Quodsi enim specimina illa contuearis, quibus iam inde ab ARISTOTELIS temporibus rem omnem absolvere putarunt, quotquot in perficienda hac arte suam collocarunt operam, non mirum esse facile perspicias, si rem istam alternatim velut in lucem protractam, iterumque reiectam, speciminaque illa admodum manca, usuque fere omni esse destituta, audacter fati pronunciare complures videas. Ego vero aequa lance cuncta figillatim expendere eo minus dubitavi, quo curatius a primis originibus repetenda res est, si quidem singula excutere, debitumque *Arti topicae* statuere velis pretium.

II.

Et quidem, si vel ipsum Artis nomen spectes, latissime eam patere haud aegre deprehendes. Eousque enim sese extendit vis nominis, quousque in mundo intellectuali applicabilis est *loci situsque* idea. Hinc cuncta ea, quae vel in ipsis literis elegantioribus, de idearum dictorumque sublimitate, quae in Scientiis solidioribus de earundem *profunditate, intervallis* immensis, horrendisque velut *abyssis* praecipiuntur, cuncta ista, veri nominis *topica* ars, vel *Scientia*, suo velut iure sibi vindicat. Et si haud inanis sit *campi scientiarum* denominatio, ab ipsa hac arte et hoc expectare fas erit, ut singulas Scientias, earumque partes, veluti totidem immensi regni vel orbis cuiusdam provincias, ea ratione in mappa sistat delineatas, qua ipsae sibi sunt contiguae, sive iam cogniti sint,

sive adhucdum lateant limites illi, quibus ab invicem separantur. Talis vero si unquam prodeat mappa scientiarum topographica, non modo in universum loca sistet fontium et rivulorum, totum scientiarum orbem irrigantium, terrasque et provincias humana iamjam industria excultas; verum et ingentes illos terrarum mariumque tractus, quorum vix adhuc nota sunt nomina, quorumque existentia vel inde colligitur, quod dantur scientiæ ingenti intervallo adhuc ab invicem seiunctæ, etsi utique eas vel necessario cohaerere, atque in uno eodemque Continenti collocandas esse, facile percipiat. Sic enim v. gr. si vel in summis orbis istius Alpibus colles Metaphysicam, unde rivuli fluviique per omnes scientiarum campos defluere queant, notabis quidem flumina ista, quibus irrigatur physica et chymia experimentalis, at tractum illum, qui Somatologiae universali proprius dicendus est, cum admodum inculta sit intermedia haec regio, vix nominibus quibusdam designare dabitur. Similia intervalla fere incognita inter Cosmologiam transcendentem et Astronomiam, inter Dynamicam transcendentem et Mechanicam etc. notanda esse reperies. Notiora esse videbis fluminum ostia, et ubivis fere patere ad littora maris vias, tum natura planas, tum arte factas. E longinquo conspicias alta montium cacumina, præclusos vero præcipitesque aditus, ita ut liquido pateat, haud secus notas esse scientiarum provincias, ac nota sunt Africae vel Americae litora, ignotæ interiores utriusque partes. At vero ulterius extendendæ huic comparationi superfedere hic liceat. Hoc unum adiungam, summam futuram dein huiuscemodi mappae perfectionem, simulac eo reduci possit, ut characteristicam exhibeat cognitionis humanae delineationem.

III.

Alia datur artis topicæ pars, cuius limites extendere, ususque exponere, hisce paginis constitui. Varia ista subiit fata, variasque mutationes, quas aliquantum perlustrare haud
abs

abs re erit. Anam dedit ARISTOTELES. Perfpexit is *argumenta* quaecumque, et cuicumque *thesi* vel probandae, vel reiiciendae, idonea, si invicem comparentur, ita aliqua ex parte esse similia, ut haud aegre in certas definitasque classes referri paterentur. Hinc illius *Topica*, hinc decem eius categoriae, hinc in Logica et rhetorica plurima, *argumentorum inventionem* spectantia. Huic enim argumentorum inventioni, eique soli topicam artem destinavit, atque proinde admodum angustis eam circumscripsit limitibus ipse ARISTOTELES, eiusque sequaces; etsi inter hos fuerint, qui artem istam alio alioque modo adornare adgrederentur. CICERO eam magni fecit, et ipsemet in usus oratorios topicam conscripsit. *Ut enim, inquit, earum rerum, quae absconditae sunt, demonstrato et notato loco facilis inventio est: sic cum cum per-vestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus. Sic enim appellatae ab Aristotele sunt hae quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire, locum esse argumenti sedem; argumentum autem rationem, quae rei dubiae faciat fidem.* Paucis his tota res declaratur, patetque simul, plus uno eam laborare defectu. Primo enim tantum de *argumentis utcumque probantibus* sermo est, etsi alia sint longe plurima, quae ab Arte topica iure meritoque expectentur. Deinde de *inveniendis* istiusmodi argumentis loquitur CICERO, etsi, quod apud omnes in confesso est, ars illa, quae *Topica* dicitur, non ipsa argumenta, verum modo varias eorum classes et species, vel titulos, enumerat. Verum quidem est, quod ait, facilem esse, demonstrato et notato loco, rerum absconditarum inventionem; attamen huiusmodi demonstrationem et notationem in arte topica frustra quaeras. Dicis enim, aurum quaerendum esse in montibus vel fodinis, certe hac ratione, nisi aliunde sciveris, montes istos vel fodinas egregie ignorabis. Rectius itaque iudicaverunt, qui Artem topicam *medium esse* dixerunt in memoriam mentemque revocandi cuncta ea, quae, etsi nota iam sint, memoriaeque mandata, haud sua sponte succurrunt, quoties, vel quaecumque eorum meminisse e re est.

IV.

Ipsa quoque ista notio deceptrix, qua *inventionis artificium esse topicam* creditum est, in causa fuisse videtur, cur alio alioque modo tractandam et expoliendam esse hanc artem putarint plurimi ARISTOTELIS, hac saltem in parte, sequaces. Notissimi sunt versus quidam memoriales, quibus topicam omnem includere, brevissimeque exponere elaborarunt Scholastici, recentioresque philosophiae cultores. Ita v. gr. versus:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Historicorum topicam sistere, ait ALSTEDIUS; eundem vero ad naturalem cogitandi rationem inflexit BAUMGARTEN in Aestheticis, sequentem in modum:

Quis, quibus auxiliis, quid, quomodo, cur, ubi, quando?

Idem quoque acutissimus philosophus ibidem commendat versusum topicum, eumque memorialem, sequentem:

Copia, nobilitas, veri lux certa moventis.

Hunc vero versusum potius *requisita bonae tractationis thematis aethetici*, quam ipsas *sedes argumentorum* recitare, facile patet. Omnium vero uberrime sedes istas, vel locos, perscrutatus est ALSTEDIVS. Rem omnem, quatenus eam perspexit, septem inclusit circulis, atque *se eam non sine labore collegisse* ex RAIMUNDI LULLII arte magna et brevi, Syntaxi GREGORII THOLOZANI, Cyclognomonice GEMMAE TRISII, Rotis IASONIS DE NORES, et Scriptis IORDANI BRUNI. Nihilominus tamen in Logica, ubi de inventionis agitur, topicam ad mentem P. RAMI instruxit, qui in tractandis disciplinis tum ab ARISTOTELE, tum et ab EUCLIDE recessit. Fuerunt inter CARTESII affectus, qui cuncta revocarunt ad septem praedicamenta, disticho sequenti memoriae mandanda:

Mens,

*Mens, mensura, quies, motus, positura, figura,
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum,*

Si vero de contrahenda re topica quaeratur, decem illae ARISTOTELIS categoriae commode ad quatuor reducuntur sequentes:

Substantia, qualitas, quantitas, relatio.

At vero huiusmodi compendia *rebus in memoriam revocandis* parum adferunt adiumenti. Quod denique ad WOLFIUM attinet, ille relictis antecessorum topicis, et demonstrationibus potius, quam argumentis utcumque probantibus intentus, topicam dedit nullam, nisi sequentem hoc vocabulo denotare velis:

*Definitio, Divisio, axioma, postulatum, theorema,
Problema, Lemma, Corollarium, Scholion, Experientia.*

Paret vero, hos terminos, geometris iam ab antiquissimis temporibus familiares, formam potius et methodum, quam ipsam materiam eiusque fontes, seu locos, indicare. Ex recentioribus video complures eorum, qui de Logica scripserunt, de topicis mentionem iniecit, aliis vel solam termini definitionem tradentibus, aliis vero rem ipsam exhibentibus. Hos inter, praeter cl. WALDINUM, potissimum video cl. CRUSIUM in Logica Specimen dedisse *Topicas ad genuinam meditandi methodum curatius adcommodandae*, etsi rem ipsam ex professo tractare, omnibusque absolutam filtere numeris, haud sit adgressus.

V.

Adversarios quoque nata est Topica ars, qui eam defectibus laborare, omnique usu destitutam esse iudicarent. Sic vel ipse BAUMGARTEN in Aestheticis fatetur, *se nunquam ut esse expertum, ut in comparanda sibi elegantioris tractationis materia, dicendorumque copia et ubertate, ad topica recurrere necessesse haberet.* Nihilominus tamen ipsa artis topicas exercitia

C

com-

commendat *tironibus*. Acrior existit huic Arti hostis Auctor *Artis cogitandi*. Is enim disertis verbis inculcare lectoribus studet, *artem topicam non modo usu omni carere, verum maxime eam esse nocuam, praeter canones nimium generales, nimiumque a re remotos, et sententias maxime communes, et velut ex trivio desumptas, nil inde peti posse, quod in dato quovis casu ad rem faciat; magis eam garrulitati inani, quam verae et solidae eloquentiae esse idoneam, nullosque reperiri Oratores, qui in excogitandis Argumentis unquam ad Artem hanc confugerint. Verum quidem esse, Argumenta quaecunque ad locos topicos posse referri, nullo tamen modo ea inde esse petenda, vel ista methodo posse reperiri etc.* His commotus Auctor iste, topicam doctrinam tantum non omnino silentio praeteriit. Addit tamen, quod certe per omnia negare haud poterat, *haec ratione rem tractandam pluribus ex partibus, faciliusque spectandam se sistere*. Unde topicam subiungit, qualem eam a CLAU-BERGIO reperit adornatam. Nunc iam ad rem ipsam contemplandam propius accedamus.

VI.

Definitionem topicas, qua *Ars esse traditur inveniendorum argumentorum* partim erroneam esse, partim quoque debito angustiore, supra vidimus (§. 3.). Utramque hanc ob causam cel. BAUMGARTEN eam esse *artem* dicit *praedicata certi subiecti secundum certum notionum subiecto sociarum ordinem in memoriam revocandi*. Haec utique definitio magis est ipsi rei adaequata. Latius tamen rem ipsam patere haud difficulter ostenditur. Etenim ad sola rei *praedicata* definitionem restringit cel. philosophus. His vero res omnis nequaquam absolvitur, siquidem per omnia meditati de quodam obiecto adiumento esse debeat topicas. Ponas enim, obiecti cuiusdam *theoriam* vel nondum esse exstructam, vel si detur aliqua, admodum eam esse confusam, magna ex parte erroneam, ita ut velut ab ovo repetenda res sit, si quidem ad genuinam eamque completam obiecti theoriam pertin-

pertingere, omnibusque hanc absolutam numeris sistere velâ. Hanc vero provinciam in se suscepturus ante omnia id aget, ut undique cuncta ea conquirat, quae ad rem faciant, sive ex scriptis aliorum ista petat, sive ea colligat, quae ipsinet ad rem attendenti observantur, ipsique succurrunt. Cuncta vero ista ideo conquirat ac colligit, ut partes esse condensae theoriae possint, quibus selectis, debiteque ordinatis, et invicem connexis, systematica emergat obiecti propositi tractatio, et ipsa eius cognitio. Tum demum partes dici mereantur. Donec vero colliguntur, fragmenta rectius audiunt. Rarissime enim hoc evenit, ut eo ordine succurrant, quo proponenda sunt. Fragmenta vero ista utique ad certas definitasque revocari possunt classes; atque *Topices pars ea, de qua hic agitur, (§. 3.) istarum classium veluti inventarium vel repertorium est*, quod si omnibus suis partibus sit instructum, habebis utique *unde dignoscas, an ea quae collegisti propositae theoriae fragmenta, rem omnem complectantur, vel an adhuc dum desint, quae ad completam obiecti theoriam necessario requiruntur.* En ergo primum, eumque haud contemnendum Topices usum, quem in examinandis variis scientiarum partibus haud raro expertus sum, eoque magis, quo latius patet; si quidem hac ratione instruat Topice, ut cuncta ea designet, quae colligenda sunt theoriae fragmenta. Eundem hunc usum experiaris, cum ea diiudicanda sunt, quae alii de re quadam proposita literis mandarunt. Facile enim perspicias, quatenam capita tetigerint, et quatenam praeterierint silentio, quaque de causa utrumque sit factum, probabili saltem assequeris coniectura.

VII.

Quaeritur iam, qua ratione instruenda, singulisque suis loculentis adornanda sit Topice, quo huic saltem fini inserviat? Quoniam *revocandis in memoriam theoriae cuiuslibet fragmentis* inservire haec ars debet, facile patet, nequaquam in generalibus esse subsistendum, verum et descendendum ad

•• NOVA ACTA ERUDITORUM

ea, quae maxime specialia sunt, omnesque amplissimae theoriae partes veluti exhauriant, latebras, recessus, lacunas, hiatus, confusiones, ambiguitates, nodos demum gordios indicent, revocent in mentem, producant in lucem. Quod hac in re consilium dat cel. BAUMGARTEN in aestheticis, paucis, ut solet, indicat: *Memoriae, inquit, manda sciagraphiam ontologicorum aliquam praecipua eorumdem definita comprehensam, et habebis topica catholica. Particulares locos dabit quaevis disciplina satis complete cognita, si potiora momenta — infigas alius memoriae.* Ad haec notandum, rectissime requiri cognitionem eorum, quae in condenda theoria obiecti cuiusvis, *ceu nota, praesupponuntur.* Topica enim ars unice memoriae consulit, et si data adsint nulla, neque habebis unde quaesita eruas. Unde, mea quidem sententia, praxis artis topicae tyronibus nec commendanda est, nec eos iuvat. Quod si tamen adsit, qui eos manuducat, utile utique erit abtracta topica in concretis indagandi exercitium. Porro haud ego dixerim, topices sciagraphiam, singulaque eius loculamenta, *memoriae esse mandanda.* Non enim *onerandae, sed levandae* memoriae dicata est. Ipsa vero anthologia, specialioresque cognitionis scientificas partes, non tam memoriae, quam intellectui infigendae sunt. Quod ubi indefesso studio feceris, usui erit topica sciagraphia debite exstructa, omnibusque absoluta numeris. At vero, etsi cuncta ipsi inferantur definita ontologica, ista rem omnem haud absolvere, tum res ipsa, tum et facta pericula docuerunt. Philologicam enim partem si adiungas, nec ista usu carebit. Sic edantur ex psychologicis, et cosmologicis, partes utiliter adiiaciendae.

VIII.

His ita pensatis, manuum operi admovi, et quotquot reperire licuit topices capita, ea certa quadam ratione digesta, tabula offert praesenti Schediasmati adnexa. Vides in ea columnas septem, suis quasque inscriptas titulis. Quae media est, *rem in se spectatum* potissimum concernit. Quae proximi-

proxime antecedit, *rei ad ens cogitans relationes* exhibet; at quae inde nascuntur *idealio, et nominalia*, utraque prima columna continentur. Mediam porro proxime sequitur quarta, quae *rem ad ens operans* refert; utraque ultima *relationes reales* potissimum, variaque *concomitantia*, exponuntur. Quaelibet porro columna ita in partes divisa est, ut quae ad specialiores quasdam classes referuntur iuxta se invicem sint disposita, quantum quidem id facere licuit. Commoda visa est qualiscunque haec distributio, eamque vel hanc ob causam selegi, ut vitarem confusionem saltem omnimodam. Singulorum vero capitum rationem reddere, eorumque explicationem dare, non est huius loci, cum ipsi lectores, quibus usui esse poterit haec tabula, tyrones non sint. Quodvis porro caput seu obiectum spectare licet, ad ipsam topicam normam examinandum; quod si feceris, amplissimam uberissimamque habebis eius theoriam. Hac quoque ratione ipsemet tabulam locupletavi, eademque ratione ulterius locupletari poterit. Interea speciminis ergo quaedam adferam, ad explicationem quorundam capitum facientia.

IX.

Genera, species, classes, ipsaeque vocis *ambiguitas*, idae sunt admodum *affines*, ut aegre ab invicem distinguantur, et si huiuscemodi distinctionem utique requirat curatior rei theoria. En ergo rationem, qua ego rem istam censeo expediendam. Sint A, C, D, etc. Subiecta, quibus idem tribuitur praedicatum M. Facile patet, M esse vel *genus*, vel *classem*, vel subesse ipsi voci M *ambiguitatem*. *Genus* erit, quoties A, B, C, D etc. secundum eandem *formam* sint facta. *Genus* erit *superius*, si nonnisi *abstractum formae* retineatur. Hac ratione animalia, plantae etc. in *genera* et *species* distribuuntur. Quodsi vero nulla ipsis A, B, C, D etc. insit *formae identitas*, M ad summum *classis* erit, ad quam, *ob commune quoddam praedicatum*, referri possunt. Hac ratione corpora quoad duritiam, molliem, elasticitatem, fluiditatem

etc. in *classes* distribuuntur. Quodsi denique in singulis A, B, C, D etc. quaeras *attributum* M, atque hoc nequaquam ubivis *idem* esse deprehendas, voci M plures esse tribuendos *significatus* rite colliges, sive isti sint metaphorici, sive toto caelo inter se differant. Sic. v. gr. voces, *is composita*, aequae litem complicatam ac litem finitam significant, etsi res ipsae admodum ab invicem differant. Detectis amphiboliis, earum origo investiganda est, quippe saepius metaphorae et idae transcendentes hac ratione in apicum producantur, unde quandoque saepius dantur allegoriae ulterius continuandae. Nascentur vero amphiboliae, locumque habent

1. In vocibus primitivis per accidens, cum una eademque Syllaba, vel vox, duabus pluribusve rebus designandis adhibetur.
2. Cum ex incertitia generi vel classi tribuuntur, quae speciei, vel quibusdam tantum individuis, tribuenda sunt.
3. Si confundantur praedicata subiecti, obiecti, facultatis, actus, relationis, partium etc.
4. Si a mere contingentibus, accessoriis, transeuntibus, adparentiis externis etc. fiat rei denominatio.
5. Si confundantur gradus, dimensiones, causae et effectus propiores et remotiores, coexistentia cum successivis, etc.
6. Si misceantur imagines, adparentiae, similia, metaphorae etc.
7. Si ex abusu nominis verus fiat usus, vel pars primitivi significatus omittatur, pars detorqueatur etc.

Huc quoque referantur *Synonyma*, quae quidem rem eandem, haud tamen prorsus eandem, quinimo quandoque diversas, denotant, ipsasque vocis amphibolias detegunt. Locum vero habent atque oriuntur

1. In *primitivis* per accidens, et rarissime, si quidem dialectos provinciales excipias.
2. In *compositis* frequentius, prout variis modis combinantur partes vocem componentes.

3. In *denominationibus*, quae fiunt a parte, usu, scopo, sine, causa, medio, attributo, signo, caractere, imagine, sensatione etc. ab individujs, casibus singularibus, adiunctis etc.
4. In *nominibus metaphoricis*, praeter alia aliaque sumuntur similia, tertia comparationis etc. et vox ipsa ex parte cognitionis in aliam migrat.
5. In *metonymijs, paronymijs* etc.
6. In *derivatis*, pro vario derivandi modo, variisque adhibitis radicibus, particulis derivativis, praefixis, suffixis, encliticis etc. et pro variis rei partibus, affectionibus, relationibus, etc. ad quae in derivanda adcommodandaque voce attenditur etc.

X.

Singula haec conducunt ad colligendas *ideas* illas, quas *affines* vocare licet. Sunt vero haec plerumque ita comparatae, ut si res proposita sit substantia, accidens, relatio, gradus etc. *ideae* affines ex iisdem his classibus esse concipiantur. Sic v. gr. affines esse reperiuntur *ideae*:

Pulcrum, perfectum, ordinatum, completum, elegans, concinnum, amplum, sublime, gratum, movens, gustosum etc.

itemque

sublime, altum, profundum, remotum, elatum, proximum, grande, amplum, etc.

Porro ad inveniendas *ideas affines ipsa* facit rerum affinitas. Sunt vero haec vel *similes*, vel *connexae*, vel *concomitantes*, vel *correlatae*, vel *ab invicem dependentes*; vel habent partes similes quidem, at aliter iunctas, dispositas, coordinatas; vel vicissim partes diversas, simili tamen ratione *connexas*; vel denique ratione originis, causarum, effectuum, usus, scopi etc. affinitatem inter se quandam habent. Porro *ideae affines*, cum facile confundantur, eo magis sunt examinandae, quo magis adterfam ordinatamque totius classis theoriam conferunt.

XI.

XL

Addam adhuc quaedam de *Causis*. Amphibolis scaterere hanc vocem, in omnibus fere linguis, abunde constat. Quaeras v. gr. causam *substantiae, qualitatis, quantitatis*, merac denique *relationis*, utique aliis aliisque modis erit quaerenda et cognoscenda. Dantur quippe *causa*, quibus potius *principia, origines, fontes, rationes, media, instrumenta* etc. quaeras, quam *causam*. Hinc factum est, ut causam potissimum efficientem, quae veri nominis causa iam olim Stoicis visa est, ipsi *principio fieri* equiparent Metaphysici, eamque a *principiis essendi et cognoscendi* distinguant. Haec vel ideo monenda esse duxi, quod alia insuper dantur tabulae topicae capita, haud singulis quibusvis rebus aequae applicabilia. Ita v. gr. si de *ente* sermo sit, genera superiora haud dantur, uti vicissim a speciebus inferioribus abstrahendum est, ubi *individuum* suscipitur examinandum. Sic et si res vel idea *simplex* sit, exulabunt utique partes integrantes. Ita et *causa* supponit mutabilia, contingentia etc. ut adeo, ubi de immutabilibus, necessariis etc. quaestio movetur, rectius rationes et principia quaerantur.

XII

His ita praemisissis, specialiores tabulae topicae usus breviter exponam. *Tabula haec*, uti facile patet intuenti, *indicem offert eorum, ad quae in examinanda re quacunque, condendaque eius theoria, attendendum est.* Haud tamen credas, hoc necessario *certo fieri debere ordine*, uti postulare videtur definitio cel. BAUMGARTENII; (§. 6.) ideo enim constructa est haec tabula, ut memoriam iuvet et reminiscenciam eorum, quae sua sponte vix cuncta succurrunt. Unde fieri quoque potest, ut, etsi tabulam adhibeas, nihilo minus haud uno eodemque momento cuncta succurrant. At vero cum periculum in mora non sit, in crastinum differre licebit, quae hodierno die memoria reddere recusat. Ipsa tabula nihilominus *perpetuus erit index eorum, quae vel iam habes, vel quae*

quae adhuc supersunt conquirenda. Dantur quoque casus, ubi plura capita praetergredi licet, quoties nempe theoriam non per omnia exhaustivam, verummodo quatenus proposito cuidam scopo inservit excolendam, suscipis.

XIII.

Utiliter tamen in conquirendis theoriae fragmentis initium fit a tertia Columna. Utique enim et immediate ipsemet scias oportet, quid respondeas, cum quaeritur undenam in mentem venerit suscipienda rei discussio, systematisque constructio? quis rei scopus, quaenam occasio te moverit, ad examen propositi obiecti instituendum? Quaecumque vero sit responsum, in dato quovis casu, ad certam quandam classem revocari poterit. Etenim hoc ipso responso habebis

1. Vel certum scopum, cui construenda theoria inservire debet.
2. Vel tractationis possibilitatem, saltem generatim, perspectam.
3. Vel etiam ipsum tractationis modum, procedendique viam.
4. Vel positionem quandam fundamentalem, qua data, reliqua per se inde fluunt.
5. Vel praemissas menti simul obversantes, unde fluat conclusio, quae rem omnem viamque, vel saltem ex parte, aperit, planamque reddit.
6. Vel perceptum alicubi praesudicium, errorem, factum, lacunam etc. una cum modo, vel saltem possibilitate, rem omnem curatius evolvendi.
7. Vel novam inexpectatamque idearum associationem, qua vel campus aperitur novus, vel via explanatur, etc.

D

g. Vel

8. Vel verum rei momentum, usum, scopum, dignitatem etc.
9. Vel anam dedit res similis, specialior, exemplum, phaenomenon etc.
10. Vel denique quodvis aliud tabulae topicae caput.

XIV.

Quodsi porro res examinanda ita sit comparata, ut iam passim apud Auctores eam videas tractatam, vel faltem haud praeteritam silentio: eadem tertia tabulae columna adeundos esse istos Auctores indicat; et, si unquam obliviscaris, in mentem revocat. Quaecunque vero reperias ab aliis iam dicta, sive vera probataque sint, sive erronea vel dubia, ipsa tabula *cunctos tibi offert titulos*, ad quos referre reperta possis, unaque porro eadem patefacit, quaenam capita intacta reliquerint, quos evoluiti, auctores. Vides ergo, in his omnibus parum, vel nihil inesse difficultatis.

XV.

Proxime sequitur ut primam columnam adeas, evolvasque, quae vel in lexicis variarum linguarum iam notatae et collectae reperiuntur vocis aut nomini: etymologiae, variae significationes, amphiboliae, synonyma, epitheta, metaphorae, phrasae etc. quae quid ad rem faciant, saepissime absque difficultate colligitur. Videas quae de amphiboliis, clasibus, generibus, et synonymis, iam supra notavi. (§. 9.) Multifaria enim est inter utramque primam tabulae columnam relatio et nexus. Ita enim v. gr. quae reperis vocis epitheta, praedicata sunt, quale in §. cit. est M. Synonyma, phrasae, et metaphorae, proxime ad detegendas distinguendasque ideas affines et correlatas conducunt, saepiusque indicant casus maxime speciales, quibus curatius exami-

natis

natis, uberrima saepe colligitur praedicatorum, partium, concomitantium, relationum, idearumque affinium etc. messis. Sic et vel ipsa vocis etymologia haud raro ideam suggerit, ad quam genuinum vocis significatum exigere licet. Quandoque et patefcit inde casus ille specialis, cui ipsa vocis origo, primusque usus, tribuendus est.

XVI.

Nihil porro obstat, quo minus secundum tertiam tabulae columnam rem ipsam contuearis, eiusque instituas varia examina, vel examen iam olim institutorum memoriam renoves, ipsamque denique rem ad quaevis tabulae capita exigas. At vero et in his sat cito, si sat bene; nequaquam enim uno eodemque temporis momento cuncta ea, quae succurrere possent, illico succurrunt. Semper tamen *ostendet tibi tabula ista topica, quae adhuc desunt*. Haec, si operae pretium sit, firmiter infigas memoriae, quippe et impotenter ea meminisse iuvabit. Scis enim hac ratione quae nam adhuc supersint associandae ideae, et si data occasione tibi istae succurrant, vel obversentur, vel ipsa lex imaginationis te de suscipienda earum associatione commonefaciet.

XVII.

Cave tamen opineris, quaecunque ista, quae ad rem faciant, hac ratione in mentem venire debere. Ita enim ista sunt inter se connexa, atque ab invicem dependentia, ut *dati quibusdam, ratiocinando invenias, tum quae necessario praesupponuntur, tum et quae inde pendent, praeque saepe ab eis inde fluunt, etsi et hac ratione tabula topica perpetuus sit, tum repertorum, tum et reperiendorum, index*. Unde, si quae iam habes reperta et notata, sedulo ista inter se sunt combinanda, permutanda, conferenda, quo videas, quam ratione alia ab aliis vel *pendeant, vel praesupponantur*. Sic enim paul-

latim ea a reliquis separare dabitur, quae in extruenda theoria vel ideo *prima* sunt, quod tum ab invicem, tum et a reliquis sunt independentia. Haec ipsa porro si inter se conferantur, diiudicari saepius haud aegre poterit, an iunctim sumta unum idemque totum constituent, vel an ob quandam, quam adesse vides, incompatibilitatem, in varia tota, vel specie vel genere inter se diversa, sint distribuenda.

XVIII.

Porro vel me tacente patet, eadem ratione, qua ipsa res proposita ad singula capita tabulae topicae exigitur, singula quoque et specialiora illa, quae de re iam sunt reperta, ad eadem capita exigi posse, ut adeo idem labor, cum ubivis recurat, quodammodo infinitus videatur. Finitur tamen, quoties, et quacunque in parte, vel res in orbem redit, vel ad ideas et relationes simplices, ideoque primas, perventum est. Ab his enim rectissime fit extruendae theoriae initium. Huius vero theoriae ordo fere talis erit.

1. Exordioris a scopo, momento, occasione etc. cum rei, tum et ipsius tractationis.
2. Excusias, si quae occurrunt, nominis amphibolias, maxime eas, quae minus sunt obviae, facileque ad logomachias deducunt.
3. Reicias significatus ad scopum haud facientes, reliquos, si qui adsunt, una cum ideis affinibus ad species et classes refer.
4. Exponas genesin ideae, modumque, quo ad eam pervenire licet.
5. Enumeres rei partes integrantes, ostendasque, has iunctim sumtas totum constituere, partesque a partibus requiri.

6. *Attributa distribuas inter species et partes integrantes, prout ipsis sunt tribuenda, vel inde pendent, quo casu ex aliis ipsis prioribus sunt deducendae.*
7. *Rem cum rebus affinibus, connexis etc. partesque rei cum rerum istarum partibus conferas, quo habeas relationes et pendentes inde affectiones etc.*
8. *Ad causas, effectus, fines, media, dimensiones etc. porro procedas, quo inde theoriae pars practica et mathematica deducatur etc.*

XIX.

Ex dictis iam liquet, latissime patere *Topices* usum, neque eam inani infervire debere garrulitati, vel reperendis argumentis rhetoricis utcumque probantibus, etsi et ipsis *Oratoribus* usui esse possit, maxime si adiungantur *tituli*, vel *loci*, voluntatem et affectus spectantes. Etenim nec *Orator operam* et *oleum* perdere censendus est, si *thema tractandum philosophico* subiiciat *examini* ante, quam istud tractandum elaborandumque suscipiat. Ita enim argumentis spuris, fucumque facientibus, veriora exactioraque substituet, et si huiusmodi argumenta vel ipsa res, vel ingenii acumen suppeditare recuset, ab ipso *themate tractando* abstrahet *animum*, eaque relinquet, quae tractata nitescere posse desperet.

XX.

Etsi, quod iam supra monui, (§. 8.) *tabula topica* cum res ipsas praesupponat cognititas, *tyrones* nil iuvet; nihilo minus *exercitio* quodam opus est, si quidem frequentius et expectius ea uti velis in *examinandis ideis philosophicis*, et ipsam *elegantiorum litterarum theoriā* spectantibus. Ita enim comparatae sunt *ideae istae*, quarum *indicem tabula offert*, ut si ipsa rei *theoria* oblietur oculis, eas statim agnoscas,

scas, contra ea, si in re quaerenda sint earum obiecta, haec plerumque magis latent, circumstantiis alienis involuta, nominibusque designata propriis et individualioribus. Rationem si quaeras, hanc primariam esse reperies. Facilius est ab individualibus et specialibus ad abstractiora ascensus, quam quidem ab his ad illa descensus, vel ad collateralia transitus. Porro et hoc evenit, ut plerumque plura tabulae capita iunctim reperiantur, quatenus vel in re ipsa inter se connexa sunt, vel eo ordine, eoque nexu succurrunt, quem ipsa lex imaginationis quovis casu alium aliumque suppeditat, vel sequitur. Ita v. gr. iungi inter se quandoque animadvertes

1. Actiones cum modo agendi, et scopo, et effectu, et mediis.
2. Effectus pro variis circumstantiis varios, una cum phrasibus terminisque analogis, effectibus similibus, olimque simul perceptis etc.
3. Mutatum situm, locum, cum mutata adparentia, nexu, circumstantiis etc.
4. Partes integrantes, cum earum nexu, praesuppositis, relationibus, determinationibus fini conformibus, adverbantibus etc.
5. Rationes cum rationatis, in se, vel pro datis circumstantiis, scopis, mediis, medelibus etc.
6. Casus praecipuos, cum eminentibus quibusdam affectionibus rei, phaenomenis etc.
7. Singulis porro his imaginatio, vel similia, vel olim simul percepta, immisceet.

XXI.

Porro utique facilius succedit eorum, quae rem quamvis propositam concernunt; reminiscencia, quoties v. gr. ea quae sunt similia ut similia, quae sunt causae ut causas, quae partes sunt ut partes etc. iam olim cogitati, sive data opera, sive incidenter id factum sit. Contra ea, quoties nova sunt, quae ad extruendam rei theoriam requiruntur, tabula quidem titulos offert, at vero simul totidem existunt problemata prius resolvenda, quam de condenda theoria cogitare liceat. Ponas v. gr. rem, eiusve ideam, compositam esse, utique tabulae columna quarta statim de conquiendis eius partibus integrantibus commonefaciet, similiterque indagandum esse partium nexum, dependentiam etc. reique causas etc. indicabit. At ipsa horum problematum solutio haud aequae facile absolvitur, dantur enim casus quibus intricatissima est. Ut adeo et hinc pateat, topicam rectius reminiscendi, quam inveniendi artem vocari (§. 3.). Nihilominus tamen haud inficiandum est, ita amplificari posse tabulam topicam, ut et specialiora illa complectatur capita, ad quae istorum problematum solutio in casibus specialioribus reducitur. Sic enim utique specialiora dantur, partium integrantium, causarum, relationum etc. criteria, requisita, symptomata, quibus facilius dignoscantur. Haec vero ab Ontologia, curatius exculta, olim erunt expectanda. Interea coronidis loco hoc adiungam, pleraque tabulae capita ea ipsa esse, a quibus haud invita Minerva initium faciet, qui exco-gitandae characteristicae et combinatoriae universali operam navare, viresque ingenii periclitari cupiat.

TOPICES

TOPICES

<i>Nomen.</i>	<i>Idealia.</i>	<i>Ens cogitans.</i>	<i>Res.</i>
In variis linguis	Genesis idearum	Occasio theoriae	Principia efficiendi
Etymologia	Classis idearum	----- examinis	Rationes
Classis nominis	--- Logica	Unde in mentem	Caput, momentum
Significatus proprius	--- Psychologica	venerit?	Determinationes
--- metaphoricus	Ideae simplices	Quis scopus? usus?	Requisita, Symptomata
Ufus speciales	Ideae individuales	momentum?	Materia
Phrases, in quibus	--- in exemplis	Cuiusnam scientiae	Forma
occurrit nomen	Imagines	pars?	Qualitates
Ufus apud varios	Simulacra	Examina instituta?	Diversitates in re
auctores	Typi	Principia cognoscendi?	Uniformitates
Abusus.	Similia certo respectu	Qua ex parte intendenda?	Systema, Partes integrantes
Composita	Ideae affines	Motiva	Partium requisita
Composita	--- coordinatae	Signa, characteres	--- dependentia
Derivata	--- analogae	Criteria, Symbola	--- nexus
Praefixa	--- subordinatae	Praejudicia	--- ad rem relationes
Suffixa	Classes	Rei intuitio	--- vinculum commune
Enclitica	Similitudines	Modus, quo se menti sensibusque imprimit.	Norma, leges, regulae etc.
Amphiboliae	Genera	Admixtae ideae	Status permanentiae
Significatus improprius	Species	Illusiones	Symmetria, Ornatus
Metaphorae	Differentiae specificae	Somnia	Perfectio
Homonyma	Fundamenta divisionum	Phantasmata	Ordo legalis
Metonymiae	Contraria	Errores	--- localis
Synonyma	Opposita	Aliorum de re iudicia	Confusio, defectus etc.
Paronyma	Propria	Sententiae	Gradus intensivi
Epitheta	Essentialia	Reperta	--- extensivi
Antitheta	Praedicata	Quaestiones dubiae etc.	Limites
Sententiae	Subiectum		Homogeneitates
Phrases analogae.	Praedicatum		Dimensiones
	Datum, quaesitum		Unitates
	Identica		Praedominantia
	Problemata inversa		Eminentia
			Affectiones
			Modi, Variationes
			Modus operandi,
			Variatio certo huius

TABELLA SYNOPTICA.

<i>Ens operans.</i>	<i>Relationas.</i>	<i>Concomitantia.</i>
Principia bendi	An res ipsa relatio?	Observata plerumque de re, circa eam etc.
Origo, fontes	Relatio rei ad res	Casus singulares
Ortus, genesis rei	Vinculum, nexus	Exceptiones
----- partium	inter rem et res	Restrictiones
----- nexus	Connexa, dependentia	Conditiones necessariae
Causae concurrentes	Prasupposita	----- arbitrariae
----- accidentales	Dependentia rei a rebus	Status rei externus
Occasio	Coexistentia	Res in qua
Modi efficiendi rem	Inhaerentia	ad quam
Vires	Incorporatio	pro qua etc.
Ineritus, destructio	Antecedentia	Connexa, connexa
Mutatio, alteratio	Subsequentia	Adiuncta, adnexa
Finis, scopus	Simultanea	Admixta, immixta
Requisita ad datum finem	Successiva	Transitoria
----- mediocorum	Influxus	Accessoria
----- materiae	Res affines	-----
----- formae	----- combinabiles	-----
Abusus rei	----- permutabiles	-----
Optimdo, receptivitas	Imagines, typi	-----
Cui bono?	Classis rei et rerum	-----
Media	Obiecta, Subiecta	-----
Caute lae	Mutatio	-----
Motiva	Status praecedens et consequens	-----
Modi quibus res agit	Impedimenta	-----
Effectus propiores	Adiumenta	-----
----- remotiores	Ufus speciales	-----
Sequelae		-----
Ufus, commoda		-----
Damnosa		-----
Resactio		-----

E

DE

DE VI LUMINIS BOREALIS IN COMMOVENDA

acu Magnetica. Auctore IOAN. HENRICO WINK-

LERO, Physices Prof. Publ. Ordin. Coll. Mat. Princ.

Sedale, Acad. et Fac. Philos. Seniore, Soc.

Scientiar. regiae Landm. Socio.

Nuper, cum de commercio Luminis Borealis cum acu magnetica expoluissem, promissionem feci descriptionis, quae disquisitionem exhiberet de vi, qua Lumen hoc acus magneticae commotione efficitur. In declinatione acus occidentem versus, UPSALIAE et STÖCKHOLMIAE, vicissitudinis observatae sum per complures annos in noctibus, quibus Lumen Boreale caelum illustravit. Crevit agistio acus pro auctu Luminis Borealis, et decrevit cum imminuta vi Luminis. Itus et reditus acus declinantis intra breve tempus inter se commutati sunt. Per unum diem nonnunquam extitit insignis horum motuum et redituum reciprocatio. Inter Lumen Boreale et acus magneticae turbationem observati consensus crebritudo effecit tandem, ut WARGENTINVS, cum Anno 1750. die 28. Februarii, circa horam quintam, acus declinationem intra aliquot horae minuta dimidium gradum occidentem factam esse ignorasset, ex hac mutatione oriundum instans nocte Lumen Boreale praedicere consideret. Neque conjecturae defuit eventus.

Quae igitur esse videbitur vis, qua Luminis Borealis materia incitet acue moveat acum magneticam, eiusque declinationem occidentalem modo augeat, modo minuat? Saepe contemplatus luminis electrici, sub campanis vitreis aëre vacuis exortati similitudinem cum Lumine Boreali, in conjecturam incidi, oriri hoc ex materia electrica. Quanta sit utriusque luminis similitudo, et ubi in spatio caelesti reperitur materia electrica, ex qua Lumen Boreale generetur, quin-

quinquennio abhinc explicui, cum illustrata irem sententiam sagacissimi MAIRANI de ortu Luminis Borealis, quæ in vaporibus ex atmosphæra solari Tellurem versus propulsis quaerendum esse existimat. In Programmate, ad indicendam panegyrii academicam publicato, exposui coniecturam de vi electrica vaporum solarium in Lumine Boreali. Conceptam verò de virtute electrica huius luminis opinionem confirmarunt experimenta, quæ, ut certior fierem, institui.

In Observationibus circa turbationem acus magneticæ in Lumine Boreali, quas OLAVS PETRVS HIORTERVS, in Tomo IX. commentariorum Academiae Sueciæ Scientiarum exposuit, sub finem in Scholio commemoratur; WOLFRUM Lumen Boreale pro tempestate fulminea immatura habere; in navibus acum magneticam interdum inquietatam esse per flumina, nunc vero pro certo constare, materiam fulminis atmosphaerici materiae electricæ oppido similem esse, et BENJAMINVM ROBINS in acu magnetica certas commotiones ex vi electricaprehendisse.

Virtutis electricæ tactu cieri acum magneticam ROBINS cognovit, cum ex orbe vitreo, quo acus in pyxide obiecta erat, pulverem abstergeret. Vidit, hoc factò, acum ita moveri, ut per circulum ageretur, eiusque extremitates modo sursum, modo deorsum, ferrentur. Saepius repetito frictu leviori, qui abstergendo existit, electricitatem vitrei orbis ita excitatam esse observavit, ut acui insignis inferretur turbatio. Validius frictu orbe vitreo fieri vidit, ut, quæ fortius attracta esset, acus extremitas, orbi per aliquot minuta adhereret. Hæc ROBINSI tentamina ex Anglicis Transactionibus Philosophicis exposita sunt in Tomo III. Promtuarum Hamburgensis, (des Hamburgischen Magazins) pag. 313.

Haud commemorabo in præsentia experimenta, quæ Anno 1746. monstrarunt mihi gyrationes acuum, quæ in

corpore, quod electricum per se dicitur, collocatae, vim electricam ex corpore electricitatis compote accipiebant. Quae tentando edoctus sum, tradidi in Programmate de Imagine motuum caelestium viribus electricis effeta. Periculum feci nuper in acubus, quibuscum electricitas communicari haud poterat propterea, quod posita non erant in materiis per se electricis. In rasi ferica, sub quo acus magnetica stylo imposita locum habebat, collocavi orbem metallicum, disiunctum ab acu per intervallum trium pluriumque digitorum. Acus neque orbe vitreo testa erat, neque in pyxide conclusa. In orbem metallicum, ope applicatae et ex filis fericis suspensae caenae, derivavi electricitatem, vidi-que gyrari acum, et, conclavi obscurato, ex acus extremitatibus prodire radios lucentes, tantaque celeritate circumverti acum, ut emicantes radii circulum lucidum praebent. Orbi metallico vitreum subieci, observaturus, quid per hunc valeret electricitas. Haud impedivit interpositus orbis, quo minus in gyrum verteretur acus, communicata cum orbe metallico electricitate.

Quaeramus nunc de ratione, qua fiat, ut electricitatis vi affecta acus magnetica motum atque gyrationem subeat. Ne existimemus, rationem positam esse in electricae et magneticae virtutis coniunctione. In gyratione duo consideranda sunt, quorum alterum est motus in orbem, alterum vero directio, qua certam regionem caelique plagam petit acus in motus exordio. Agitatio acus, univarse spectata, non habita ratione determinatae directionis, ex sola vi electrica existit. Stylo acuminato imposui acum ex aurichalco conformatum in speciem magneticae, eamque, tradita orbi metallico electricitate, similiter gyrari vidi, eandemque in eius rotatione observavi celeritatem, quam in conversione ferreae et magneticae vidi.

Cer-

Certe cum acus virtutis magneticæ expers, in gyrum agatur, simulac tangitur vi materiae electricæ in corpore vicino excitata: non est cur ad gyrandam acum magneticam opus esse statuamus adiumento virtutis magneticæ.

Si vero gyrantis acus magneticæ directionem spectemus, sciscitantes, cur, quatenus plagam certam, v. c. occidentalem versus, moveri incipit, acus in hanc potius, quam in orientalem vertatur: ratio posita esse potest in conatu, quo acus ex vi magnetica declinationem occasum versus movetur. Aucto itaque hoc conatu per vim electricam, occasum versus moveri incipiat necesse est acus magnetica.

Acus atrichalceae stylis acuminatis impositæ, in quocunque situ, motum atque gyrationem nanciscuntur ex vi electrica vicini corporis, aliaque occasum, alia ortum versus moveri incipiunt. Quod, uti dixi, documento est, motum, quem acus magnetica in vicinia corporis electricitate ditati subit, quatenus sine directione determinata spectatur, a sola virtute electrica proficisci.

Quod quomodo fiat, ex natura materiae electricæ intelligitur. Haec enim in orbe metallico, qui electricitatis excitatae vim habet, dispersa est, circumque ipsum diffusa et rarefacta: in acu autem vicina densior est, maioremque habet elasticitatem. Per hanc igitur ex acu orbem metallicum versus prorumpit, eiusque atmosphaeram electricam densiorem reddit. Sed hoc ipso acus atmosphaera electrica rarefcit. Ex orbe metallico igitur per auctam elasticitatem redit acum versus. Hisce motibus reciprocis acus facile mobilis agitetur, eaque eius extremitas, versus quam impetus validior existit, propellatur necesse est.

His explicatis, quaeramus de vi, qua commoveatur acus magnetica, cum Lumen Boreale caelum occupat. Ad

agitandam aciem suis idoneam esse cognovimus materiam electricam, si per spatium, in quo acies locum habet, ita dissipata sit et rarefacta, ut, quae in acie hospitatur, eamque circumfluit, materia electrica, nihil offendant impedimenti, quo minus ex acie eiusque atmosphaera in spatium istud elasticitate sua prorumpat. Dispicendum itaque est, num iis ipsis motibus, quibus Lumen Boreale generatur, in spatio caelesti vapores certi fricentur, materiae electricae compotes. Quod si fiat, non est cur dubitemus de oriundis cum Lumine Boreali motibus electricis. Ex solo enim tritu vaporum, quibus materia electrica inhaeret, in atmosphaera terrestri electricitas fulminea existit. Ex atmosphaera solari vapores delabi, qui mixti cum particulis atmosphaerae terrestri Lumen Boreale progignant, sagacissimus eius indagator MAIRANVS, ex phaenomenis Luminis Zodiacalis planum fecit. Hi autem vapores, simulac in regionem Lunae delati eodem modo, quo Luna, gravitate terrestri afficiuntur, lapsu celeritatem continue maiorem adipiscuntur, quae tandem ita augetur, ut aerem nostrum permeare haud possint sine frictione. Vaporum solarium lapsu itaque revera efficitur, quod in excitanda electricitate primum est. Sed hoc ignoramus, an vaporibus solaribus insit materia electrica. Ex segmento tenebricoso, quod inter horizontem et arcum Luminis Borealis continetur, facile quidem intellectu est, vapores solares, quia collecti lumen intercipiunt, perquam similes esse vaporibus terrestribus, quibus materia electrica immixta est. Neque parva est congeries vaporum in segmento tenebricoso. A superficie Telluris saepe amplius centum miliaria germanica distat arcus, quo segmentum tenebricosum comprehenditur. Quod MAIRANVS ex parallaxi arcus demonstravit. Ingers in hac altitudine est aeris raritas. Cum vero nihilominus in hac tanta raritate aeris vapores solares caelum obscurent, eorum in ista altitudine immanem esse multitudinem intelligimus, per quam diffusae particulae electricae magnam copiam efficiant. Si tandem

con-

consideremus perniciousum motum, quo vapores solares particulas aeris nostri vaporosas stringant et terant, in his certe excitari necesse esse videmus electricitatem.

Quantum vel a vero abhorreat, vel cum eo concordet coniectura, declaraturas esse impolterum spero observationes, si magneticae pariter ac vi magnetica vacuae acus, in stylis acuminatis mobiles, in spatio libero, nullis pyxidibus inclusae, posita fuerint. Cum enim materia electrica, quae in acum in pyxide conclusam agit, pyxidem necessario afficiat: in pyxide motus electrici existunt, quibus commotiones acus facile conturbantur. Si foret, ut per caelum diffuso Lumine Boreali, acus magneticae virtutis experta in spatio aeris libero circumverteretur, aut saltem circumversionem moliretur: satis argumenti haberetur, Lumini Boreali inesse materiam et virtutem electricam. E contrario planum foret, huius virtutis nihil inesse in hoc lumine, si nonnisi acus magneticae agitarantur.

Similiter ad explorandam atmosphaerae terrestri electricitatem in tempestate fulminea, adhiberi possunt acus compotes aequae ac impotes virtutis magneticae.

Hoc tentandi observandique studio effectum iri confido, ut, quod solers virium et causarum scrutator KAESTNERUS in scholio NIORTERI observationibus circa acus magneticae commotionem in Lumine Boreali addito, existimat, aliquando in systema redigantur, quae nunc particulatim et sine nexu in praesenti cognita habemus. Alimur spe, qua fretus senserit, Astronomos assidue in observandis Cometis studio praenuntiavit assidue scientiam legum, quibus eorum cursus tenetur. Veniet, inquit, tempus, quo ista, quae nunc latent, in lucem dies extrahat, et longioris aevi dili-

*) In Quaest. Nat. Lib. 7. c. 25.

diligentia. Ad inquisitionem tantorum aetas una non sufficit, ut tota caelo vacet. Quid? quod tam paucos annos inter studia ac vitia non aequa portione dividimus? Itaque per successiones istas longas explicabuntur. Veniet tempus, quo posteri nostri, tam aperta nos nescisse, mirentur.

STRATONIS ALIORUMQUE POETARUM
Graecorum Epigrammata, nunc primum a CHRIST.
ADOLPHO KLOTZIO edita.

Altenburgi ex Offic. Richteriana, MDCCCLXIV.
 plagg. 6. octonis.

Pergit Klotzius V. Cl. bene mereri de bonis litteris, quod non potest non et doctrinae cultioris amatoribus gratissimum accidere, et ipsa augere vehementer et proferre litterarum incrementa. In praefatione, quam huic graecorum Epigrammatum collectioni praemisit, fusius et copiosius, quam certis forte hominibus necessum videbatur, et de se ipso, et de Anthologia graeca, nonnullisque viris doctis, quos tanquam aliquid agendo notavit, disputat. Nihil attinebat multa exponere de Anthologiae fatis, quippe quae narrata esse Klotzius docet a multis aliis, quorum principes affert. Quaedam tamen et ab illis dicta repetuntur. Quis omnino Strato fuerit, ignorare se ingenue Vir doctissimus fatetur. Reiskius existimat vixisse Severi Imperatoris aeo: de quo vir doctus ipse viderit. Nos neque improbamus coniecturam, nec sequimur. Stratonis igitur Epigrammata

mata descripsit Editor e codice Bibliothecae Vindobonensis delato in eam e Schurzfleischiana. Habet carmina CXXVI. Edita sunt tantummodo XL. propterea quod liberius nonnulla scripta visa fuerunt, quam quae edi possent. Sed cum ista nec puellis, nec pueris facile legantur, edi debebat codex ut erat recensitus p. 81. seq. Non solius autem Stratonis, verum et aliorum quorundam Epigrammata, in libello hoc edidit Klotzius. Notulas paucas adiecit; utinam otium fuisset plures, et criticas maiorem, observationes, immo etiam interpretationem addendi. Accessit omnium, quae continentur in codice Vindobonensi, carminum, index, ex quo illa, quae neglecta sunt, intelliguntur. Ceterum dignus est egregius ille praefationis locus, quem adscribamus, ubi Klotzius, (qui quam vehementer amet litteras omnes, et quanto opere earum apud nos incrementum optet, nemo ignorat,) ad Anthologiam graecam edendam hortatur. „Quisquis es certe, inquit, (neque enim continere possum erumpere gestientis animo et pectore voti honestissimi ardentissimique vocem,) quisquis igitur es, o bone, qui et litterarum graecarum peritia polleas, et aliquid agere cupias, quod cum tibi honori, tum omnibus voluptati sit, te hortor, monco, et oro, ut consilium edendae Anthologiae graecae suscipias, strenueque, si Musae tibi adfuerint, quod spero et precor, feliciter exequaris. Suscipies negotium, in quo non solum doctrinae tuae, et ingenii elegantiam, ostendere poteris, sed quod tibi ipsi non exiguam iucunditatem afferet, omnemque illum laborem, (nam non nego arduum esse hoc opus, periculosa plenum aleae, complures tibi difficultates vincendas,) gratissimum reddet. Quot enim leges carmina, omni melle dulciora; quot delectaberis epigrammatibus, quae ipsae Musae

fac Grataeque poetis dictasse videantur. Erit vero haec res tibi summo honori: feret hic labor tibi immortalem gloriam: nos certe favebinus tuae laudi, et cum omnibus bonis doctisque viris ingenio tuo, diligentiae, et doctrinae plaudemus. Quidni et nos ingenio, diligentiae, et doctrinae Klotzii plaudamus, eumque enixissime rogemus etiam hoc loco, ut, spretis hominum male sanorum clamoribus, pergat inoffenso pede tramite eo incedere, quo coepit, de gratitudine posteritatis, deque celebritate nominis, securus.

NOVA LITTERARIA.

Haec est *Transactionum Philosophicarum*, quae Angliam iam per Seculum et amplius nobilitant, praestantia atque dignitas, ut, summo orbis eruditi plausu, a primis inde natalibus, continenter exceptae, nullo sane praeconio, nulla commendatione nostra denuo indigeant. Incundissima enim argumentorum varietate, prudenti delectu, et tractatione solidissima, id facile efficiunt, ut aequa aviditate expectantur ab omnibus, qui, sive Litteris ab humanitate nomen habentibus, sive Historiae Naturali, Physicae, Mathesi, Chemiae, Medicinae, Oeconomiae, etc. colendis perficiendisque professo studio operam impendant, rei, sibi obiectae, fieri quantum potest, plenissimam appetunt et anquirunt cognitionem. Nihilominus tamen secus omnis hic desideratus utilitatis fructus e solis fere earum, hinc et inde dispersis, versionibus, epitomis, aut indicibus tantum, ad hoc tempus nostrum fuit reperendus. Nullus eruditorum privatorum in Germania,

nulla

nulla Bibliotheca publica, forsan et nullus ex magnis nostris Principibus, de eo facile gloriari poterit, se opus hoc, omnino integrum, in cimeliis suis asservare. Quin etiam quam certissime persuasum nobis est, in universa nostra patria, thesauri huius, vere regii, vix tria reperienda esse omnibus numeris absoluta exemplaria. Cuius defectus aut raritatis causae sicuti plures sunt et esse possunt, Anglicae scilicet linguae, ut hoc utamur, usus, extra hanc insulam olim infrequentior; itemque ipsius huius Operis, centenos supra annos prospere continuati, prolata nunc ad tam numerosa volumina vastitas: sic in iis tamen locus quasi praecipuus nimiae Operis caritati, enormique, nostris potissimum in Germania facultatibus, praesus iniquo pretio, videtur assignandus. Contra quam malam causam, quod acerbius dolendum, nullum nec suppetit, nec expectandum unquam est, trans mare natum, remedium. Nam, quamvis ipsa Regia Scientiarum Societas, ab anno euntis seculi tertio et quinquagesimo, haecenus sequutum edendi operis consilium non nihil immutavit, minoribus observationum fasciculis, olim particulatim editis, nunc ordinatius digestis, et in iusta relatis volumina; quo ipso his ephemeridibus, et tutius transmittendis, et sine toties metuenda lacuna colligendis, pulchre prospectum est: de pretio tamen, singulis voluminibus, ad quinque, sex, septem numos unciales (Thaleros) constituto, quam nihil insimul detractum sit, iisdem prope difficultatibus adhuc premimur, omninoque impedimur, quo minus tam voluminosum, tam et praeter necessitatem sumptuosum opus, comparare nobis audeamus. Quid? quod au-

dentes quoque, et nullis parcentes sumtibus, voti compotes non reddimur, omnique diligentia nostra et conquisitione opus integrum colligere non valemus. Neque etiam, quae ex his commentariis in nostram, aliasque linguas subinde translatae sunt, explendis desideriis nostris possunt sufficere. Modo enim disiecta nimis sunt, tantoque corradenda operosius; modo non satis accurate interpretata; modo particulas tantum, hinc et illinc decerptas, et singulares comprehendunt articulos; modo, quod frequentissimum est vitium, non carendo destituuntur tabularum aenearum subsidio; ut nullam universi operis in quam linguam interpretationem, ob innumeras causas, unquam expectandam esse, taceamus. Quae, plurimum coniuncta, eo adigunt harum rerum studiosos ac fautores, ut eiusmodi rhapsodiis, tanquam evisceratis sceletis, Londinensis exempli non mutilatum corpus semper praeoptent, dum illud tamen pretio paullo aequiore veneat. Ut igitur haec publica eruditorum vota ad irritum non cadant, tum ut simul et patriae commodis, et provehendis bonarum artium incrementis, efficaciter consulatur, in societatem coierunt duo paria amicorum, has tabulas signantium, idque unitis viribus collatisque sumtibus se effecturos haud vane sperantium, ut haec toties laudatae Transactiones Anglicanae suis sub oculis emendatissime recudantur, et Londinensi exemplo per omnia simillimae, nec qua pulchritudine sive chartae, sive typi, sive tabularum aenearum, ipsi concessurae, pretio tamen, quod palmarium est, ad duas tertias prope imminuto, subcisivo tempore, stasque intervallis, publicam in lucem proferantur.

tur. In qua re sic versari constitutum est. Ab eo nimirum tempore, quo novam Transactiones formam induerunt, perque volumina coepere publicari, recudendi operis facturi sumus auspiciis. Primum igitur Volumen XLVII. proximo Lipsiensium nundinis autumnalibus, favente divina gratia, probatisque nostris studiis, prodibit; cui deinceps, singulis his mercatibus, sub veris autumnique adventum institui solitis, duo aut tria Volumina, ferie nunquam interrumpenda, succedent. Patrio sermone, ut conscriptae sunt, sic eodem habitu vestituque apud nos describentur; adfatis tamen quibusdam veluti laciniis. Ut enim in communem omnium utilitatem, eorum quoque, qui Anglorum linguam non satis callent, modis omnibus consulamus, singulis Voluminibus summa observationum capita, Latino sermone expressa, additis etiam, si necessitas fuerit, annotatiunculis, praemittemus; quem morem in aliis eiusmodi Commentariis Academicis servari probarique novimus. Promti praeterea paratique sumus, qui in Praefationibus, sequentibus Voluminibus praemittendis, vitas et merita praestantissimorum Regiae huius Societatis Academicorum, breviter quidem, sed pro eo tamen quod satis sit, ad posteritatem commemoramus; quin etiam, monitoribus non asperi, ea lubentissime nostros in usum convertemus, quae viris doctis, et Historiae Literariae amantibus, ad iuvandam amplificandamque instituti nostri utilitatem factura videbuntur, et commode ac tempestive nobiscum communicabuntur: haec tamen pacta aequissima conditione, ut pretium tum ad aliquot grossos augere integrum nobis relinquatur. Ad pretium vero, tantopere, et longe alterum ultra tantum, imminuendum, quum nulla alia, dignitati operis non derogante, via ac conditione perveniri liceat, nisi versibus in charta angustiore eiusdem formae, sed minoribus litteris, paullo pressius ductis; quo compendio tria plerorumque Voluminum, quae librariis dicuntur, Alphabeta, ad dimidiam fere partem contrahentur: id dabimus operam, ut neque operis concinnitati, neque le-

Horum oculis, sic officiat; utque, quod imprimis fragiferum laudari merebitur, exempli Londinensis paginae, in adverso nostri exemplaris margine, suis numeris accuratissime, ad citandum secure ac commode ex ectypo archetypum, exprimantur. Cuius utriusque, sicut universi nostri apparatus specimen, hac tabula oculis tuis L. B. subiicimus; unumque hoc tandem addimus et recipimus, de tabularum, aeri incidendarum, numero, forma, elegantia, atque repraesentatione picturarum exactissima, nihil omnino iri mutatum aut circumcisum; licet earum saepe quindecim et ultra cuique Volumini sint additae, suntque et labores infumendos magno opere adaugeant.

Quodsi vero hoc institutum nostrum eiusmodi plane est, ut sine magnis sumptibus suscipiendum, prosperoque successu ad speratum exitum perducendum non sit, aequitati certe consentaneum abs iustis habeatur rerum arbitris, non omne, quod forte subeundum sit, operam et impensas nostras perdendi periculum, solis nostris capitibus esse relinquendum. Quare viam satis commodam atque frequentatam, *Subscriptionis* librariorum consuetudo vocat, et nobis ingrediendam esse, nemo non ultro intelliget. Te igitur L. B. omnesque Tui similes, qui promovendis litterarum incrementis, nostrisque adeo conaminibus bene cupiunt ac favent, ad opem nobis ferendam, festinandamque, appellamus, quaeque par est observantia et humanitate rogamus, ut nomina atque dignitates vestras, vel apud nosmet ipsos, vel apud spectatissimos quosque Germaniae Bibliopolas, indicato simul desideratorum exemplarium numero, maturo, saltem ante nundinarum Lipsiensium, proximo quae intant, exitum, vestro tamen admodum modico impendio, velitis profiteri. Tanto alacrius, tanto maiore cum fiducia, de calculis vestris adiectis certiores facti, ad rem propositam adgrediemur, et
vestra

vestra, operis nostri promotorum, amplissima nomina, eius in fronte, in tesseram gratorum animorum, inscribemus. Constituimus autem singulis Voluminibus, nostra cura recudendis, pretium unius Solidi Imperialis, sive Thaleri, cum XX. grossis, monetae nostrae argenteae, per pacta conventaque publica probatae; contra quam paratam, aut nobis iam numeratam pecuniam, qui operi nostro rite subscripserint, dictis Lipsiensium mercatibus, descripta exemplaria, e manibus nostris, emaculatissima, et sine nova impensa, in ipsa urbe Lipsiensi accipient. Ad illos autem, qui duodecim exemplaribus sua nomina dederint, tertium et decimum exemplar, in aliquam remunerationem praestitae nobis operae, gratuitum perveniet. Ceteri vero omnes, qui ad constitutum tempus, et ante diem octavum mensis Maii, se nobis adiumento futuros esse non significaverint, omnemque fortuiti periculi partem prudentiores, si vis, recusarint, illi tarditatis, aut si mavis diffidentiae suae, poenas non iniuitas dabunt, et singula Voluminum exemplaria, numeratis duobus Solidis Imperialibus, sive Thaleris, cum dimidio, rediment; de quo pretio, opere iam incepto, nihil deinceps remitti poterit. Quo igitur luculentius ex acquisitissimis his conditionibus apparebit, non alicuius lucelli causa, etsi in se honestissimi, et non sine sudore parandi, sed maxime hoc fine, ut bonas artes atque scientias ad maiora provehamus incrementa; ut, pro virili quoque parte nostra, patriae nostrae dulcissimae, Angliaeque ipsius, virtutibus suis ac meritis in omne scientiarum genus dudum praeclarissimae, dignitati atque honori, si non amplificandis, sustentandis tamen, deserviamus, ad opus tanti momenti tentandum nos accessisse: tanto confidentius fore speramus, ut conatus hos nostros secudent, et ad maiora nos aliquando excitent, qui Maecenates, qui Musarum praesidia et dulcia decora magis esse, quam videri ac laudari, ament; quique haec ipsa litterarum studia, quae adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adver-

sis per fugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur, non attigerunt modo, sed suo etiam sensu degustarunt.

P. P. in Universitate Wittenbergensi, ineunte Anno S. R. c^o 13 c^o cclxviii.

D. GEORGIVS AVGVSTVS LANGGVTH,
D. GEORGIVS RVDOLPHVS BOEHMER,
IOANNES DANIEL TITIVS,
D. IOANNES ERNESTVS ZEIHERVVS,

Medicinae et Philosophiae Professores Publici Ordinarii, Societatis Oeconomicae Lipsiensis Sodales Honorarii.



N. II.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae
Calendis Februarii Anno MDCCLXVIII.

DE SATELLITE VENERIS: AVCTORE MAXIMILIANO HELL e S. I. Astronomo Caesareo-Regio Universitatis Vindobonensis.

Non semper ea sunt, quae videntur; decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit
Quod interiore condidit cura angulo.

Phaedrus in Prologo ad Lib. IV.

AD LECTORES MONITA.

Cum materia isthaec, novem annis a me silentio pressa, quam nunc e causis §. I. relata vulgare cogor, adeo delicata sit, ut a tempore centum aliquot annorum, quo nempe *cel. D. Franciscus Fontana* Satelles Veneris primum visus est, ad hoc usque tempus, quo haec seribo, nemini, quod sciam, Astronomorum aut Opticorum, meus hic modus phaenomenon hoc singulare explicandi in mentem venerit; adeo autem modum hunc meum verissimum exhibeam, ut, qui mea haec animo attento legerint, experimenta a me facta, et relata repetierint, omnino affirmare audeant, illos, qui Satellitem hunc aliquando viderunt, deinceps autem videre non poterunt, aut eos, qui hucusque in vanum per tubos optimos in hunc inquisiverunt, et visuros deinceps semper, et una mecum in eandem sententiam, abituros. Et quoniam is, qui contra

G

com-

communem sententiam rem quamquam novam typis divulgat, Lectores et Iudices per saepe nescitur, qui aut animo sunt praecupato, aut praecipitantis iudicii, aut non sufficiente instructi scientia, aut experientias deliciores instituendi destituti peritia, aut denique sententias suas ante pronunciare amant, quam ipsimet ea periclitentur, quae periclitanda praescribuntur, hinc sequentia monenda duxi Lectores quospiam.

I. Iudicium de veritate a me proposita tandiu suspendere velint, donec ad finem usque *omnia* attento, ut par est, animo haec mea evolverint; nec satis, ubi scriptum hoc meum semel legerint, suadeo iterum relegendum; quae secunda lectione, opinor ea dissipanda dubia, quae ipsis in prima lectione fortassis oborta sunt; saepe enim evenire scio, ut nos nonnulla fugiant legendo, quae tamen dicta sunt; aut e dictis facile colliguntur. Et mihi nonnunquam mos est, paucis complecti plura, eaque, quae tantum quibusdam patere volo, quaeque amplioribus ostendenda forent dissertationibus, paucis edicere lineis; cuiusmodi locus quidam habetur in Ephemeridibus meis anni 1765. prima fronte fat quidem paradoxus, attamen a nemine, quod sciam, adhuc animadversus.

II. Eorum neminem mihi audiendum esse arbitror, qui contra has meas demonstrationes scripserit ante, quam ipsimet experientias meas, hic relatas, cum iisdem circumstantiis caute periclitatus fuerit: non enim illico falsa pronuncianda sunt, quae prima fronte paradoxa videntur, sed in his, quae ab experimentis pendent, ipsaomet propositae experientiae repetendae sunt, num ita se habeant, ut referuntur, et si quidem ita habere noscuntur, videndum, an modus has explicandi propositus ipsis recte tribuatur, quod si non convenire videatur, id ipsum non solum rationibus, quae saepe experimentis rite institutis contraria sunt, sed experimentis recte factis ostendendum: hanc, et non aliam, Scientia Optica admittit methodum. Ei ergo, qui contra haec mea, sua quaequam dubia scribere meditatur, primum omnium ostendere incumbet, experientias a me relatas, a se exacte, ut praescribuntur, repeti-

tas fuisse, et aut falsas, aut, si rectae sint, hoc in casu huius Satellitis non recte applicatas esse.

III. Persuados velim Lectores, ut ipsis facile ex hoc meo scripto pateri poterit, me fere omnia legisse, quae haecenus de hoc Satellite Veneris vulgata sunt, plurima autem etiam in scriptis habere, quae nondum publico constant: quapropter, etsi dissertationes, scripta, litteras, ipsaque Auctorum nomina etc. non referam, inde nullum formare audeant argumentum, me haec ignorasse; nam ea non ignorantur, quae humanitas et modestia suadent premissa silentio. Hinc nihil dico de litteris *Celeberr. Domini de la Caille* responsoriis ad meas, quibus eidem secreto meam hanc demonstrationem olim communicaveram, quamque et probaverat admodum, et confessui Academico Parisiensi illico praelegisset, nisi altum ab eo silentium rogassem; nihil refero de manuscripto quodam *Domini Montaigne*, quo ille ad veterem illam meam demonstrationem, post mortem *Domini de la Caille* ad se relatum, respondet; nihil de litteris *Domini Wargentin*, hac in materia ad me datis; de litteris quoque *celeberr. Domini Messier* pauca; nihil etiam de litteris Parisi nostri *la Grange*, quibus me certiore reddidit, Satellitem hunc Veneris sibi nunquam visum; nihil de dissertatione *celeber. Domini de Mairan* in hac materia, de dissertatione *Illustr. Domini de Baudouin*, Berolini cum notis in idioma germanicum a *celeber. Domino Ricciardo* versa et edita nihil, etc.

IV. Me hic publicam fidem facere, quemadmodum §. I. aio, nolle me hoc scripto meo tot praestantissimorum et celeberrimorum Astronomorum visiones, observationes, et dissertationes, itemque illustrissimarum Academiarum approbationes huius Satellitis, aut in dubium vocare, aut impugnare; suo itaque in pretio relinquo omnes aliorum observationes etc. id unum ago, ut measinet circa hunc Satellitem visiones, tametsi similes visionibus aliorum, demonstrarem esse illusiones opticas elegantissimas, nec facile detegendas, aut explicandas, nisi eo, quem demonstraturus sum, modo.

V. Denique Lectorem suppono Opticae, Dioptricae, et Catadioptricae gnarum; nam his potissimum demonstrationibus,

bus, quae passim in libris opticis reperiuntur, supersedeo, propositionesque tanquam in opticis demonstratas assumo; id solum moneo, focum *compositum* radiorum refractorum, me vocare focum illum, qui oritur aut ex combinatione duarum lentium, quarum una intra focum alterius collocatur, aut eorum lentium quae inaequalis sunt convexitatis; focum item radiorum reflexorum *representativum obiecta*, vocare illud punctum, in quo oculus constitutus se ipsum in lente aliqua clare videre potest, si nempe lens sit obliquata, et oculus illuminatus; dumque ago de distantis horum focorum, nolui, ut existiment, me adeo praecisas indicare velle distantias, ut nihil praecisius; hinc dum dico, in *semiradio*, aut in *quarta parte diametri* convexitatis, vel concavitatis, id solum velim intelligi *circiter*, aut *proxime*, quemadmodum omnia experimenta optica poscere videntur, quae praecisionem mathematicam omnino respuunt.

DE SATELLITE VENERIS.

§. I.

Motiva scribendi de hoc Satellite.

Celeberrimus Veneris ante discum Solis transitus Anno 1761. die 6. Junii observandus, occasionem, ni fallor, praebuit sedulis Observatoribus, etiam in Satellitem Veneris, a *cel. Cassini*, et *D. Short* olim visum, serio inquirendi. Ipfus ego, cui meamet visiones iam anno 1757. habitae perquam bene notae erant, monitum ad Astronomos addidi in discursu meo typis dato 1760. de *singulari Phaenomeno Transitus Veneris*, Ephemeridibus meis Anni 1761. praefixo, in quo aio: „Tubo excellentiore tam pridie observationis, quam „ipsa die Transitus, discus Solis saepius contemplandus erit, „an non fortassis alia quaequam macula minor, et bene rotunda, sive in eandem, sive in contrariam motui Veneris partem, attamen aut motu Veneris celeriore, aut saltem „aequa-

„aequali, (sed non tardiore,) lata, in disco Solis conspiciatur, quam maculam dicto motu praeditam Satellitem Veneris esse oporteret, qualem nonnulli se quondam in aliis circumstantiis vidisse putabant.“ Hoc meum monitum Parisiis ab ardentioribus Observatoribus lectum, occasionem nonnullis, ut arbitror, dedit, exquisitis tubis in eundem Satellitem, quem supra relata mea verba ultima in dubium vocabant, iam ante Transitum Veneris inquirendi, et siquidem detegeretur, orbi litterato inventionem eius quantocius significandi.

Inter ardentissimos hosce Astronomos *Illustr. doctiss. ac cel. D. Baudouin*, Astronomiae et cultor scientissimus, et Promotor maximus, constructo tubo 25. ped. dioptrico, pro usu Transitus Veneris parato, Venerem iam circa finem Aprilis 1761, causa huius Satellitis contemplari coepit; verum, ut socios quoque huius inquisitionis sibi deligeret, eadem de re *cel. D. Delépine*, Secretarium perpetuum recens Lemovicis erectae Academiae Agriculturae, admonuit. Is communicato consilio cum *D. Montaigne*, Astronomo eiusdem Academiae celeberrimo, eidem persuasit, sociam ut operam *Illustr. D. Baudouin*, in detegendo hoc Satellite praestaret. Et vero, (ut infra referam), tubo dioptrico 9. pedum, primum die 3. Maii h. 9. m. 30. vespere, dein iterum 4, 7, et 11. Maii simile quiddam Satelliti Veneris a se visum et observatum esse, *Illustr. D. Baudouin* perscripsit Parisios *D. Montaigne*.

Observationes hae examini severiori praestantissimorum Astronomorum *Illustr. Academiae Regiae Scientiarum Parisinae* traditae, primum quidem, (ob metum illusionis cuiuspiam opticae,) plenam et indubitam approbationem non tulere; at dum *Illustr. D. Baudouin* excellentem suam dissertationem in consessu Academico praelegisset, in qua (ex suppositis observationibus *D. Montaigne*,) huius Satellitis et motus periodicus, et locus nodi, et inclinatio orbitae ad Eclipticam iuxta rectam Astronomiae notitiam determinabantur, atque una et observatio die 11. Maii iterum facta, eandem Theoriam confirmaret, tum et dissertatio *Illustr. D. Baudouin* meritam ab Academia approbationem, et observatio-

tiones *D. Montaigne*, illusionis alicuius opticae, quae subrepfisse metuebatur; expers declarata fuit; ut videre licet in calce dissertationis ab *Illustr. D. Baudouin* typis data, cui titulus: *Mémoire sur la découverte du Satellite de Venus, et sur les nouvelles observations, qui viennent d'être faites à ce sujet, etc.*

Habita hac Illustrissimae Academiae Parisinae approbatione, et declaratione novi huius Satellitis, qua eius existentia haecenus dubia, iam extra dubii aleam ponebatur, nihil erat super, quam ut typis expressa cum omnibus totius orbis Astronomis communicaretur, hique admonerentur, ut in Transitu Veneris diei 6. Iunii 1761. in quo spes erat videndi Satellitem in disco Solis Venerem comitantem, diligenter in eundem in Solis disco inquirerent. Quare primum quidem per novellas detectio haec *D. Montaigne* illico publicata, deinde impressis et transmissis exemplaribus elegantissimae dissertationis *Illustr. D. Baudouin*, etiam confirmata est.

Huius egregiae dissertationis Exemplar, circa finem Iunii 1761. benevolentia ipsiusmet *Illustr. Auctoris D. Baudouin*, qua commercio suo literario, mihi perquam honorifico, initium dederat, obtinui. Quanto cum gaudio dissertationem hanc acceperim, ii facile assequantur, qui intellexerint, 1) me iam ab anno 1757. simile phaenomenon circa Venerem vidisse saepius; 2) me certum fuisse, visiones has meas fuisse illusiones opticas elegantissimas, eiusmodi, quales infra demonstrabo; 3) me ante dissertationem hanc non obtinuisse observationes *D. Montaigne*, sed sola fama intellexisse, observationes has *D. Montaigne* adeo certas declaratas fuisse, ut de existentia huius Satellitis nullum amplius dubium superesse posset. Haec sane erant, quae maximum in animo meo desiderium, dissertationem eam legendi, excitarunt; legi igitur, atque relegi saepius, attento, ut merebatur, animo; observationes *D. Montaigne* cum meis visionibus comparavi, tum easdem cum visionibus *D. Cassini* antiquis, et *D. Short* recentioribus, etiam contuli: cumque viderem meas visiones his similes fuisse, certusque essem, meas observationes fuisse illusiones opticas elegantissimas, nec facile detegendas, illico demon-

Demonstrationem meam, infra explicandam, methodumque, qua illusio haec efformatur in retina oculi, ad *D. de la Caille* 1^{ma} Julii 1761. secretis ad eum litteris compendiose perscripsi, bina eundem rogando: primum, ut hanc meam demonstrationem sub naturali secreto cautissime haberet, nullique omnino hominum manifestaret ante, quam a me facultatem communicandi acceperit; dein, ut mentem suam de explicatione hac mea huius illusionis mihi candide aperiret, num eam rectam censeret, an secus? Et vero in utroque amici officium praestitit: primum quidem, quia secretum hoc per septem menses diligentissime custoditum suo intulit tumulo, mihi non sine dolore commemorandus immortalis *de la Caille*, Anno 1762. Mense Martio mihi, orbique literato, fatali morbo ereptus: dein et in hoc, quod demonstrationem hanc meam non modo ut rectam approbavit, sed etiam Illustrissimae Academiae Scientiarum Parisinae a se illico communicandam fuisse, nisi eundem de silentio servando rogassim, binis ad me datis testatus est litteris.

Intellecta morte intimi huius mei Amici, de litteris his meis, atque nonnullis aliis secretioribus ad diversas scientiarum materias spectantibus, sollicitus, ne in publicum me inficio spargerentur, litteras illico ad alium meorum Amicorum Parisios dedi, rogando eundem, meas a me eidem indicatas litteras ab haerede scriptorum *de la Caillanorum* ut sibi vindicaret, easque secreto servaret; accepto responso, securus omnino de secreto reddebar. At haud diu securo mihi esse licuit. Nam anno 1764. Mense Martio fascem obtineo, Parisiis mihi missum, in quo praeter caetera, copia mearum illarum litterarum secretarum ad *D. de la Caille* 1^{ma} Julii 1761. de Satellite Veneris datarum, in Gallicum etiam sermonem versarum, una cum responso quodam ad has a *D. Montaigne*. continebatur. Tum enimvero intellexi, secretas has meas litteras, modo mihi incognito, iam in manibus plurium versari. Quapropter datis ad *Illustrissimum, doctissimum, atque celeberrimum D. Baudouin* litteris, eidem mentem meam de typis vulganda a me demonstratione hac mea candide aperui,

aperui, si ita *Illustr. D. Baudouin*, (cuius potissimum causa, quam in dictis secretis litteris indicavi, demonstrationem meam tam diuturno pressi silentio,) ratum gratumque haberet. Et vero acceptis humanissimis *Illustrissimi huius Domini* litteris, non modo sibi divulgationem meam gratam fore significavit, verum etiam magnopere me exhortari dignatus est, ut ideas meas, meas visiones, experientias, et demonstrationes huius illusionis, communes facerem, quibus veritas tandem detegeretur, aut de existentia reali Satellitis, aut illusionis optica eiusmodi, qualem ego in dictis litteris demonstraverim.

En igitur causam et motivum vulgandae meae huius demonstrationis. Sed neque ea sola est causa, quae me ad scribendum impulit: maiora sunt, eaque gravissima motiva, quarum inter maximum est, ut exortae liti de existentia huius Satellitis, (quae iam ab anno 1645, quo primum *cel. D. Francisko Fontana* Neapoli vilis est, ad nostra usque tempora, per annos centum et viginti, Astronomos inter durat,) aut lumen dirimendae afferreim, aut potius, ut mihi blandior, finem imponerem.

Et vero, si mecum reputem, plurimos a praestantissimis Astronomis causa huius Satellitis susceptos labores, seu observationes diuturnas, irrito conatu factas, quibus a pluribus hunc detegendi cupidus plurimum impensum est temporis; seu dissertationes et calculos super quasdam visiones factas; seu alias, quibus in causam tam rarae huius Satellitis apparitionis inquirebant: iniuriam profecto erga publicum me futurum existimabam, si ideas meas, measmet visiones, atque demonstrationes meas, diutius apud me silentio premerem, quibus tamen revelatis, veluti velo reducto, pateret illico mysterium totius historiae Satellitis huius. Satis sit per annos omnino novem tacuisse, et veluti occultum spectatorem litium recentium, atque curiosum lectorem tot scriptorum eruditorum me egisse haecenus.

Ne autem quis existimet, velle me hoc meo scripto, tot praestantissimorum et celeberrimorum Astronomorum visiones, observationes, et dissertationes, itaque Illustrissimarum

cum Academiarum approbationes huius Satellitis aut in dubium vocare, aut impugnare, iam modo publica fidei facio, me suo in pretio relinquere omnes aliorum observationes, quas fide integra recensbo, inique omnem honorem et venerationem sapientissimis iudiciis illustrium virorum, et Academiarum, circa hunc Satellitem ante hac typo datis habere; sed id unum agere, ut meamet circa hunc Satellitem visiones, etsi persimiles visionibus aliorum Astronomorum, et demonstrarem esse illusiones, et viam ostendam, qua deinceps Observatores, si iterum quid simile se videre putaverint, inquirere possint, an illi fuerint, an vero realem viderint Satellitem.

Ut igitur rem ordine exsequar, referendae mihi primum sunt observationes omnes mihi notae huius Satellitis, a variis Astronomis factae, ducto principio ab *Illustr. D. Dominico Casini*, ad praesentem annum usque; tum meamet recensbo visiones; ac tandem visionum mearum modum, et demonstrationem subiungam: quibus perfectis, media proponam, et meas visiones ab aliis Astronomis instituendi, et per proprias experientias in rei veritatem inquirendi.

§. II.

Relatio observationum Satellitis Veneris a cel. D. Dominico Casini habitarum.

Etsi *Illustr. D. Franciscus Fontana* celeberrimus Neapoli Mathematicus, in suo scripto, *Novae caelestium terrestriumque rerum observationes*, memoriae prodiderit, a se Satellitem Veneris ter visum fuisse; primum, supra partem disci Veneris lucidam, dein supra obscuram, et vice versa proxime ad cornua Veneris crescentis: quia tamen illustris hic Vir id temporis vixerat, quo tibi nondum suam perfectionem obtinuerant, facileque ex imperfectione tibi illatio quaedam optica subrepere poterat, hinc prima huius Satellitis observatio, cui maior fides habenda sit, tribuitur *Celeberrimo*

rimo *D. Dominico Cassini*, Astronomo illustrissimae Academiae Scientiarum Regiae Parisinae, qui, ut in Actis huius Academiae Tomo VIII pag. 181. habetur, primum Anno 1672, iterum 1686. phaenomenon quoddam simile Satelliti Veneris se vidisse affirmabat. En ipsa verba illustris Viri, quae in Actis supra laudatis habentur.

„Anno 1686. die 28. Augusti, a. hora 4. m. 17. mane, contemplando Venerem tubo dioptrico 34. pedum, vidi in distantia a Venere trium quintarum diametri Veneris, orientem versus, lucem quandam informem, quae phasim Veneris imitari videbatur, cuius pars obscura occidentem versus spectabat; diameter huius phaenomeni, seu apparentiae, erat fere aequalis uni quartae parti diametri Veneris. Similem apparitionem, quae phasim Veneris imitabatur, iam videram die 25. Ian. Anni 1672. post horam sextam matutinam et 52. minuta, usque ad horam septimam et 2. minuta, dum lux maior crepusculi hanc apparentiam invisibilem fecit. Phasis Veneris tunc erat cornuta, et phasis huius phaenomeni, cuius diameter videbatur esse una quarta diametri Veneris, pariter cornuta videbatur esse; distabat a cornu australi Veneris una diametro Veneris occidentem versus.

„In his duabus observationibus, subiicit *Cel. Cassini*, dubito, an non haec binae apparitiones fuerint Satelles verus Veneris, cuius superficies non satis apta foret ad lucem sufficientem reflectendam, et qui eandem circiter proportionem haberet ad Venerem, quam habet nostra Luna ad Tellurem. Verum, etsi plurimis et diversissimis temporibus post has visiones in hunc Satellitem inquisiverim, quibus tanti momenti detectionem per certas observationes continuandas inchoarem: hoc tamen phaenomenon nunquam deinceps videre potui, idcirco meum de hoc Satellite iudicium suspendo.

Hucusque observationes Illustris D. Dominici Cassini.

§. III.

*Relatio observationum Satellitis Veneris a Cel. Domino Short
in Anglia habitatum Anno 1740.*

Promulgata hac *Illustris D. Cassini* visione huius Satellitis, facile assequi licet, quam ardens in animis plurimorum Astronomorum, Satellitem hunc videndi, et detegendi, accensum sit desiderium, quamque assiduo labore, et optimis in circumstantiis, per optimos quoque tubos, Venerem, causa huius Satellitis, contemplati fuerint. Ipsi *D. Cassini*, ut supra retuli, sedulus huius Satellitis, quoad vixit, investigator erat, et quod maxime mirum, ipse *Illustris Bianchini*, a plurimis circa Venerem novis detectis apparitionibus celeberrimus, tubo 100. pedum Venerem contemplans, nunquam tamen Satellitem hunc detegere potuerunt ad annum usque 1740, quo iterum *D. Short, Anglo*, visus est. Industriam igitur, et patientiam exercitissimorum Astronomorum per integros 54. annos luserat visio Cassiniana supra relata. *D. Short* autem observationes, ut in Actis *Illustr. Academiae Regiae Scientiarum Parisinae* ad Annum 1741. e litteris *Dominici Turner*, Londino ad *D. Cassini* datis, referuntur, ita habent.

„Londini Anno 1740. die 3. Novembris, mane, ope telescopii Gregoriani 16½ pollicum Londinensium, aërentis obiecta 50. vel 60es, *Dominus Short* contemplando Venerem, primo vidit, haud procul a Venere, lucem quandam per modum fixae minoris, dein vero applicando lentes oculares maioris augmenti, una cum micrometro, ad idem telescopium, reperit fixae huius a Venere distantiam esse 10'. 20": quoniam autem id temporis Venus clarissima luce fulgebat, coelum etiam sudissimum erat, ideo lentes oculares tripli aut quadrupli augmenti respectu priorum, id est augmenti 140, huic tubo aptavit, per quas non sine admiratione intuitus est, stellam illam minorem habuisse phasim, et quidem similem phasi Veneris; diameter illius erat paullo minor, quam una tertia diametri Veneris, lux debilior quidem luce Veneris, attamen bene terminata; circulus maximus per centrum

Veneris et Satellitis transferis, (nam alio modo vix determinari poterat,) fessit cum Aequatore angulum circiter 18. vel 20. graduum. Satelles respectu Veneris aliquantum erat versus septentrionem, et in ascensione recta antecedens Venerem. *Dominus Short* fere per horam, diversis vicibus, et per diversa telescopia, Satellitem hunc contemplatus est, usque dum lux nimia crepusculi matutini lucem huius Satellitis exstinxisset. Haec relatio habetur e litteris *Dominus Turner*, Londino die 17. Iunii 1740. ad *Dominum Coste* datis; post hanc apparitionem *Dominus Short* deinceps phaenomenon hoc nunquam se videre potuisse, adhibito etiam insigni telescopia pedum 12, factus est.

ANIMADVERSIONES

In observationes Domini Casini et Domini Short.

- I. Si haec *Dominus Short* visio cum visione *Illustris Casini* §. II. relata conferatur, patet, ab utroque hoc Observatore visam fuisse phasim huius phaenomeni persimilem phasi Veneris, quam id temporis exhibebat.
- II. Diametrum huius phaenomeni a *D. Casini* aestimatam esse unam quartam diametri Veneris, a *D. Short* autem unam tertiam.
- III. Distantiam eius a Venere *D. Casini* visam fuisse tres quintas diametri Veneris orientem versus, *D. Short* autem 10. 20. septentrionem versus.
- IV. Phaenomenon hoc *D. Casini* apparuisse sub luce informi quidem, attamen Phasim Veneris aemulante; *D. Short* autem apparuisse distincta luce, et bene terminata.
- V. Observatio a *D. Casini* facta est tubo dioptrico 34. pedum; a *D. Short* tubo reflectente Gregoriano 16½. pollicum Angl. augente obiecta 240es.
- VI. *D. Casini* unicum hunc tubum 34. pedum adhibuit, cum eadem lente oculari; *D. Short* non modo per lentes varias diversi augmenti, sed etiam per telescopia diversa, (attamen Gregoriana,) contemplatus est phaenomenon.

VII.

VII. *D. Casini* phaenomenon hoc 1686. solum per 4. vel 5. minuta temporis conspexit, anno autem 1672. per 10. fere minuta temporis; *D. Short* contra per integram fere horam contemplabatur. *D. Casini* vidit illud bis diversis annis; *D. Short* autem tantum una die Anni 1740.

§. IV.

Relatio Observationum Satellitis Veneris Domini Montaigne Lemovicis 1761. habitarum.

Post *Cel. Domini Short* Anno 1740. habitam visionem Satellitis Veneris, usque ad annum 1761. per ipsos viginti annos, nulli omnino etiam exercitatissimorum Observatorum, ne quidem ipsi *D. Short*, visum fuisse hoc phaenomenon, quod quidem vulgatum fuisset, certum est. Anno igitur 1761. quo die 6. Junii celeberrimus Veneris ante discum Solis transitus observandus praestolabatur, et *D. Casini* et *D. Short* vetus visio, et fortassis mea supra §. I. indicata monitio, animos quorundam Galliae Astronomorum novo desiderio Satellitem hunc detegendi accendit; quos inter *Illustrissimus, doctissimus, ac celeberrimus D. Baudouin*, id temporis Regi Galliarum a Consiliis, et Academiae rectoris Lemovicis erectae Protector eximius, maximo flagrabat desiderio, in eundem Satellitem, si quis daretur, iam ante transitum Veneris tuis optimis inquirendi. En ipsam totius historiae seriem, excerptam e Dissertatione, singulari cum Astronomiae noticia, ab ipso *Illustrissimo D. Baudouin* conscripta et typis data, cui titulus est: *Mémoire sur la Découverte du Satellite de Venus, et sur les nouvelles observations, qui viennent d'être faites à ce sujet; lu à l'Académie Royale des Sciences le 20. May 1761. par M^r. Baudouin Conseiller au Grand Conseil.* In qua Dissertatione *Illustrissimus D. Baudouin* ita refert:

„Occupatus cum Planeta Venere, fabrefieri curavi tubum 25. pedum, ad observandum Veneris transitum die 6. Junii, et ad quaerendum Satellitem Veneris, per mensem Aprilem et Maium, cuius indicia in Actis Academiae legi-

De hoc meo proposito certiore reddidi die 25. Aprilis *Dominum Delépine*, Secretarium Societatis Lemovicensis, a *Domino Paisot* ante duos annos erectae. *Dominus Delépine*, amore profectus Scientiarum accensus, propositum hoc meum illico communicavit cum *D. Montaigne*, Membro Academiae Lemovicensis, eidemque persuasit, sociam ut mihi iungeret operam. Principio, quoniam exiguam fidem de existentia huius Satellitis habebat, animum haud magnum praese tulit, ad haec observationes et inquisitiones serio instituendas, quas irrito conatu tot tantosque suscepisse viros noverat. Verum, quae non admiratio eum tenuis, postquam die 3. Maii hora 9. et $\frac{1}{2}$. vespertina, tubo 9. pedum, Venerem contemplantando conspexit in distantia 20. minutorum a Venere, lucem debilem, phasim Veneris ex eadem parte acmulantem, cuius diameter apparebat una quarta Planetae primarii (Veneris). Linea ducta a Venere per Satellitem, faciebat infra Venerem cum suo circulo verticali angulum circiter 20. graduum meridiam versus. Prima haec observatio, licet saepius repetita, nondum omne dubium sustulit *Domino Montaigne*, an non fortassis phaenomenon hocce foret stella quaedam fixa minor.

Die sequente, hoc est 4. Maii, item hora 9 et $\frac{1}{2}$ vespere, *Dominus Montaigne*, uti die antecedente, conspexit idem astrum a Venere aliquanto magis, id est 30. secundis vel uno minuto distans, quam pridie, faciens cum verticali angulum 10. graduum infra Venerem, sed ex parte septentrionis, quasi Satelles percurrisset arcum 30. graduum circuli, cuius centrum foret Venus, et radius esset 20. minutorum. Mutatio haec situs Satellitis, motui Veneris attribui non potest, quia motus Veneris in longitudinem intra 24. horas erat circiter 20. minutorum; si igitur astrum, de quo hic agitur, fuisset stella fixa, die sequente reperiri haud potuisset in eadem a Venere distantia, sed elongata duplo circiter spatio, respectu diei prioris. Observator isthuc praestolabatur diem sequentem, nempe 5. Maii, quo certis experimentis se ipsum convinceret, Satellitem a se visum, esse verum, ac realem; qua-

quapropter eadem hora (9. et $\frac{1}{2}$) se iterum ad observandum contulit, sed nebulae horizontis rariores, ad altitudinem usque Veneris protensa, circum Venerem atmosphaeram quamdam efformavere adeo, ut sola tantum Venus conspicua fuerit. Die 6. pariter coelum haud erat serenum.

Impatentia Observatoris nostri hoc tempore haud parum aucta est, dum tandem die 7. Maii eadem hora 9. et $\frac{1}{2}$ vespertina, ut diebus antecedentibus, iterum conspiceret Satellitem, sed iam supra Venerem ex parte septentrionis versantem, et distantem a Venere 25'. vel 26'. sub linea, quae ad partem dextram Veneris cum circulo verticali angulum fecit 45. graduum. Lux Satellitis apparebat in omnibus his observationibus debilis, forma huius semper referebat phasim similem phasi Veneris; idem Satelles apparebat semel in tubo tam cum, quam sine Venere; tubus erat 9. pedum dioptricus, augens diametros obiectorum 40 aut 50es.

Huc usque observationes Domini Montaigne descriptae in laudato Mémoire Illustr. Domini Baudouin, e quibus ea elementa huius Satellitis, suppositis observationibus D. Montaigne rectis, cum insigni Astronomiae peritia deduxit Illustr. D. Baudouin, quae in eodem Mémoire leguntur, quaeque a me hic praetermissa nemo vitio dabit, utpote ad finem meum haud pertinentia.

Denique idem phaenomenon *Cel. Dominus Montaigne* conspexit die 11. Maii, sub horam 9. vespertinam, tubo eodem: quae observatio communicata cura *Illustr. D. Baudouin* occasionem praebuit conscribendae novae Dissertatiunculae, sub titulo: *Remarques sur une quatrième observation du Satellite de Venus, faite à Limoges le 11. Maii 1701. lue à l'Académie Royale des Sciences le 27. Mai 1701. par Mr. Baudouin, Conseiller au Grand Conseil etc.* cuius initium ita habet.

Incredibile mihi vitium est, ut observator per tres dies successivos decipi posset eodem phaenomeno, videndo Satellitem Veneris cum phasi simili phasi Veneris, sub eadem diametro, sub qua olim visus est, et cum motu progressivo ab uno ad alterum diem. Tot circumstantiae determinan-

tes, suspicionem omnem ex animo fustulerunt, quod *D. Montaigne* loco Satellitis fixam aliquam conspexerit, et multo magis quod illud fuerit lumine quodam falso in vitris tubi efformato. Binae hae suspensiones solae videntur esse, quae contra observationes *D. Montaigne* formari possent; verum non obstantia mea relatione, omnem omnino honorem defero dubiis, quae Astronomi illustrissimae huius Societatis moverunt in hac materia, meaque omnis ambitio eo connitebatur, qua obiecta dubia removerentur; et verò etiam satis progressus sum, operam ferente *Domino Montaigne*, dum die 11. Maii hora 9. vespertina, (die fere unica, qua circumstantiae favebant, remotiore adhuc luna et crepusculo, atque coelo etiam a nubibus libero,) reperit idem astrum in eadem a Venere distantia, sub qua illud viderat die 7. Maii, id est 25. minutis, formans cum circulo verticali per Venerem transeunte angulum 45. graduum meridiem versus supra Venerem.

Hucusque observationes D. Montaigne, nec, quod sciam, ad hanc, qua haec seribo, diem, deinceps unquam phaenomenon hoc visum est Domino Montaigne.

ANIMADVERSIONES

in has Domini Montaigne observationes.

- I. Clara est, phaenomenon hoc similime apparuisse *D. Montaigne*, ut *D. Casini* et *D. Short* antea.
- II. Visum esse tubo dioptrico 9. pedum, et quidem quatuor diebus, die nempe 3, 4, 7, et 11. Maii, eadem hora vespertina 9 et $\frac{1}{2}$, tubo eodem.
- III. Id singulare fuisse, quod astrum hoc apparuerit in tubo semel, cum Venus per tubum non conspiceretur, hoc est sine Venere.
- IV. Phaenomenon hoc apparuisse habere motum progressivum circa Venerem, tanquam circa centrum, et quasi in orbita ad radium visualem id temporis perpendiculari,
ita,

ta, ut a die 3, ad 11. Maii, plus quam tres quartas sui circuli confecisse apparuerit.

V. Ex his colligitur, astrum hoc omnino esse non potuisse stellam aliquam fixam.

§. V.

Observationes eiusdem Satellitis factae Hassniae a D. Raedkier anno 1764.

Vulgatis illico his *D. Montaigne* observationibus, Astronomi omnes Transitum Veneris Anno 1761, observantes, ad quos haec nova ante pervenerant, attentissimi fuere, num hunc Satellitem, cuius diameter admodum sensibilis ferebatur, nempe 15", vel 20", in disco Solis reperirent ante, vel eum, aut post Venerem transeuntem, sed omnino nulli visus est Astronomo exercitato. Neque tamen propterea desiderium, hunc iterum circa Venerem indagandi, extinctum est, cum fieri potuerit, ob orbitae Satellitis amplitudinem maiorem, ut supra, aut infra discum Solis, praeterierit. Anno igitur 1764, quo Venus vespere in digressionem a Sole versabatur Mensibus Martio, Aprili, Maio, Iunio, et Iulio, et quidem Mense Maio circa finem in digressionem maxima cum declinatione insigni boreali; quae circumstantiae faventes plurimos observatores excitaverunt, ut novum hoc astrum circa Venerem iterum detegerent. Et licet plurimi fuerint observatores, qui in detegendo hoc phaenomeno tubis optimis inhaerent, quos inter praecipuus erat *cel. D. Messier, Parisiis observator diligentissimus, et exercitatusissimus*: paucis tamen avarum hoc astrum se conspicendum praebuit. Mihi hinc duntaxat innotuere Observatores, quorum primus est *D. Raedkier Hassniae, alter D. Montbarrun Altiisiodori*. Primi, hac paragrapho referam observationes, alterius sequentur.

Hassniae igitur *D. Raedkier*, ut habent novellae, *Gazette littéraire de l'Europe, Mercredi 18. Avril 1764* die 3. Martii, hora 6. vespertina, observavit prope Venerem astrum quoddam, cuius lux quidem debilis erat, eius tamen diame-

ter distincte cernebatur; astrum hoc a Venere elongatum erat una circiter quarta parte diametri Veneris; centrum astri videbatur esse in eodem Almucanthat cum Venere, et diameter astri vix unam quartam diametri Veneris aequabat. Tubus vitrum obiectivum habebat $9\frac{1}{2}$. pedum cum lente 3. digit. adeoque augmentum 38es.

Die sequente (4. Martii) hic Satelles eodem tempore visus est, sed sensibilibus a Venere remotior in ascensione re-
cta, linea per centrum eius ducta, cum circulo Almucanthat Veneris formabat angulum circiter 45. graduum, semper ex eadem parte; diameter astri aestimata erat eadem, quae die antecedente; astrum tamen erat minus visibile. Idem astrum distincte etiam cernebatur per tubum habentem pro obiectivo meniscum, tamen vitrum hoc coloratum fuerit. Eodem vespere hora 7. *D. Raedker* ope tubi 18. ped. et a-
terius 7. pedum observavit binas fixas, Veneri proximas, at-
tamen per hos tubos Satellitem videre non potuit, cuius cau-
sa attribui posse videtur effectui aurorae borealis, quae sub-
inde apparuit.

D. Christianus Horrebow Astronomiae Professor, et tres alii, die 10. Martii inter horam 6. et 7. vespertinam, ope eiusdem tubi $9\frac{1}{2}$. pedum, conspexerunt ad partem Veneris dextram, faciens cum verticali angulum circiter 45. phaenomenon quoddam simile Satelliti, de quo tamen nihil certi affirmari potest. Quatuor hi Observatores detexerunt die 11. Martii, eadem hora, cum eodem tubo, lumen quoddam exiguum ad dextram Veneris, et circiter 30. gradus supra suum Almucanthat. Per plures ante institutas observationes certos se reddiderunt, lucem hanc esse non posse falsam quamdam apparentiam; astrum hoc parvum erat admodum, pallidum, et a Venere elongatum in distantia circiter unius diametri Veneris; lux eiusdem sensibilibus minor apparebat, quam in prima observatione, ita ut spem omnem ademerit sequentibus diebus lumen hoc videndi, et omnino etiam

etiam post diem 11. Martii illud detegere haud amplius possibile erat.

Hucusque relatio observationum Hoffnienſium.

§. VI.

*Observationes eiusdem Satellitis factae Altisiodori (Auxerre)
a D. Montbarron Anno 1764.*

Altisiodori, ut refert *cel. D. Meſſier*, in ſuis litteris die 16. Iunii 1764. Parisiis ad me datis, *D. Montbarron* 1764. die 15. Martii, telescopia Gregoriano 32. pollicum, contemplando Venerem vespere hora 7, conſpexit quoddam aſtrum minus, ex parte Veneris obſcura, quod cum verticali ex parte orientis faciebat angulum circiter 60. graduum. Die 28. eiusdem mensis hora 7½. vespertina, vidit *D. Montbarron* idem parvum aſtrum ad Venerem, ſimile priori, faciens cum verticali ex parte occidentis angulum 15. graduum; die ſequenti, id eſt 29. Martii, eſt Venus nubeculis rarioribus obducta fuerit, idem tamen aſtrum conſpexit, faciens cum verticali ex parte occidentis angulum 44. graduum circiter; poſt hanc ultimam observationem, licet ſaepe hoc aſtrum ope eiusdem tubi quaesiverit, illud tamen nunquam deinceps videre potuit. Omnes observationes probant, aſtrum hoc non fuiſſe fixam aliquam, utpote quae magis ſcintillantes ſunt, et minus terminatae; Phasim tamen in hoc aſtro nullam diſtinguere ſe potuiſſe aſſeruit *D. Montbarron*.

Hucusque observationes Altisiodorenses.

ANIMADVERSIONES

In Observationes Hoffnienſes et Altisiodorenses.

- I. Quaedam phaenomena utriusque Obſervatoris conveniunt cum obſervatione *D. Montaigne*, *D. Short*, et *D. Caſſini*; diſconveniunt vero, quod in utraque harum nulla aſtri huius Phasis obſervata fuerit.

- II. Haffnienfes post diem 11. Martii, quo astrum sub luce debili conspexerant, deinceps videre non potuerunt. Altisiodorensis contra Observator illud die 15. 28. et 29. Martii adhuc conspexerat.
- III. Haffnienfes illud tubo $9\frac{1}{2}$. ped. dioptrico observarunt, tubis autem dioptriciis 18. et 7. pedum videre non potuerunt; Altisiodorensis illud per telescopium Gregorianum 32. pollicum contemplatus est.
- IV. Haffnienfes distantiam huius astri a Venere die 3. Martii aestimarunt tantum fuisse unam quartam diametri Veneris; die 4. autem aliquanto maior erat: Altisiodorensis distantiam a se visam non indicavit.

§. VII.

Primae Visiones P. Hell e S. I. phaenomeni similis Satelliti Veneris Anno 1757. et 1758. Vindobonae habitae.

Postquam aliorum Observatorum visiones cum publico communicatas, fide integra in supra indicatis paragraphis retuli, superest, ut meas proprias similis phaenomeni visiones, haecenus a me silentio pressas, candide referam. Itaque cum anno 1757. post obitum *Eminentissimi Cardinalis de Trautson, Studiorum Universitatis Vindob. Protectoris sapientissimi, doctissimique*, e copiosissimis Instrumentis physicis et mathematicis Universitati huic testamento legatis, Observatorio huic Caesareo-Regio bina telescopia anglicana egregia ad usum astronomicum illata fuerint, quorum unum est telescopium Gregorianum 2. pedum, fabri factum in Anglia, alterum Newtonianum $4\frac{1}{2}$. pedum; quo constanter observationes Satellitum Iovis perago: evenit anno 1757. mense (ni fallor) Decembri, ut, dum telescopium laudatum Gregorianum 2. pedum augmenti circiter 70. vel 80. ad Phases Veneris periclitarer, astrum quoddam ad Venerem conspicerem, luce debiliore et confusa fulgens, perfimile fere parvo cuidam cometae crinito. Id cum contemplerer, prima cogitatio suborta est,

est, an non astrum hoc foret cometa quidam minor; (nam fixam non esse, debilis lux, et amplior diameter, manifeste ostendebant:) quapropter alio tubo 4 $\frac{1}{2}$ ped. Newtoniano supra dicto eccellente, cuius augmentum est 54 Venerem contemplatus sum, ut de novo hoc phaenomeno certus reddere. At licet omnem circa Venerem regionem hoc tubo perscrutatus fuero, nihil omnino reperire potui, quod phaenomenon per telescopium Gregorianum visum imitaretur; accessi secundo telescopium Gregorianum 2. ped. et per hoc iterum idem phaenomenon apparuit: tum sumpto tubo alio Newtoniano 4. pedum, in Anglia elaborato, minoris quidem augmenti, sed claritatis insignis, Venerem contemplantur, at incassum phaenomenon hoc quaeritabam. Repetii iterum telescopium Gregorianum 2. pedum, iterumque phaenomenon idem apparuit. Tentamina haec saepius repetita per horae fere spatium duravere; quapropter conclusi, per tubum Gregorianum imagine aliqua optica lucis cuiuspiam falsae me illusum fuisse, quae ex reflexione partis alicuius interioris tubi, forsassis politae et splendidae, per reflexionem ad lentem delata fuisset. Itaque observationem hanc, tanquam illusionem, indignam putavi, quae in diarium observationum mearum infereretur.

Anno sequente, scilicet 1758. dum Venus mense Martio in sua maxima digressione versaretur, plurimas Veneris cum fixis coniunctiones observando determinavi, dumque die quadam Phases Veneris per telescopium Gregor. 2. ped. supra dictum contemplantur, iterum se mihi dictum phaenomenon spectandum praebuit. Igitur cum iam per priores observationes certus essem, lucem hanc debiliorem esse illusionem opticam, quam suspicabar ex interiore quadam tubi parte per reflexionem ortum ducere; cuperemque vitio hoc tubum hunc liberare: idcirco die sequente, dissoluto in partes tubo, omnes tubi huius partes diligentissime perscrutatus sum, et quas vel aliquantum suspectas habebam, obducta fuligine denigraveram. Hoc composito, Venerem vespere iterum

contemplatus sum, et quidem per dies aliquot, (fortassis ob coelum vaporosum,) lucem ante dictam non conspexi. At quadam die serenissima, dum iterum hoc tubo Venerem contemplabar, lucem quoque illam spuriam conspexi iterum; cumque satis probabile mihi videbatur, lucem hanc a partibus interioribus tubi, quas adeo diligenter antehac perscrutatus sum, oriri haud posse: idcirco paulo attentius meditari coepi originem et causam lucis huius falsae. Itaque *cautissime* et motu *lentissimo* oculum ad aperturam tubi admovebam, usque dum imaginem hanc lucidam distinctissime cernerem; at quanta me invasit admiratio, dum spuriam hanc lucem in Satellitem Veneris, phasim eandem cum Venere habentem, mutatam conspexi! *En*, (aiebam apud meos,) *Phaenomenon simillimum illi, cuiusmodi olim viderat D. Casini Parisiis, et recentius anno 1740. in Anglia D. Short.* Ut igitur adhuc certior essem de spectro hoc, (nam hoc nomine phaenomenon istud meum tunc compellavi, et deinceps etiam ex merito compellabo,) oculum iam lente removebam a tubo, et spectrum etiam sensim disparuit, tametsi Venerem distincte cernerem: admoto iterum oculo apparere coepit, et in certa oculi ab apertura distantia clarissime et distinctissime videbatur cum Venere; admoto autem adhuc magis oculo sensim disparere coepit, donec in certa vicinia penitus videri desierit; limites autem disparitionis adeo erant exigui, ut a distantia oculi a tubo media, in qua Satelles distincte cernebatur, spatium dimidiae lineae utrinque vix aequaverit, totumque spatium distantiae limitum visionis vix lineam aequabat.

Hoc quidem capto experimento satis certus eram, imaginem hanc esse illusionem seu spectrum: ut autem nossem, unde suam originem duceret, aut quaenam esset causa, quae imaginem hanc in retina oculi inspicientis efformaret, sequentia cum spectro hoc tentamina saepius repetita institui. 1) Imaginem Veneris in medio campo tubi constitui, et visio spectro ad limbos circiter campi, oculum in circulum circa Venerem movebam, quo facto et spectrum circa Venerem

in eadem quasi a Venere distantia circumferri vidi; si oculum perpendiculariter deorsum movebam, et spectrum perpendiculariter deorsum movebatur, si sursum, spectrum quoque ibat sursum, verbo: in quamcunque partem moverem oculum, in eandem et spectrum ferebatur, hoc solo discrimine, quod spectrum hoc dum Veneri valde vicinum erat, plerumque disparuerit, ob causas infra referendas.

Porro, si imaginem veram Veneris ad limbum campi tubi adduxi, tum spectrum apparebat circiter in medio campo tubi, adeoque si Venus fuit in parte inferiore campi, spectrum erat in superiore etc. Haec omnia experimenta me de illusionis optica certissimum reddebant; haec enim situs mutationes respondentes motui oculi, tam celeres, et in partes contrarias, nulli obiecto reali prope Venerem in coelis existenti competere possunt.

Habitis hisce cum spectrum hoc experimentis, nihil magis in votis erat mihi, quam causam detegere elegantissimae huius illusionis. Bina itaque mihi principia optica in mentem venerunt, per quae spectrum hoc in retina oculi efformari posset. Primum erat ex dioptriciis, cum tubus meus Gregorianus, per quem spectrum videbam, (praeter bina specula concava,) constaret duabus lentibus ocularibus, una quae oculo est proxima, habente figuram menisci, altera quae ab oculo est secunda, et utrinque convexa; quapropter existimavi fieri posse, ut imago quaedam Veneris secundaria a secundo vitro in superficie primi efformari posset, aut eo modo, quo Hugenius docuit in sua Dioptrica Propositione 51. Sed enim ex hoc principio imaginem hanc tam lucidam, tam distinctam, et reale obiectum egregie mentiens, derivari non posse penitus convictus sum, tum ratione, tum maxime experimentis (NB) plurimis hac de causa institutis, quibus referendis, tanquam superfluis, et ad phaenomenon hoc explicandum inutilibus, hic supersedere me posse iure arbitror, ut ex infra dicendis patebit.

Alte-

Alterum principium, quod mihi in mentem venerat, erat catadioptricum, coniunctum cum dioptrico, ita nempe mecum ratiocinabar: Pupilla oculi humani adeo laevigata est, ut homo intuens pupillam alterius hominis, suam imaginem in pupilla alterius efformatam per radios reflexos, tanquam in speculo quodam convexo elegantissime depictam, videat; pupilla igitur humana vices obit speculi convexi; sed pupilla oculi tubum inspicientis est in foco lentis ocularis, in quo imago obiecti depingitur, hoc est, focus lentis ocularis, seu imago obiecti proxime terminatur in pupilla oculi, (quod facile patet, nam si intueamur oculum alterius hominis, qui per tubum ex. gr. Lunam intuetur, videmus pupillam illius imagine lucidissima Lunae fulgentem,) ergo imago obiecti lucidi per tubum repraesentati depingitur in pupilla, tanquam in speculo convexo vitreo politissimo, ergo haec imago lucida in pupilla depicta reflecti potest ad lentem primam oculo proximam; sed lens prima mei tubi Gregoriani est meniscus, cuius pars concava oculum versus spectat, ergo imago ex pupilla in partem concavam menisci delata reflecti poterit iterum, tanquam ex speculo concavo auctior, et sub diametro multo maiore, quam fuerit in pupilla, sicque per aperturam pupillae, sub certo angulo delata in retinam, efformare poterit imaginem secundariam Veneris, minorem quidem, quam vera sit imago, et minus lucidam, attamen distinctam, et imagini verae simillimam. Hoc erat primum meum ratiocinium, quod cum mihi phaenomeno huic explicando maxime aptum videbatur, plenius et accuratius tum per experimenta, tum per ratiocinia firmatum volui, quemadmodum ex sequentibus paragraphis patebit.

§. VIII.


Experimenta, quibus supra dicta illusia optica per solam reflexionem a pupilla fieri, demonstratur.

Experimentum I. Tubum assumpsi meum manualemente longitudinis $3\frac{1}{2}$ digitorum, more Galileano, seu Batavo constructum,

tum, quem etiam theatralem, ob usum eius in spectaculis
 theatralibus percommo- dum, appellant; huius vitrum obie-
 ctivum est lens plano-convexa, habens focum 6. digitorum,
 adeoque radium convexitatis 3. digitorum, apertura, seu dia-
 phragma vitri huius obiectivi est $1\frac{1}{2}$ digiti, lens vero ocula-
 ris est vitrum plano-concavum, habens radium concavitatis
 $2\frac{1}{2}$ digiti, et hinc focum virtutalem 5. digitorum. Tubus
 ergo isthic obiecta parum admodum auget, nempe in ratio-
 ne tantum 5; 6. ideoque campum magnum exhibet, pars
 autem lentis ocularis concava spectabat versus oculum; ha-
 bebat itaque tubus iste condiciones omnes, quas ratio-
 cinium meum supra de illusione relatam requirebat, scilicet, 1) ut
 focus proxime in pupilla terminetur, hoc est, ut imaginem
 obiecti in pupilla efformare possit. 2) Quia lens ocularis
 erat plano-concava, cuius concavitas versus oculum erat sita,
 et apertura tubi ad oculum paullo maior, poterat imago in
 pupilla depicta reflecti in superficiem concavam lentis ocula-
 ris, et ab hac, tanquam ex speculo concavo reflecta, iterum
 per foramen pupillae sub certo angulo deferri ad retinam
 oculi, ubi cum imagine primaria, secundariam quoque in
 parte aliqua retinae efformaret. 3) Quia focus reflexionis
 vitri huius concavi est $1\frac{1}{2}$ dig. circiter, et focus refractio-
 nis lentis obiectivae combinatae cum hac lente concava adhuc
 est in distantia a lente hac concava circiter $1\frac{1}{2}$ digiti; pupil-
 la ergo oculi constitui potest tam in foco reflexionis, quam re-
 fractionis lentis plano-concavae. 4) Quia tubus iste obie-
 cta vix una sexta parte diametri auget, fieri debet, ut dia-
 meter Lunae per hunc tubum visa non maior repraesente-
 tur, quam diameter Veneris visa per tubum meum Grego-
 rianum 2. pedum, augmentem 800. circiter; quapropter ita
 mecum argumentabar: ergo si per hunc tubum Lunam, aut
 aliud lucidum obiectum maioris diametri, ex, gr. flammam
 candelae intuear, pariter et Satellitem Lunae, seu spectrum
 Lunae, et spectrum flammae videre poterò eodem modo,
 quo per tubum Gregorianum Satellitem Veneris. Et verò

eventus egregie ratiocinio huiusmodi respondi. Nam dum Lunam proxime in quadratura versantem per hunc tubum *Tab. I. (fig. 1.)* contemplantur, atque oculum lentissime ad tubi aperturam in distantia a lente oculari 1. dig. $\frac{1}{2}$ seu semiradii concavitatis circiter admovebam, primum quidem videre coepi ad latus Lunae lucem confusam, cum *lente et lentissime* oculum adhuc magis admovebatur, lux haec confusa in lucem distinctam abibat, donec in certa distantia, lunulam, phasim Lunae elegantissime imitantem, non sine stupore intuitus fuerim, si oculum adhuc magis admovebam, tunc lunula haec mutata est in imaginem stellae fixae primae magnitudinis adeo elegantem, ut ignorans quispiam illusionis huius, certissime assereret, se Lunam cum reali ac vera fixa primae magnitudinis in conjunctione videre; si oculus adhuc magis admovebatur, imago haec quoque magis confusa apparebat, et maioris diametri, atque ita quo magis oculus admovebatur in maiorem etiam imaginem confusam abibat spectrum, donec in certa distantia penitus disparuerit. Quod si oculum in ea distantia locatum, in qua spectrum distinctissime apparebat, in circulum circa Lunam ferebam, aut si Lunam ad limites campi constitueram, eadem omnia phaenomena vidi, quae §. VII. cum Satellite Veneris a me explorata recensui. Hoc autem experimentum non semel, sed, ut ita dicam, centies, id est saepissime, diversis mensibus, tam a me, quam a meis sociis, cum voluptate toties quoties repetitum est, et actu repeto, dum fictitium hunc Satellitem Lunae mihi vel aliis exhibere volo.

His experimentis certus iam eram phaenomenon hoc huius spectri, seu Satellitis Lunae, aut Veneris, omnino a pupilla ortum ducere; verum ut adhuc certior essem, hoc et nullo alio modo fieri hanc visionem, ita mecum ratiocinabar. Si imago primaria obiecti per tubum conspecta, et in pupilla per radios refractos efformata, atque a pupilla in lentem concavam reflexa, ab hac lente iterum per pupillam in retinam



nam delata explicato supra modo, videtur, ergo etiam eodem modo, etsi paululum minor, attamen distincte videri debet, si radios obiecti lucidi ex. gr. Lunae, non per tubum, sed immediate et directe ab obiecto in pupillam delatos reflectam ad lentem concavam? hoc est, (vide figuram 2.) si tubum A, B, non ad Lunam L, dirigam, sed ab eadem sub angulo L, D, F, ex. gr. 30. aut 40. graduum, ita aversum servem, ut radii Lunae directi L, D, solum ad pupillam D, et nequaquam ad lentem H, vel ad obiectivum G ingredi possint. Et en effectus iterum ratiocinio respondit egregie, nam radii L, D, directe a Luna in pupilla excepti, atque ad lentem H concavam, sub priore oculi a lente distantia reflexi, omnino iterum Satellitem Lunae, F (attamen sine Luna,) in retina videndam exhibuerunt admodum distincte, (servato oculo in debita distantia a lente,) et luce vivacissima splendidum. Eadem experimenta cum flamma candelae, in obscuro cubiculo, tempore vespertino, per eundem tubum cepi. Primo (vide figuram 3.) statui candelam A supra mensam in distantia ab oculo circiter duorum pedum, post candelam posui chartam caeruleam, vel coloris obscurioris L, m, n, o, quae visionem candelae terminaret, quo casu intuendo flammam A per tubum F, G, eodem modo, si oculus lente ad aperturam F in distantia $1\frac{1}{2}$. dig. admovebatur, exhibebatur mihi imago flammae secundaria minor B, veluti Satelles flammae, in distantia arbitraria a flamma primaria, prout nempe oculus movebatur.

Experimentum II. (vide fig. 4.) Si candela statuatur in priori quidem ab oculo distantia, sed ad latus ita, ut radii directi candelae A, D, tantum ad pupillam D, nequaquam autem ad vitra tubi F et G pervenire possint, tum eodem modo oculum lente ad tubum applicando, videbitur eadem flammula secundaria lucidissima in B, ut prius, sed sine flamma primaria; quod si manus interponatur inter oculum D et candelam A, ita ut arceatur radius A, D, a pupilla, tum

illico disparet etiam flammula B in charta L, M, N, Q, quod experimentum una cum experimento figurae 2. omnino demonstrativum est, flammulam hanc secundariam, (ut supra fig. 2) luvulim,) per solam omnino reflexionem a pupilla in lentem concavam ocularem F delatam efformari in retina, et nullo alio modo quovis exegitabili.

Notandum 1. Imperitos et minus cautos periclitatores horum experimentorum monuisse iuvenit sequentia: 1) Antequam tubum theatralem supra explicatum ad instituenda haec experimenta adhibeant, explorent primum, an lentis ocularis plano-concavae pars *concava*, an vero pars *plana*, in tubulo oculum versus spectet; est enim (e theoria catadioptrica) conditio essentialis ad successum horum experimentorum per hunc tubum, ut pars *concava* lentis plano-concavae oculum versus spectet. Nam si pars *plana* versus oculum spectaret, imperite quis, et successu impossibili, experimenta huius spectri facere vellet: dum enim pars *plana* lentis plano-concavae oculum versus sita est, noscitur e theoria catadioptricae, reflexiones imaginis pupillae admotae duplices quidem ex superficie lentis oculum versus spectante haberi, sed quarum neutra ab oculo videri potest. Prima reflexio formatur a superficie *plana*, tanquam a speculo *plano*; iam vero cum focus radiorum refractorum (in casu Fig. 1. et 3.) imaginis primariae in pupillam incidens, imaginem obiecti primarii tanquam in speculo convexo depingat satis exiguam, (et multo magis radii directi figurae 2. vel 4.) fit, ut exigua haec imago a pupilla ad lentem reflexa, ibidem exigua admodum comparere debeat; et cum hoc planum lentis sit ab oculo aliquanto remotius, ex causa hac distantiae oculi a lente iterum minor a plano lentis ad retinam reflecti debeat, quam fuerit in pupilla, hinc valde exigua omnino, et sub magnitudine minimi puncti cuiusdam debiliter lucidi apparere debet; secunda vero reflexio in hoc casu partis *planae*, lentis plano-concavae oculum versus spectantis, fit tanquam ex specillo ad-

admodum exiguo *convexo*, cuius convexitatis radius est ipse radius concavitatis, nam in hoc casu superficies *concava* aver-
sa ab oculo, format superficiem *convexam* versus oculum; quapropter imago de se exigua obiecti per radios refractos in pupilla tanquam speculo convexo depicta, iterum ab hac reflectitur ad superficiem lentis tanquam ad specillum *convexum*, inde intelligitur, imaginem hanc infinite parvam reflecti debere a lente ad retinam, hoc est, fieri simpliciter oculo insensibilem. Idem cum proportione dicendum de casu Figuræ 2. et 4. Hinc in casu, quo planum lentis huius plano-concavae oculum versus spectat, impossibilis est effectus ille supra a me dictus imaginis secundariae per reflexionem a pupilla efformandae; quibus de causis etiam hoc casu phaenomenon supra dictum nunquam videri poterit. Qui igitur neglecta hac conditione spectrum a me explicatum videre voluerit, suae in catadioptrici imperitiae adscribat, si aut nihil, aut parum viderit. Caveat autem, (nisi peritis risum movere velit,) ne pronuntiet experimenta haec supra a me relata, falsa esse ex eo capite, quod sibi non successerint. Succedant autem certissime, si pars concava lentis oculum versus spectaverit, et si sequentia monita observentur; nam tali casu habetur effectus speculi concavi augmentis, et nitide reflectentis, imaginem a pupilla reflexam, ut clarissime in experimento III. videbimus.

Notandum II. Admonendi sunt praeterea Periclitatores horum experimentorum, ut antea explorent radium concavitatis lentis; nam nisi oculum, seu pupillam, constituent circiter in distantia semiradii concavitatis a lente, aegre, et non nisi diu tentando imaginem secundariam efformare poterunt, e causis limitum visionis infra explicatarum: si autem imperiti sint inveniendi radium concavitatis, tum hi, (dum tubum hunc ad Lunam, vel ad flammam candelae directum tenent,) oculo *lentissime* (*NB lentissime*) appropinquent ad lentem tubi eo usque, dum lucem aliquam spuriam lentem oc-

cupantem conspiciere incipiant, qua conspecta, oculo magis (sed omnino *lentissime*) appropinquent, et experientur, (si debitam distantiam attigerint, et tubum firmiter et manu non tremula tenuerint,) elegantissimam imaginem secundariam obiecti primarii se efformasse, hoc est, effectus supra explicatos se attigisse: ad tollendam vacillationem tubi, quam experimento huic plurimum obesse experientur, suadeo ut manus tubum deferens, fulcro supposito firmetur.

Notandum III. In repetendis experimentis illis binis, figurae 2. et 4. in quibus tubus ab obiecto primario lucido averfus tenetur, haec praeterea cautela observanda erunt, si nitidum spectrum conspiciere desiderant. I. Tubulum ita aversum fervent, ut ille cum obiecto lucido angulum ad oculum faciat circiter 30 vel 40 graduum, qua cautela fiet, ut radius obiecti lucidi L, D fig. 2. vel A, D fig. 4. non ad corneam (vide fig. 6.) a, b, c, aut d, f, e, sed ad pupillam a, c, d, e, incidat: a cornea enim, utpote minus ad reflexionem apta, non nisi lux aliqua mere confusa, et quasi fulcis succisa reflecti potest; secus est si a pupilla tanquam speculo politissimo vitreo excipiantur. Nemo certe hominum intuens oculum alterius hominis suam imaginem distincte vidit e cornea reflexam; videt autem omnis in pupilla alterius imaginem suam, tanquam in speculo vitreo convexo eleganter expressam. II. Cavendum, ne per applicationem ipsam tubi ad oculum impediatur radii directi (L, D, fig. 2. vel A, D fig. 4.) ad pupillam ab obiecto lucido tendentes, hoc est, ne pupilla per tubulum ipsum, per nasum, aut per manum tubum tenentem obumbretur. Cum pili palpebrarum, eorum hominum maxime, qui et copiosioribus et longioribus gaudent, hoc situ oculi facile radios directos (L, D, fig. 2. vel A, D fig. 4.) ad pupillam tendentes perturbent, hoc est, imaginem in pupilla minus distinctam faciant, ut cautis exploratoribus ignotum esse nequit; hinc palpebrae magis apertae ferventur, illeque situs oculi in hoc casu quaerendus, in quo radii

radii ab obiecto lucido quam minime perturbentur a pilis palpebrarum. IV. Oculus quam *lentissime* in distantia circiter semiradii concavitatis admoveatur, tubulusque immotus omnino servetur; haec si cauta fuerint, affirmare ausim de felici successu huius pulcherrimi et demonstrativi experimenti, *quod omnino visio haec huius spectri nullo alio modo fiat, quam per reflexionem a pupilla in lentem ocularem delata, et ab hac ad retinam reflexa.* Nam cum tubus (in casu fig. 2. et 4.) ab obiecto lucido ita averfus sit, ut nullus omnino radius directus, ne obliquus quidem, vel ad vitrum obiectivum, vel ad lentem ocularem (fig. 2. et 4.) incidere possit; et tamen admoto oculo, (in quem solummodo radiat obiectum lucidum,) spectrum hoc in tubo compareat, nec compareat solum quomodocunque, sed idem omnino, quod habebatur per directum aspectum in fig. 1. et 3. exhibitum, eiusdem praeterea fere magnitudinis, (cum augmentum tubi sit exiguum), et distinctissimum, claritate autem adhuc maiore fulgens ob campum tubi, seu terminum, ad quem spectrum refertur, aliquanto obscuriorem, quis inquam erit, qui neget, *spectrum hoc originem suam omnino ducere a sola pupilla?*

Qui igitur horum experimentorum figurae 2. et 4. explicationem afferre vult aliam, aut similem illi, qualem Hugenius refert propositione § 1. supra §. VII. indicata, de reflexionibus alternis superficierum lentium plurium combinatarum intra se, aut per nescio quas causticas etc. ne is mihi in arboribus cervos, in siccis campis pisces degere, demonstrare velle videtur: vellet enim imaginem reflexam fieri per radios, qui non dantur, hoc est, per radios impossibiles, hoc est, per reflexiones impossibiles. Idem dicendum de spectro figurae 1. et 3. ob legitimam illationem aequalitatis imaginis, seu spectri eiusdem, quoad omnia respective similis illi, quod conspicitur in figura 2. et 4. Sed nondum fatis. sunt enim quidam ingenio adeo severo, ut opiniones suas, (nescio quibus principiis praecoccupati,) veritatibus manifestis non
ante

ante subiciant, quam ubi ita convincuntur, ut effugii locus omnino nullus sit. Sit igitur

Experimentum III. Quo quis non modo ipsis oculis cernere, sed, (ut metaphora utar,) ipsis quasi manibus palpare debeat, spectrum in figuris 1. 2. 3. et 4. demonstratum, non alio omnino modo fieri, aut explicari posse, quam per reflexionem imaginis primariae a pupilla oculi ad lentem ocularem reflexae, atque ab hac ad retinam proiectae.

Igitur fiant ea omnia, prout in *Experimento II.* figura 4. indicantur, et dum comparat spectrum B, illudque in charta L, M, N, O, clarissime et distinctissime conspicietur, tum eo tempore, (servando immotum tubum et oculum,) manu, vel alia re opaca, claudatur vitrum obiectivum G. hoc est, tubus ex parte vitri obiectivi obscuretur, caute attamen, ne sibi Observator per manum cludentem obiectivum, impediatur radium directum A, D, tendentem ad oculi pupillam; quo facto, idem spectrum clarissime apparebit, sed simul apparebit etiam integra imago totius oculi a candela illuminati; in oculo pupilla, in pupilla eadem imago flammulae, seu spectrum elegantissime expressum, idem omnino, quod videbatur prius esse remotum, et extra tubum in charta L. M. N. O. versans. Videatur figura 6. in qua exhibetur oculus in lente oculari plano-concava huius tabuli expressus, habens in pupilla a, c, d, e, depictum spectrum, seu flammulam S, prout in lente videtur.

Hic iam illum ego audire vellem peritum Opticae, qui hoc adeo palpabile experimentum alio modo explicet, quam per reflexionem pupillae oculi, quando ipsis oculis cernit flammulam illam, seu spectrum in pupilla expressum, idem omnino esse quod viderat, antequam vitrum obiectivum manu obscuraretur; neque enim disparet eo tempore quo manus admovetur, sed constanter idem omnino videtur, sive manu claudat obiectivum, sive non, nisi quod clarius appareat.

reat, quando manus obiectivum obscurat, quia refertur ad terminum obscurum.

Demonstratio huius phaenomeni alia non est, quam quae in catadioptrici passim refertur, de reflexionibus obiectorum in speculo concavo; in hoc enim casu, (ut patet,) pars concava lentis plano concavae oculum versus spectans effectum speculi concavi praestit.

Quod si quis tamen Lector Scepticus huic adeo palpabili experimento adhuc non acquiescat, dicatque: *fortassis, dum obscuratur vitrum obiectivum, non manet eadem flammula, seu spectrum, sed aliud novum generatur, novumque apparet, esseque potest, ut hoc ipsum experimentum demonstrandae illusionis, sit nova illuſio illusionis.* Ad haec respondeo: dubium hoc quidem esse satis imperitum: nam primo, cum in hoc tertio experimento nulla alia circumstantia mutetur, quam sola obscuratio obiectivi vitri, quae ea solum de causa fit, ut imago oculi, quae prius, (ob terminum lucidiorem campi tubi,) non sensibilis erat, efficiatur sensibilis et distincta, patet, nullam hic esse posse causam aliam praetensae novae genesis spectri novi, quam obscuracionem obiectivi. Atqui in hoc casu huius experimenti vitrum obiectivum perinde se habet ac si non adesset; cum enim nullum radium nec directum, nec obliquum, obiecti lucidi in hoc incidere possit, (ut supra ostensum est,) certum sit, quid igitur ad genesis spectri conferret vitrum obiectivum non obscuratum? Verum, ut imperitus huiusmodi adversarius penitus convincatur, iubeo illum eximere e tubulo vitrum hoc obiectivum, atque relicta sola lente oculari sine obiectivo, repetere omnia illa, quae in hoc tertio Experimento supra dicta sunt, et si quidem omnia fieri experietur perinde, ac si vitrum obiectivum adesset, num veritas veritati daturus est manus? ita equidem spero; dico autem, cum omnia Experimenti III. phaenomena experturum eadem fieri certissime absente obiectivo, quae facta sunt hoc praesente, ergo — —.

L

Cum

Cum itaque reflexionem hanc iam certissimum sit fieri a pupilla, idem spectrum in pupilla depictum videri poterit, si pars plana lentis ocularis plano-concavae, exemptae e tubulo hoc theatri, charta nigra apposta obscuretur, sicque speculum concavum efficiatur, atque oculo a candela illuminato, sub eadem a candela distantia, et situ oculi eodem, (ut in experimento III. factum,) admoveatur, vide fig. 5. vel si loco lentis plano-concavae adhibeatur specillum metallicum concavum, eiusdem radii cum lente priore. Quod si quis autem illud meum monitum supra datum experiri velit, quod scilicet spectrum hoc, (si nitidum comparare debeat,) non formetur a cornea, sed a pupilla, is oculum ita flectat versus candelam, ut radii a candela directi solum ad corneam incidere possint, videbit in speculo hoc concavo, loco imaginis distinctae flammulae, meram lucem confusam per partem corneae dispersam, et interminatam. Eodem pacto cernet in hoc speculo pilos palpebrarum incautis observatoribus imponere posse, ut loco imaginis distinctae cernant perturbatam, si nempe situm oculi respectu candelae non eum teneant, ut imagini in pupilla depictae pili palpebrarum non obsint.

Porro, cum ex his supra relatis experimentis clarum manifestumque sit, spectrum hoc ex imagine pupillae in lentem ocularem reflexae originem suam ducere, certumque sit praeterea superficies lentium, quae oculum versus spectant, effectum praestare posse, aut speculi concavi, aut convexi, aut plani: hinc sequentia experimenta, methodo experimenti III. fig. 4. aut 5. instituisse iuverit.

Experimentum IV. Si loco lentis plano-concavae adhibeatur meniscus, eaque omnia fiant, quae in experimento III. de lente plano-concava obscurata dicta sunt, perinde spectrum elegantissimum efformabitur, omniaque ea fient, quae cum lente plano-concava evenere. Est enim meniscus perinde lens ex una parte concava, licet sit ex parte altera convexa; id peculiare, (ut ex catadioptriciis constat,) habet

meniscus prae lente plano-concava, quod in lente plano-concava, (ut supra dictum est,) si pars plana oculum versus spectet, spectrum hoc aut exiguum admodum (ex superficie plana,) aut plane nullum, ex superficie nempe convexa oculum versus spectante reflexum videri debeat; e contra meniscus spectrum illud exhibeat elegantissimum, et auctum, etiamsi pars convexa versus oculum spectet, hoc solum discrimen exiguum intercedit inter spectrum a parte convexa, et inter spectrum a parte concava oculum versus spectante reflexum, quod dum pars convexa menisci oculum versus spectat, spectrum aliquanto minus, et debiliore luce fulgens appareat, quam spectrum partis concavae oculum versus sitae, at tamen et istud satis distinctum, et (tanquam ex speculo concavo reflexum) auctum videtur.

Experimentum V. Si lens utrinque aequaliter convexa (F, G, H, K fig. 7.) cuius focus radiorum refractorum sit ex. gr. 8. digitorum, inferatur tubulo chartaceo M, N, C, B, cuius longitudo M, B sit 2. digitorum, in cuius medio statuetur lens F, G, H, K, sitque praeterea tubulus iste versus oculum apertus in M, N, clausus in B, C, si itaque hac lente (ita in hoc tubulo clausa, ut omnes radii a candela arceantur,) repetantur ea quae experimento III. dicta sunt, tum si oculus, in quem radiat lumen candelae, sitatur a lente in distantia foci radiorum refractorum, hoc est, in nostro casu, 8. digitorum, tum duplex imago flammulae a pupilla reflexae cernetur, una ex parte lentis convexa G, F, K, sita quidem erecto, et splendida, sed exigua admodum, utpote tanquam ex speculo convexo, altera cernetur reflexa ex parte lentis G, H, K, tanquam ex speculo concavo, maior quidem prior, sed obscurior, et inversa; si oculus huic lenti ita prope admoveatur, ut sit in distantia circiter una quarta foci radiorum refractorum, hoc est in nostro casu, in distantia circiter 2. digitorum a superficie G, H, K, tum cernetur imago a pupilla reflexa, in superficie G, H, K, admodum distincta

tincta et aucta eodem fere modo, ut per lentem plano-concavam, aut per meniscum eiusdem radii, repraesentata.

Experimentum VI. Si loco lentis aequaliter utrinque convexae, huic tubulo inferatur lens inaequaliter convexa, comparebunt eadem phaenomena spectri, solumque distantiae oculi a lente variantur, prout pars lentis plus vel minus convexa oculum versus spectat.

Si hoc experimentum instituat cum lente plano-convexa, tum N. 1. si pars lentis huius plana versus oculum spectet, et oculus sistatur in maiore distantia a lente, quam sit focus radiorum refractorum, hoc est, ultra diametrum convexitatis, tum duplex habebitur imago flammulae a pupilla reflexae, una ex parte plana satis sensibilis, attamen exigua, tanquam a speculo plano reflexa, adeoque erecta; altera orietur adhuc minor et vix sensibilis, tanquam ex speculo convexo, et quidem situ inverso: qui effectus est speculorum concavorum, dum obiecta repraesentanda sistuntur in maiore distantia a speculo, quam sit quarta pars diametri concavitatis, ut, si (in fig. 10.) oculus sistatur in A, in distantia foci radiorum refractorum.

2. Si (in eadem positione lentis) oculus sistatur in distantia minore a lente, quam sit focus radiorum refractorum, seu propius, quam sit diameter convexitatis, per totam distantiae lineam A D, usque ad distantiam a superficie B convexa, quae sit una octava diametri convexitatis exclusive, tum effectus reflexionis spectri sensibilis tantum habetur, tanquam ex speculo plano, sine alia imagine ulla sensibili.

3. Si (in eadem positione lentis) oculus sistatur a superficie convexa in distantia circiter una octava diametri convexitatis in B, tum habetur effectus speculi concavi cum insigni augmento, claritate, et nitore spectri, et quidem situ erecto apparentis, spectrum autem illud, quod ex parte plana
refle-

refledebatur, mutatur in circulum maiorem sub obscura et dissipata luce confusum.

N. II. Si lentis plano-convexae pars convexa oculum versus spectet, et oculus sistatur in C, in distantia a superficie convexa una quarta diametri convexitatis circiter, tum iterum habetur effectus speculi concavi, augmentis et nitide repraesentantis spectrum in situ quidem erecto, sed ex dimidio minus, quam illud fuit in Nro. I. Casu 3. priore, ubi oculus tantum distabat una octava diametri. In aliis distantis oculi in hac positione lentis, effectus tantum sensibilis habetur per modum speculi convexi, situ erecto repraesentantis, hinc spectrum aut valde exiguum, aut nullum cerneretur.

Quoniam modo haec omnes nunc recensitae reflexiones fiant, atque ab oculo in supra dictis distantis posito cernantur, demonstrationes petendae sunt ex catadioptricis, quibus hic, tanquam passim in libris opticorum recensitis, et notis, superfedeo. Ex his solum sequens generale Corollarium certissimum adnotasse iuverit.

Corollarium generale. *Spectrum igitur in omnibus dictis casibus nitidissime apparet, in ea distantia oculi a lente, ubi oculus seipsum nitidissime videre potest in lente; spectrum autem nitidum, et simul auctum, hoc est, admodum sensibile apparet, quando oculus est in ea distantia a superficie lentis reflectentis, quae effectum speculi concavi praestat, ubi seipsum clare et auctum, si nempe pars lentis ab oculo averfa obscuretur, videre potest.*

Notandum: Si tantum peritis harum rerum Lectoribus scriberem, iam hic materiae huic finem imponere, ipsisque relinquere possem applicationem faciendam ad explicationem spectri Satellitis Veneris, per tubos seu Gregorianos, seu dioptricos, in quibus prima lens ocularis est *meniscus*, quem vidimus praestare posse effectum speculi concavi; aut per tubos sive Gregorianos, sive dioptricos, qui pro prima lente oculari habent vel lentem utrinque aequaliter, vel inaequaliter

ter convexam, aut lentem plano-convexam, quas omnes vidimus itidem praestare posse effectum speculi concavi, hacque sola sequente propositione universali scriptum meum concludere, scilicet: *quotiescunque constructio tubi habetur huiusmodi, ut focus radiorum reflexorum lentis primae ocularis exhibens imaginem pupillae coincidit cum foco radiorum refractorum, qui ex constructione tubi, vel potius lentium ocularium oritur, sique oculus in hoc foco constituatur, per talem tubum videri posse spectrum Veneris, modo augmentum tubi sit insigne, saltem soles aut boves.* Sed enim scio, Lectores meos non omnes futuros adeo peritos Opticae, ut ipsi Marte suo ex iam recensitis omnia spectri Veneris phaenomena derivare possint, hinc mihi porro in hac materia progrediendum erit, et 1) ostendendae conditiones tuborum, quibus spectrum hoc nitidissime per reflexionem supra explicatam a pupilla appareat, dein cautelae recensendae, quae in efformando hoc spectro requiruntur, ac tertio, et quaedam animadvertiones circa hunc sic dictum Satellitem Veneris adferendae erunt. Sit igitur

§. IX.

Demonstratio illusionis opticae, seu Spectri Veneris per diversos tubos exhibendi.

Ad pleniorum huius demonstrationis claritatem, praenotanda censui sequentia:


I. Focum radiorum refractorum *compositum*, appello focum illum, qui oritur ex combinatione duarum vel plurimum lentium, quarum una intra focum alterius collocatur, ut in fig. 9, focus A, qui habetur ex lentibus B, C, et F, G, quarum prima B, C, sita est intra focum lentis alterius F, G, cuiusmodi lentium combinationes adhibentur in Gregorianis, aut Dollondianis, aut microscopiis compositis, ad obtinendum augmentum aliquod insigne obiectorum. Distantia huius foci compositi radiorum refractorum a lente prima B, C, fig. 9, ut in dioptriciis demonstratur, pendet a ratione distantiae
lentis

lentis B, C, a lente F, G, ex qua foci imminutione pendet augmentum. Potest etiam haberi focus radiorum refractorum *compositus* per unam lentem huiusmodi, quae habeat diversas convexitates, uti est meniscus, vel lens utrinque inaequaliter convexa.


II. Focum radiorum reflexorum *repraesentativum Spectri*, voco illum, in quo, (posita conditione obscurationis lentis,) locatus oculus seipsum in superficie concava lentis oculum versus spectante clare videre potest, ut supra in experimentis §. VIII. recensitis vidimus.

III. Ad probe intelligenda verba mea, dum dico: conditionem essentiali constructionis tubi, per quem Spectrum videri debet, esse debere hanc: *ut focus radiorum reflexorum repraesentativus spectri cadat intra focum radiorum refractorum compositum, seu, ut hi duo foci conveniant*: sequentia notanda sunt. 1) Constare ex dioptricis, focum radiorum refractorum non formare unum punctum, hoc est, radios refractos non colligi in uno puncto, sed in linea aliqua, et quidem tanto maiore, quo distantia foci radiorum refractorum a superficie refringente, seu a lente, maior est. 2) Etiam focum radiorum reflexorum, ut ex catadioptricis constat, non efficere unum punctum, hoc est, radios reflexos non colligi in uno puncto, sed in linea aliqua. 3) Constat ex opticis, quod linea haec foci radiorum refractorum, (positis caeteris paribus,) semper maior sit quam linea foci radiorum reflexorum, hoc est, quod radii reflexi semper in archiori spatio colligantur, quam refracti. Sic ex. gr. in fig. 13. si radii refracti colligantur in linea *a, b*, reflexi unientur in linea *c, d*, hoc est, spatium totius foci radiorum refractorum *a, b*, in quo exhibetur imago obiecti primarii per refractionem, maius est, quam spatium *c, d*, in quo exhibetur imago spectri per reflexionem. His intellectis dico, ternos esse posse casus, in quibus *focus radiorum reflexorum repraesentativus spectri cadit intra focum radiorum refractorum imaginis primariae*. Pri-

mius



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM

LEIPZIG 1768

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG. IX.88.

nam casum exhibeo in fig. 13. in qua focus radorum reflexorum c, d , est intermedius inter puncta extrema a et b lineae foci radorum refractorum. *Secundus casus* habetur in figura 14. ubi linea foci radorum refractorum repraesentatur per puncta extrema a et c , linea autem foci radorum reflexorum per puncta b et e . *Tertius casus* habetur in fig. 15. expressus, in qua puncta a et b repraesentant lineam foci radorum refractorum, puncta vero a et c lineam foci radorum reflexorum: dico ergo, conditionem essentialem constructionis tubi, per quem spectrum videri debet, esse debere, ut focus radorum reflexorum repraesentativus spectri, qui est c, d , figura 13. vel b, e , fig. 14. vel a, c , fig. 15. cadat intra focum radorum refractorum, qui est a, b , in fig. 13. vel a, c , in fig. 14. vel a, b , in fig. 15. Hinc si focus radorum reflexorum non cadat intra focum radorum refractorum, per hos tres casus expressum, sed vel cis, vel trans focum radorum refractorum, spectrum aut nullum, aut admodum confusum appariturum, prout nempe focus radorum reflexorum magis vel minus prope focum radorum refractorum cadit.

Probe autem notent Lectores, me hic solum loqui de *distantiis* horum focorum a lentibus, non autem de *directione* eorum. Nam si focus radorum reflexorum etiam quo ad *directionem* caderet intra focum radorum refractorum, hoc est, si uterque focus esset in directione eiusdem lineae, tunc omnino spectrum videri non posset, caderet enim imago per *reflexionem* supra imaginem primariam obiecti in retina efformatam, adeoque spectrum cum obiecto primario in unum confunderetur; est itaque necessarium, ut non in eadem *directione* hi duo foci formentur, sed sub diversis inclinationibus, tamen sub iisdem fere distantis a lente. Atque hinc intelligitur, spectrum cadere posse ad aliam retinae partem, ad aliam item obiectum primariam, prout nempe *directio* foci radorum reflexorum a *directione* refractorum per situm oculi et pupillae variatur. His itaque praemissis,
gene-

genesis spectri per tubos diversos spectandi, ordine casuum, seu conditionum ex usitata constructione tuborum aggrediamur.

CASUS I.

Genesis spectri per tubos Gregorianos, aut dioptricos, quarum lens prima ocularis est meniscus.

Quoniam in constructione tuborum Gregorianorum habentur pro lentibus ocularibus binae lentes, quarum lens prima est *meniscus*, ideo combinatio harum lentium facillime huiusmodi haberi potest, quae ad efformandum nitidissime spectrum Veneris, Martis, aut Iovis, desideratur, haecque combinatio casu aliquo fortuito in pluribus tubis Gregorianis iam actu habetur, cuiusmodi ego binos habui, per quos nitidissime Satellitem Veneris et ipse conspexi toties quoties, et aliis multis spectandum exhibui, quique mihi occasionem praebuere indagandi in causam illusionis huius opticae elegantissimae, ut supra §. I. indicavi: de his igitur primum, utpote per quos facillime spectrum hoc et efformatur, et efformari posse, intelligetur.

Sit in figura 8. tubulus K, R, S, T, qui in tubo Gregoriano defert binas lentes, unam X, Z, utrinque convexam, vel plano-convexam; alteram Q, W, concavo-convexam, seu *meniscum*, qui oculo sit proximus; sint haec binae lentes X, Z, et Q, W, in ea a se invicem distantia dispositae, ut harum binarum lentium focus radiorum refractorum *compositus* cadat in ea distantia extra aperturam tubuli in L, M, quae sit proxime aequalis semiradio concavitate menisci Q, W, hoc est, ut M, D, sit proxime aequalis semiradio, seu quartae parti diametri concavitate menisci D, F, hoc est, ut focus radiorum reflexorum repraesentativus spectri M, D, aequatur distantiae foci compositi radiorum refractorum. Sit praeterea apertura G, H, diaphragmatis K, S, eius amplitudinis, ut radii a pupilla reflexi ingredi possint

M aper-

aperturam G, H, et per eandem sub certa directione egredi; fit praeterea augmentum huius tubi insigne, ex. gr. saltem 5ces vel 6ces: dico, applicato oculo ad hunc tubum in distantia foci radiorum reflexorum, dum ad Venerem coelo fudo, post vel ante crepusculum, directus est, dico inquam, per hunc tubum videri debere Satellitem Veneris, et quidem nitidissimum, et distinctissimum.

Nam cum focus compositus radiorum refractorum L, M, terminetur in pupilla P, O, ibidem focus hic efformat imaginem obiecti primarii Veneris A, tanquam in speculo convexo vitreo politissimo; ergo imago haec M, tanquam ex speculo convexo reflectetur: sed ex supposito tantae aperturae diaphragmatis G, H, ut capax sit admittendi radios a pupilla reflexos, imago haec M, a pupilla reflectetur per diaphragma G, H, ad superficiem concavam menisci, ex. gr. in D. Iam cum oculus supponatur etiam esse in foco radiorum reflexorum repraesentativo concavitatis menisci, hoc est, in distantia semiradii concavitatis D, F, hoc est, cum sit in distantia D, M, quae est proxime aequalis semiradio, seu quartae parti diametri concavitatis menisci, erit distantia foci radiorum reflexorum proxime aequalis distantiae foci radiorum refractorum, imago ergo D, iterum per aperturam, et per pupillae foramen P, O, deferetur ad retinam; si itaque directio pupillae sit paululum declinans ab axe tubi, erit *directio* radiorum reflexorum distincta a *directione* radiorum refractorum, hoc est, imago D ex menisco deferetur ad locum retinae E, distinctum a loco imaginis primariae B, ibidemque spectrum exhibebit elegantissimum. Cum vero anima nostra, obiecta in retina depicta ad illa referat loca, quo tendunt lineae rectae, ipsaque lens ocularis, seu meniscus Q, W, sit diaphana, igitur imaginem, seu spectrum E, in retina depictum, refert per lineam rectam E, M, D, I, in locum I, censabitque observator, versari imaginem E in eadem ab oculo distantia, in qua est obiectum primarium B, A, et sub ea magni-

magnitudine, sub qua reflectitur ex superficie concava menisci D, hoc est aucta, pro ratione concavitate menisci Q, W.

Porro ex catadioptriciis demonstratur, et per experimenta supra relata confirmatur, quod spectrum hoc apparere debeat eodem situ cum primario, hoc est, si primum apparet situ erecto, etiam spectrum debere apparere situ erecto, si primum apparet situ inverso, seu astronomice, et spectrum situ inverso apparere debeat. Ponamus, observatori apparere situ erecto obiectum primum, tum certum est, in retina obiectum primum debere esse depictum situ inverso: si ergo demonstretur, etiam spectrum debere esse in retina situ inverso depictum, tum utique et spectrum apparebit observatori situ erecto; atqui in hoc casu haec omnia ita fieri constat ex Catadioptriciis et Dioptriciis. Idem demonstratur de situ apparente inverso per tubos astronomicos, quo casu in retina imago habetur situ erecto depicta.

Quod autem spectrum D, ex concavitate menisci Q, W, reflexum, sufficiente luce fulgens apparere debeat, inde patet, quod plaga coeli, in qua Venus versatur, noctu sit obscura, hoc est, spatium coeli obscure caeruleum, respectu menisci perinde se habet, ac si superficies convexa menisci Q, C, W, charta caerulea vel nigra obscuraretur, hoc est, terminus visionis obscurus, qui campum tubi replet, ex menisco format speculum concavum, ergo imago lucida ex pupilla ad meniscum delata, seu spectrum, perinde clarum, lucidum, et distinctum apparet, quasi reflexum foret ex speculo quodam concavo, fundo nigro obducto. Ex hac ratione solvuntur sequentes quaestiones,

I. Quare spectrum Venèris in crepusculo intenso videri desinat? quia nempe lux nimia crepusculi, quae campum tubi occupat, retinam adeo afficit, ut spectrum factis sensibile fieri non possit, hoc est, quia spectrum refertur ad terminum lucidum. Idem respondetur quaerenti, cur per tubum

Gregorianum Satelles Lunae videri non possit? quia nempe diameter Lunae campum totum occupans nimia adeo luce fulget, ut lux debilior spectri relata ad tam lucidum terminum sentiri non possit.

2. Cur in casu, quo spectrum Veneris cernitur, non videatur etiam ipsa pupilla, vel totus oculus? ut supra in Experimento III. per obscurationem obiectivi dictum est: quia nempe oculus est in obscuro constitutus, hoc est, non illuminatus sufficienti luce, praeter illam partem, in quam incidit focus radiorum refractorum, qui reflexus ex pupilla ad superficiem concavam menisci, format spectrum.

3. Magnitudo diametrorum obiecti secundarii, seu spectri, pendet a duplici principio: primum ex protuberantia maiore vel minore pupillae, quae diversa esse solet; hinc, qui pupillam habet magis convexam, minorem etiam reflectet imaginem quam ille, qui habet minus convexam; quare duo observatores, (positis caeteris paribus,) intuentes spectrum per eundem tubum, si diversae convexitatis pupillas habeant, diversimode etiam aestimabunt rationem diametri spectri Veneris, relate ad diametrum Veneris. Secundum principium variandae magnitudinis spectri maximum est ipse radius concavitatis menisci, qui quo minor fuerit, eo auctior etiam imago reflexa, seu spectrum e menisco reflexum apparebit, poteritque apparere iam una tertia, iam una quarta, quinta, vel sexta pars diametri Veneris, prout fuerit maior vel minor radius concavitatis, ut notum est de speculis concavis obiecta augmentibus.

4. Intensio luminis in spectro, (praeter terminum plus minusve obscurum campi,) inde etiam aliquanto minor debere esse noscitur, quam sit obiectum primum, siquidem spectrum hoc duplicem reflexionem subit, unam a pupilla, alteram a superficie menisci; accedit etiam crassities vitri in menisco, per quam reflexum spectrum, (si ponatur ab ultima superficie reflexum,) transire debet: ceterum omnia haec,
canta

tanta claritate fulgens relinquunt spectrum, maxime si cam-
pus tubi sit obscurus, ut omnino etiam versatissimo illudere
debeat hoc spectrum, haberique possit pro obiecto seu Sa-
tellite vere reali. Quodsi oculus paululum removeatur a
menisco, fieri poterit, (ut supra de Satellite Lunae memini,) ut spectrum hoc lucidissimum per modum fixae alicuius ap-
pareat.

§. Denique, quoniam spectrum hoc efformari intelli-
gitur ex reflexione pupillae, facile patet, motum oculi, seu
pupillae, sequi etiam debere motum spectri in retina depicti,
et quidem in easdem partes, hoc est, si pupilla moveatur
dextrorsum, spectrum etiam dextrorsum moveri videbitur,
si sinistrorsum, etiam spectrum sinistrorsum, si in circulum
circa obiectum primum, etiam spectrum in circulum
ibit etc.

Iam ex his pariter intelligitur, spectrum hoc eodem mo-
do efformari et videri debere per tubos etiam *dioptricos*, qui
pro lente oculari habent meniscos eius conditionis, ut focus
radiatorum reflexorum sit in distantia foci radiorum refracto-
rum a superficie lentis ocularis, hoc est, ut focus radiorum
refractorum cadat in distantia semiradii concavitatis menisci.

Antequam progrediar ad explicandos caeteros casus
constructionis tuborum, quibus Spectrum Veneris per refle-
xionem a pupilla efformari posse ostendam, illud adhuc ani-
madvertisse iuverit, fuisse, et esse quosdam peritos Opticae
Viros, quos hic nominare non ausim, qui pro *certa et indu-
bitata causa* praesenti huius Satellitis Veneris, seu Spectri, af-
signant reflexiones illas, quae oriuntur a radiis obiecti pri-
marii incidentibus in superficies lentium, a quibus superfi-
ciebus inter se reflexiones aliae perficiuntur, quas iam olim
explicuit Hugenius, ut §. VII. et VIII. innui. Hic ego qui-
dem cum illis contendere nolo, an huiusmodi reflexiones in
omnibus tubis illis habeantur, per quos aut Satelles Veneris,
aut Lunae spectantur: certe, in tubo meo theatrally supra ex-
plicato,

plicato, per quem Satelles Lunae elegantissime efformatur, difficile existimo demonstrare has fore sensibiles. Admittam, ergo per huiusmodi lentium reflexiones spectrum aliquod formari posse, ut ipse expertus sum, spectrum inquam luce debilissima et confusa, et interminatum atque indistinctum apparens, spectrum, quod quivis in Opticis vel infra mediocritatem versatus, ut primum conspexerit, sine ulla dubitatione statim agnoscat esse illusionem, hoc est, spectrum ex reflexione aliqua ortum: sed nego formari posse per dictas reflexiones Hugenianas spectrum Veneris, aut Lunae, adeo viva luce fulgens, adeo distinctum, adeo bene terminatum, ut versatissimum quicumque Opticum in errorem inducere possit, affirmandi, et tenaciter defendendi, hoc obiectum esse vere reale, vere physicum, vere extra tubum versans. Certe *D. Short*, a scientia optica celeberrimus, si huiusmodi reflexionem Hugenianam conspexisset, nunquam affirmasset, se Satellitem verum ac realem vidisse; spectrum enim ortum ex reflexionibus superficierum lentium inter se, respectu spectri, quod ex pupilla oculi, (modo supra explicato,) originem ducit, est veluti umbra respectu corporis; hoc solum spectrum, quod a pupilla oritur, aio et affirmo, esse capax illudendi etiam oculatissimo Observatori, alterum, quod ex reflexionibus dictis Hugenianis derivatur, vix tyronem in errorem inducere poterit, quin illico, ut primum comparet, noscat esse spectrum. Haec eo fidentius scribo, quo certiora circa has illusiones experimenta institui, quique non scribo e solis ratiociniis, ut illi fecere, qui Satellitem Veneris nunquam viderunt, attamen demonstrare voluerunt, non quomodo *fortassis* apparere potuerit, sed quomodo *certo et indubitanter* apparuit. Aliud longe sentit is, qui ipse, (ut ego saepissime,) Satellitem hunc fictitium contemplatus est saepius. Verum superfluum censeo, quemadmodum supra §. VII. edixi, his immorari pluribus: qui enim spectrum hoc meum a pupilla reflexum contulerit cum spectro ex reflexionibus illis superficierum invicem, methodo Hugeniana derivato,

(con-

(conferre autem facile poterit cum spectris flammae candelae supra recensitis,) facile etiam discrimen sentiet inter utrumque, videbitque spectrum e pupilla ortum, tanquam corpus reale extra campum tubi longe distans versari, cum alterum, tanquam umbra obiecti primarii, in lentis superficie haerens, vix ultra lentem locatum censetur.

Experimenta huius Casus I. relata sunt §. VIII. Experimento IV.

C A S U S II.

Si lens ocularis prima in tubo Gregoriano sit meniscus, focus autem radiorum refractorum compositus cadat a superficie concava menisci in distantia circiter tres quartas diametri concavitatis menisci, tum spectrum hoc etiam a pupilla reflexum efformari poterit: sed hoc casu quoad situm omnia erunt contraria respectu obiecti primarii, hoc est, si obiectum primum apparet situ erecto, spectrum apparebit situ inverso, si oculus movetur dextrorsum, spectrum movebitur sinistrorsum etc. *Secundo*: Spectrum hoc etiam multo obscurius apparere debet, quam in casu I. etc. *Demonstrationes huius casus notae sunt ex Catadioptrici.*

Igitur condiciones tubi, pro lente prima oculari, habentis meniscum, necessariae, ad efformandum spectrum a pupilla reflexum, binae sunt. *Prima*, ut focus radiorum refractorum compositus sit in distantia foci radiorum reflexorum concavitatis, hoc est, focus refractorum sit proxime a superficie concava menisci in distantia semiradii, seu una quarta diametri concavitatis; qui casus distinctissime et nitidissime spectrum exhibet. *Secundo*, vel, ut focus refractorum compositus sit in distantia a concavitate menisci tribus quartis diametri concavitatis, quo

quo casu adhuc satis distinctum apparet spectrum, etsi aliquantulum obscurius. In aliis casibus distantiarum foci radiorum refractorum a concavitate menisci, spectrum hoc *distincte* apparere nequit, licet confuse subinde representari possit.

Notandum: Dixi superius §. VIII. perinde esse, seu pars concava, seu convexa menisci, oculum versus spectet; quod ipsum hic repetendum, nam utraque pars effectum speculi concavi praestat, hoc solo exiguo discrimine, quod spectrum, (versa parte convexa versus oculum,) aliquantulum variazum, tam ratione magnitudinis, quam claritatis, observetur.

Reliqua futuro Mense.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCLXVIII.

*DE SATELLITE VENERIS: AVCTORE MAXIMI-
LIANO HELL e S. I. Astronomo Caesareo-Regio
Universitatis Vindobonensis.*

Non semper ea sunt, quae videntur; decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit
Quod interiore condidit cura angulo.

Phaedrus in Prologo ad Lib. IV.

C A S U S III.

Si in tubo Gregoriano, aut dioptrico, lens ocularis prima sit utrinque *aequaliter* convexa, (vide figuram 9.) et focus compositus radiorum refractorum B, A, C, sit in distantia A, D, a convexitate B, D, C, lentis B, C, quae sit una quarta pars semidiametri, seu una octava diametri convexitatis, spectrum hoc eodem modo, ut in *Casu I.* nitide et autem exhibebitur: nam hoc casu superficies B, D, C, spectando concavitatem oculum versus sitam, eundem effectum speculi concavi praestabit, quam facit meniscus, hoc solo discrimine, quod ob superficiem refringentem convexam B, E, C, oculum versus sitam, et oppositam superficiem B, D, C, focus radiorum reflexorum, respectu superficiem B, D, C, non sit in semiradio, seu quarta parte diametri, sed in quarta parte

parte radii, seu octava diametri convexitatis, aut concavitas B, D, C. Ob eandem etiam causam spectrum hoc, (etsi distinctum, et plus dimidio auctum, quam fuerit in menisco eiusdem radii) minori tamen aliquantulum luce fulgens apparere debet; praeterea hoc casu, etiam aliud minus spectrum in superficie convexa B, E, C, tanquam in speculo convexo ex pupilla reflexum efformari debere intelligitur, verum hoc secundum spectrum, ob vicinitatem oculi ad hanc superficiem, in meram lucem obscuram et informem, et per maiorem lentis superficiem quasi sparsam, abit. *Demonstratio apparitionis huius hoc tertio casu propositae, eadem est cum proportione, quae casus huius.*

Ex his intelliguntur casus caeteri lentium, utrinque, sed *inaequaliter* convexarum, de quibus universaliter dicendum illud, si distantia foci radiorum refractorum congruat cum distantia foci radiorum reflexorum a superficie opposita lentis, et refractis a superficie oculum versus spectante, tum spectrum hoc apparere potest, ut in casu primo, etsi aliquantulum variatum quoad lucem etc.

C A S U S IV.

Si in tubo Gregoriano, aut dioptrico, lens ocularis prima sit utrinque *aequaliter* convexa, et focus radiorum refractorum *simplex* sit in distantia semidiametri convexitatum, ut sunt ordinarie dioptrici una lente oculari instructi, tum hoc casu duplex spectrum efformari posse intelligitur, ut in casu III. unum a superficie concava B, D, C. (Figura 9.) quod erit respectu obiecti primarii situ inverso, minus clarum, minus distinctum etc. verbo, omnia multo imperfectiora quam fuerint in Casu III. ita ut hanc imaginem facile sit agnoscere, esse spectrum. Alterum spectrum efformatur in superficie convexa B, E, C, (Fig. 9.) oculum versus spectante; tanquam in speculo convexo, situ quidem erecto, sed magnitudine

dine adeo exigua, ut vix sit sensibile, et quod moto oculo situm admodum parum mutat.

De his duobus spectris hoc casu efformatis, (ut experimento V. §. VIII. dictum) haec animadvertenda sunt: quo radius convexitatis minor est, eo spectrum ex superficie B, D, C, concava reflexum maius apparet, alterum autem ex superficie B, E, C, minuitur adeo, ut si radius convexitatis non excedat unum aut duos digitos, spectrum hoc secundum simpliciter insensibile efficiatur; contra autem, quo maior est radius convexitatum, eo imago reflexa ex superficie B, D, C, fit minor, secundum autem spectrum ex superficie B, E, C, reflexum tanto magis augetur.

Ex his concluduntur caeteri casus, si lens ocularis sit utrinque *inæqualiter* convexa.

Experimenta huius casus referuntur §. VIII, Experimento V.

C A S U S V.

I. Si lens ocularis prima sit plano-convexa, (vide figuram 10.) et pars convexa G, D, H, spectet oculum versus, sitque focus radiorum reflexorum *compositus* C, in distantia D, C, semiradii, seu una quarta parte diametri convexitatis, tum eodem modo, ut in casu I. spectrum efformabitur, omniaque phaenomena *casus primi* evenient, et quidem ita, ut secundum spectrum per *casum quartum* a superficie convexa, tanquam ex speculo convexo reflexum, aut omnino non appareat, aut infinite parvum cernatur.

Si vero focus radiorum refractorum *compositus* cadat intra distantiam semidiametri convexitatis, et unam quartam partem diametri, in F, tum spectrum quidem apparebit, sed admodum confusum et indistinctum, per modum Cometae interminatum.

II. Si pars plana oculum versus spectet, et focus D, B, radiorum refractorum *compositus*, sit in distantia D, B, a superficie G, D, H, quae sit una quarta circiter radii convexitatis, seu concavitatis G, D, H, seu una octava diametri convexitatis, spectrum eodem modo, ut in Casu I. apparebit, atamen duplo maius, clarius, et distinctius, quam si pars convexa G, D, H, (eodem modo ab oculo distans una quarta diametri,) sit ad oculum versa, secundarium autem spectrum tanquam ex speculo plano reflexum non apparebit.

Si aliae sint distantiae focorum, quam nunc dictae, (quae Experimento VI. §. VIII. recensentur,) visio spectri distincta fieri nequit: nam tamen si pars plana lentis plano-convexae oculum versus sita, capax sit reflexionis imaginis in pupilla effictae, tanquam speculum planum, atque adeo in eadem fere magnitudine, aliquanto tamen minore, (ut supra Exper. VI. dictum,) quam quae est in pupilla; quia vero imago haec a superficie plana reflexa, reflectitur sub eadem *directione*, qua formatur imago primaria, fit, ut spectrum hoc cadat supra imaginem primariam a radiis refractis in retina efformatam, quae cum maior sit, atque lucidior, quam spectrum a superficie plana reflexum, idcirco sentiri non potest.

Nota I. Ex hoc principio reflexionis partis planae, optime explicatur phaenomenon illud singulare, quod quibusdam Astronomis in Transitu Veneris per discum Solis Anno 1761. observato visum est, qui nempe viderunt, punctum quoddam lucidum supra discum Veneris obscurum versans. Nam cum ad usum huius observationis adhiberi debuerit (ad debilitandos radios solares) vitrum planum aut coloratum, aut fumo obfuscatum, quod inter oculum et lentem primam ocularem locari debet, si pars plana oculum versus spectans polita, et splendens fuerat, fieri potuit, ut imago Solis in pupilla per radios refractos depicta, reflexa fuerit a pupilla ad vitrum hoc planum, atque ab hoc vitro plano, (quod obiecta directe opposita reflectere solet sub eadem dire-

directione) reflexa sit iterum per pupillam ad eundem locum retinae, in quo depicta erat imago obscura Veneris, et quia haec reflexio imaginis Solis a pupilla ad vitrum planum, ut supra vidimus, instar lucidi puncti duntaxat, a vitro plano reflectatur, hinc spectatori apparere debuit punctum lucidum supra discum Veneris obscurum versans.

Nota II. Ex his quinque casibus quoque intelligitur, per eosdem tubos, quibus Satelles Veneris efformantur, videri quoque posse quintum Satellitem Iovis, ut ipse non sine voluptate saepius per tubos Dollondianos conspexi, adeo similem caeteris Satellitibus Iovis, ut si spectrum hoc inter caeteros Satellites per certum oculi situm collocaveram, omnino simillimum caeteris, tam quoad lucem, magnitudinem etc. viderim, nullumque discrimen inter veros, et hunc fictitium repererim. Illusio haec adeo elegans, ignarum quemvis huius illusionis, etsi in Opticis peritissimum, capax est inducendi in errorem affirmandi, aut fixam esse simillimam Satellitibus, aut quintum Satellitem Iovis recens in coelo natum, atque hactenus non visum. Idem cum Marte succedit, dum viva luce fulget, cui ignarus illusionis huius facile Satellitem verum ac realem tribueret.

Nota III. Si pro lente oculari duo vitra planoconvexa, methodo *cel. D. de la Torre*, (de cuius combinationis singulari et praestantissimo cum primis in Astronomicis usu, alias copiosius differendi locus erit,) ita combinata adhibeantur (vide Fig. 11.) ut partes convexae se invicem respiciant, et fere contingant, fit, ut bina spectra aequae lucida, aequae magna, aequae distincta, efformentur per dictam reflexionem pupillae, quemadmodum ipse expertus sum, in contemplando Iove per huiusmodi lentem combinatam tubo augmenti circiter 30es applicatam, atque non sine voluptate, loco Satellitum quatuor, sex omnino, quoad omnia sibi similes adeo, ut falsi a veris discerni non potuerint, conspexerim, aliisque phaenomenon hoc spectandum exhibuerim. *De-*

monstratio huius quoque illationis duplicatae patet e superioribus de lente una plano-convexa relatis.

Atque his quinque Casibus continentur potissimae conditiones tuborum, quibus spectrum Veneris efformari potest; ad facilem tamen per hos tubos Satellitis Veneris visionem, sequentes adhuc notandae sunt conditiones:

1. Ut augmentum tubi sit insigne, saltem 5000 vel 8000 augens obiecta, secus si exiguum sit augmentum, erit quoque imago Veneris in pupilla efformata exigua; haec exigua in pupilla imago reflexa ad concavitatem lentis, exigua quoque ab hac lente ad retinam reflectetur, solumque tantum aucta videbitur, ut per modum fixae 5. vel 6. magnitudinis cernatur. Hinc intelligitur, cur per tubum, per quem Satelles Lunae videtur, Satelles Veneris videri nequeat, ob exiguum nempe augmentum tubi Satellitem Lunae exhibentis.

2. Ut apertura tubi ad oculum etiam huiusmodi sit, per quam radii a pupilla reflexi pertingere possint ad lentem ocularem, et radii iterum a lente reflexi, per eandem aperturam egredi possint ad retinam; exigua autem apertura subinde etiam apta est admittendi radios reflexos a pupilla, si nempe oculus valde vicinus ad hanc aperturam locari debeat.

3. Ut Venus non versetur in vaporibus, sed in plaga caeli serena, nam alias nimis debile evadet spectrum.

4. Ut non sit intensum crepusculum, aut Luna Veneri vicina, quorum lux nimia campum tubi terminans, facit, ut lens ocularis effectum sensibilem speculi concavi vix exhibere possit, ad effectum enim sensibilem lentis per modum speculi concavi, requiritur aliqua lentis obscuratio, seu terminus obscurus.

5. Pupilla oculi sana sit oportet, et splendens, si spectrum nitidum et distinctum videri debeat.

6. Ut

6. Ut oculus prope focum constitutus *motu lentissimo* ad aperturam admoveatur, vel tantillum removeatur, dumque spectrum luce obscura, et confusa, primo apparere incipit, motu lentissimo oculi accedendo vel recedendo quaeratur claritas spectri.

7. Oculus etiam tantillum ab axe tubi deflectere debet, secus spectrum cadet supra imaginem primariam in retina depictam, quo casu spectrum foret insensibile.

Quibus conditionibus observatis, certum erit Observatori: 1) Spectrum Veneris facillime et nitidissime exhiberi per Casum I. hoc est, per telescopium Gregorianum, vel per tubum dioptricum, quorum lens prima ocularis est meniscus, modo tubi huiusmodi iuxta casum primum lentes dispositas habeant. 2) Spectrum, quod per Casum III. apparet, rarius obtineri, difficilius adhuc per casum V: ratio inde petenda est, quod tubi raro ita construuntur, ut ratio focorum radiorum refractorum et reflexorum lentium illa prodeat, quae in casu III. vel V. requiritur, atamen fortuita quadam et casuali combinatione fieri poterat, praesertim in Dollondianis, seu achromaticis, ubi lens ocularis duplex habetur, at haec ratio focorum emerferit; quodsi tamen ex industria lentes ita combinentur, ut in Casu III. vel V. dictum est, haud difficulter spectrum videri poterit. Combinatio lentium Casus II. et IV. adhuc rarior est, qua spectrum nitide exhibeatur; plerumque enim per hos casus confusum et indistinctum, ex non debita lentium combinatione spectrum comparet.

Tubus meus Gregorianus 2. pedum, quo primum Satellitem Veneris conspexi, ut §. VII. rotuli, erat menisco instructus; hic tubus, iam ab uno anno Satellitem Veneris non exhibet, ea de causa, quod situs lentium mutatus est ob gravem lapsum tubi, quo tubulus, lentes deferens, pene confractus, de novo reparari debuit; alter tubus, itidem Gregorianus, 2. pedum, menisco instructus, ab huius artifice *Schul-*

zio confectus est, quem actu, dum haec scribo, possidet *Nobilis D. de Kœrli*, quemque ego tribus fere annis meo in Observatorio depositum habebam: hoc tubo toties quoties Satellitem Veneris cum primis anno 1764. et ipse conspexi, et multis hospitibus conspiciendum exhibui saepissime, nam distantia focorum radiorum refractorum, et reflexorum, per Casum I. et exacta sitis erat, et sita ad ipsam aperturam tubi, ubi oculus applicabatur, hinc facillime sese spectandum praebeuit spectrum.

Atque his meis visionibus, experimentis, et demonstrationibus, iam ab anno 1757. captis, plene convictus eram, Satellitem Veneris, quem mihi ante dicti tubi exhibebant, omnino esse spectrum, seu illusionem elegantissimam, a reflexione pupillae, et superficie concava primae lentis ocularis ortam; quare cum has meas visiones simillimas esse videbam visionibus *cel. D. Casfni*, quas §. II. retuli, itemque visionibus *cel. D. Short* a me §. III. recensitis, hinc factum est, ut dum anno 1760. discursum meum de Transitu Veneris observando scriberem, praefixum Ephemeridibus meis anni 1761. in verba illa eruperim, quae hic in principio §. I. retuli, scilicet, ut in Transitu Veneris attenderent Observatores, an non minor quaedam macula cum Venere per discum Solis moveretur, quam Satellitem eius esse oporteret, *qualem nonnulli se quondam in aliis circumstantiis vidisse putabant*: quae mea ultima verba, cum observationes *cel. Casfni* anno 1686, et *cel. D. Short* anno 1740. circa Satellitem Veneris in Actis Academiae vulgatas spectare videbantur, quas veluti in dubium vocare visus sum, hinc a quibusdam Astronomis privatim, et amicis, per litteras commonitus eram, meque persuadere conati sunt, nullum ipsis superesse dubium, de vera ac reali existentia Satellitis Veneris a tantis Viris visi, et asserti; ego vero de meis quoque visionibus certus, nihil ad haec respondebam laudatis Astronomis, measque demonstrationes apud inemet interea secretas servabam.

At

At vero dum anno 1761. novae visiones *D. Montaigne* typis vulgatae fuissent, quas §. IV. exposui, tum die 1. Iulii 1761, (postquam dictas dissertationes ad me perlatae legissem,) secretas ad *Cel. D. de la Caille* correspondentem meum litteras dedi Parisios, quibus dubia mea de visionibus *D. Montaigne*, eidem soli, et tanquam amico proposui, modum autem illusionis exposui illum, quem hic in Casu III. explicui, ea scilicet de causa, quod, cum in observationibus *D. Montaigne* indicata non fuerit lens ocularis, cuiusnam fuerit figurae, num meniscus, an vero lens utrinque convexa, et num fuerit ex pluribus, an ex una lente compositus tubus, sed solum dicatur, *illum observasse tubo dioptico 9. pedum*: idcirco supposui tubum dioptricum ordinarium, lente duplici utrinque convexa instructum. Altera etiam causa, cur Casum III. prae reliquis elegerim, erat, quod, cum scripserim ad Virum in opticis versatissimum, existimaverim, eum facile ex casu difficiliore ad casus faciliores vim argumentorum meorum applicare posse, quapropter etiam demonstrationem meam Casus III. eidem admodum strictim proposui. Atque haec sunt meae illae litterae, quas depositas tenet *celeberrimus D. Maraldi*, tanquam scriptorum omnium *D. de la Caille* haeres, quaeque suo modo ante annum ad manus *D. Montaigne*, et aliorum quorundam Astronomorum, perlatae, iam pluribus innotuerunt, et quasi vulgatae causam praebuerunt, hunc ut ederem pleniorē in hac materia discursum.

§. X.

Corollaria Demonstrationis illusionis opticae, seu spectri Veneris.

Edixi superius, et in monitis, et §. I. me observationes Satellitis huius Veneris factas a Viris celeberrimis, quas §. II. III. IV. V. et VI. retuli, suo in pretio relinquere; nec ea de causa a me discursum hunc vulgari, ut quem ipsi verum ac realem Satellitem Veneris edixerunt, hunc ego spectrum

Etum fuisse promulgem, atque elegantissima hac illusione, capaci in errorem inducere oculatissimum quemvis, demonstrum ipsis impositum fuisse. Sit igitur Satelles realis, ut ipsi voluere; licebit tamen mihi hic illas referre animadvertiones, quas ipsos Lectores discursus huius mei de observationibus supra dictis facturos arbitror. Nam cum meae hae demonstrationes eius sint conditionis, ut existimem, observatores Astronomos deinceps visuros semper spectrum, quoties ipsis libuerit; cumque viderint spectrum hoc veri Satellitis formam egregie mentiri: facile mihi persuadere, ut illud *Phaedri Lib. III. Fab. XIII.* huic visioni applicent,

*Non inconueniens corpus, et par est color;
In dubium plane res ut merito venerit.*

Liceat ergo visiones horum Clarissimorum Virorum, salva eorum auctoritate et iudicio, cum meis demonstrationibus comparare, et periclitari, num e meis demonstrationibus visiones hae Satellitis Veneris, in superioribus Paragraphis II. III. IV. V. et VI. recensitae, derivari et explicari possint.

Corollarium I. Cel. Casini, dum anno 1672, et 1686. Satellitem Veneris se videre existimabat, usus est tubo dioptrico 34. ped. cumque in hac relatione nihil aliud de hoc tubo referatur, esse certe poterat constructus more ordinario tuborum astronomicorum, cum lente oculari, vel aequaliter vel inaequaliter utrinque convexa, et tum visio referretur ad Casum IV. §. IX. si vero lens ocularis erat meniscus, tum visio referri poterit ad Casum II. §. IX. qui duo Casus spectrum hoc indistincte et subobscurè repraesentant, quemadmodum re ipsa *D. Casini* apparuisse indistinctum, supra §. II. dictum erat. Si tubus *Casini* e lentibus pluribus ocularibus compositus erat, (quae tamen constructio lentium pro illo tempore vix locum habet,) tum si lens prima fuit meniscus, dicendum foret, constructionem huius tubi fuisse eiusmodi, quae vel ad Casum I. vel ad II. §. IX. proxime accederet;

cederet; si vero lens prima (in casu plurium lentium) fuit utrinque convexa, vel plano-convexa, tum constructio tubi proxime accessisse videtur ad Casum III. vel etiam V. §. IX.

Corollarium II. Observationes *cel. Domini Short* §. III. relatæ, factæ dicuntur tubo Gregoriano 16½ pollicum, diversi augmenti lentibus ocularibus applicatis; imaginem etiam hanc Satellitis apparuisse distinctam, bene terminatam, Phasim Veneris æmulantem, habentem diametrum unam tertiam diametri Veneris etc. quæ omnia indicant, visionem hanc fieri potuisse per Casum I. vel III. §. IX, in quibus spectrum, et facillime et distinctissime exhibetur, ut mihi per tubos Gregorianos, habentes pro oculari meniscos, centies, ut ita dicam, id est, toties quoties volui, elegantissime apparuit.

Corollarium III. Observationes *D. Montaigne* §. IV. recensitæ, dicuntur factæ tubo dioptrico 9. pedum; si itaque tubus iste e pluribus lentibus ocularibus more Dollondiano compositus habetur, in quibus lens oculo proxima solet esse meniscus, tum visiones istæ pertinent ad Casum I. §. IX. si vero lens oculo proxima fuit utrinque convexa, tum locum habere videtur Casus III. §. IX. si vero tubus *D. Montaigne* fuit modo astronomico cum una tantum lente constructus, tum vel hæc fuit meniscus, vel lens utrinque æqualiter vel inæqualiter convexa, et tum visiones explicari poterunt per Casus §. IX. ad quos referuntur. Eodem modo ex constructione tuborum *D. Roedker Hassniae, et D. Montbarron Altisfordi* factæ visiones, quas §. V. et VI. retuli, ad suas Classes, supra §. IX. a me indicatas, referri poterunt.

Has itaque visiones fieri potuisse iuxta Casus §. IX. relatatos, satis plane perspicitur. Verum supersunt quædam difficultates non levis momenti, quæ etiam acutissimos viros et multum occuparunt, et modum hunc meum explicandi visiones horum celeberrimorum Observatorum admodum infirmare videntur: sunt autem huiusmodi. *Primo, si spe-*

*Et*rum hoc cuiquam exercitato observatori semel apparuit per aliquem Casum §. IX. relatam, cur idem spectrum, per tubos quaesitum solertissime ab iisdem observatoribus, iisdem deinceps non apparuit amplius? D. Casini certe praeter binas vices, etsi sollicitissime in Satellitem hunc inquisiverit, eum nunquam amplius vidit. Idem evenit D. Short, qui eum praeter unam diem deinceps haud amplius videre potuit, etsi in optimis circumstantiis quaesitum; videntur ergo dicti observatores aliud quid, quam spectrum, supra dicto modo explicatum, vidisse.

Ad hanc quaestionem, quae difficillima iis est, qui spectrum hoc realem faciunt Satellitem, mihi, qui illud cum primis 1764. saepissime modis omnibus periclitatus sum, facilissima est responsio. Ut igitur difficultatem hanc ordinatim resolvam, quaerendum est primo, an iisdem observatores, qui Satellitem viderunt, eosdem tubos, per quos semel viderunt Satellitem, an vero diversos ad hunc detegendum deinceps adhibuerint? si diversos ab illis, quibus Satelles semel apparuit, dicendum videtur, hos tubos conditiones necessarias easdem non habuisse fortassis, quas habebant tubi, quibus Satelles visus est, hinc etiam mirum non esse, si spectrum per hos non apparuit, ut ex §. IX. colligere licet, hoc est, fortassis eiusmodi erant constructionis, ut focus radiorum re flexorum vel ultra, vel cis focum radiorum refractorum situs fuerit. Si vero iisdem tubis, quibus Satelles semel visus est, usi sunt ad hunc deinceps detegendum, tum quaerendum adhuc erit, an iisdem *invariantis* (dico *invariantis*) tubis usi sint? hoc est, an eadem fuerint primae lentes oculares? an eodem modo collocatae? an eadem ab oculo distantia, quae fuit dum Satelles apparuit? an diaphragma primum, seu apertura tubi versus oculum spectans, fuerit eadem, an vero minor? Si itaque harum conditionum aliqua in hoc tubo variata fuit post visionem Satellitis, quae aderat viso Satellite, mirum non erit, hunc amplius non comparuisse, ut ex conditionibus §. IX. constat. Quodsi vero haec omnes condi-

conditiones eiusdem tubi, eadem atque invariatae fuerunt post visionem, quae aderant dum Satelles conspiceretur, supponanturque omnia praeterea caetera etiam paria fuisse, hoc est, coelum sudum, Venus a vaporibus libera, Luna a Venere remota, atque ante crepusculum matutinum, vel post vespertinum observationes detegendi Satellitis institutae etc. verbo, si supponantur omnia eadem fuisse: tamen, si vel sola sequens conditio, (quam veluti maximi momenti fufius hic exponere cogor,) observata non fuit, mirum non erit, Satellitem hunc per eosdem etiam invariatis tubos, ab iisdem observatoribus, visum non fuisse amplius. Haec sola conditio a me ignorata, et non observata, in causa erat, quod ego, (et mecum fortassis mille alii homines,) centies per tubum theatralem, supra §. VIII. explicatum, Lunam intuendo, nunquam tamen, ante repertam hanc conditionem, Satellitem Lunae conspexerim, quem tamen nunc, et ego, et alii, tubo hoc invariato, (sola hac conditione observata,) video toties quoties lubet.

Conditio ergo essentialis, toties quoties videndi Satellitem, seu spectrum Veneris, per tubum eundem invariatum, per quem semel visus est, sequens est: *ut scilicet oculus motu lentissimo (NB lentissimo) et non praecipitato, et cum quibusdam morulis, constituatur in eadem (dico in eadem) praecise a lente oculari distantia, in qua fuit tunc, cum spectrum prima vice apparuit.* Haec autem conditio essentialis adeo delicata est, ut nisi distantia haec oculi a lente, oculo morose, ut ita dicam, et quasi insensibiliter moto quaeratur, spectrum semel fortuito visum, vix unquam se iterum spectandum exhibiturum sit. Quae conditio, quam sit delicata, quamque intra admodum arctos distantiae oculi a prima lente limites contineatur, ex sequentibus patebit, et ipsa experientia in practicandis phaenomenis cum tubo theatralem §. VIII. recensitis, docebit.

Conditio essentialis constructionis tubi, per quem Satelles, seu spectrum exhibeatur, supra demonstrata, est sequens:

ut focus radiorum reflexorum representativus spectri sit intra limites foci radiorum refractorum, hoc est, ut focus radiorum reflexorum non cadat trans, vel cis distantiam foci radiorum refractorum a lente, deinde: ut oculus praecise in distantia foci radiorum reflexorum a lente constituitur. Iam vero ex dioptriciis constat, ut supra innui, (vide figuram 13) focum radiorum refractorum a, b qui oritur e radiis refractis L, a , et m, b , non terminari in uno puncto, sed in pluribus punctis inter a , et b . adeo ut radii refracti colligantur in linea aliqua a, b , cuius limites, seu termini, sint a et b : inde consequitur, quod oculus intra limites a et b ubivis locatus obiectum primum videre possit. Secundo, ex catadioptriciis demonstratur, focum quoque radiorum reflexorum c, d , fig. 13. etiam non esse in uno puncto, sed in linea aliqua c, d , atamen comparanda lineam foci radiorum reflexorum, cum linea foci radiorum refractorum, constat et experimentis dioptriciis, et catadioptriciis, lineam foci radiorum reflexorum, multo minorem esse quam foci refractorum, hoc est, limites foci radiorum reflexorum esse multo arciores, quam limites foci radiorum refractorum; arcus enim colliguntur radii reflexi, quam refracti.

Ponamus iam constructionem tubi, per quem Satelles visus est, esse eiusmodi, (vide fig. 12.) ut limites radiorum refractorum sint e, f , et g, h ; limites vero radiorum reflexorum a superficie lentis concava, sint a, c , et b, d , locus autem, ubi distinctissime apparet spectrum reflexum, sit in intersectione m, n , cum l, k , quo casu imago primaria a radiis refractis efformata videri poterit per totam lineam intra e, f , et g, h , conclusam, quae subinde etiam medium digitum et ultra aequare potest; unde oculus in quocunque loco intra limites e, f et g, h , locatus, ubivis cernet obiectum primum. Iam quoniam limites radiorum reflexorum sunt a, c , et b, d igitur oculus intra hos limites a, c , et b, d , constitutus, imaginem secundariam, seu spectrum obiecti primarii videre poterit, qui limites radiorum reflexorum saepissime vix

unam

unam duodecimam digiti partem, saepius vix dimidiam lineam digiti aequant. Inde vero consequitur, quod si oculus sistatur inter e, f , et a, c , aut inter b, d , et g, h , spectrum videri omnino non possit, tamen si imago obiecti primarii distincte videatur; si vero oculus sistatur intra limites a, c , et b, d , tum et spectrum, et obiectum primum videri poterit, modo pupilla oculi non sit in eadem *directione* I, K, sed aliquantulum declinans, ne spectrum cadas supra imaginem primariam in retina depictam.

Eodem modo (in figura 14) si limites radiorum refractorum sint a et c , limites vero radiorum reflexorum sint b et e , tum si oculus sit inter b et e aliquantulum declinans a *directione* a, k , eidem apparebit et obiectum primum, et spectrum; si vero sit inter a et b , ei solum obiectum primum sine spectro apparebit, quia nempe nondum attingit distantiam foci radiorum reflexorum.

Et pariter in Casu figurae 15. si limites foci radiorum refractorum sint a et b , reflexorum autem sint a et c , tum oculo constituto inter a et c *directione* a, k , aliquantulum mutata, eidem tam obiectum primum, quam spectrum apparere debet; si vero oculus sistatur inter c et b , eidem solum obiectum primum, sine spectro, exhiberi debet.

Atque ex his iam solutio quaestionis propositae facilissima est, dum nempe quaeritur, *cur observatores, qui semel viderunt spectrum Veneris, illud deinceps aut nunquam, ut D. Short, aut rarissime, ut D. Casini, per eundem etiam invariatum tubum viderint?* quia nempe, dum oculum tubo applicabant, celeritate appropinquantis oculi ad tubi aperturam, artos radiorum reflexorum limites aut praetergressi sunt, ut, si (in figura 13) oculum fixerunt inter d et b aut in figura 15 inter c et b , vel vero nondum attigerunt limites reflexorum, ut si, in figura 13, oculum fixerunt inter a et c vel in figura 14. inter a et b , ubi tantum certum est videri posse obiectum

Etiam primum solum, sine spectro; sola igitur praecipitata et celer oculi ad aperturam tubi applicatio in causa erat, cur acutissimos limites radiorum reflexorum huiusmodi observatores aut celerrime praetergressi sint, aut nondum eos limites affecti fuerint; hoc est, cur distantiam praecisam oculi a lente non repererint amplius illam, quam habebant tunc, cum illis vice prima spectrum apparuit. Quod si observatores hi, *lentissime* oculum ad aperturam tubi admovissent, hoc est, distantias oculi a lente varias motu *lentissimo*, et quasi *morosius*, quaevisissent, certus sum, (nam propria experientia doctus loquor,) spectrum hoc, uti primo, ita secundo, tertio, et quarto etc. verbo: toties quoties libuisset, conspiciere poterant. De hac sola cautela admoniti hospites mei, quibus spectrum Veneris, aut Lunae, aut etiam flammae candelae videndum exhibebam, id illico cum voluptate conspexere, cum alii, hanc cautelam ignorantes, per eundem tubum nunquam videre poterant ante, nisi tum, cum de ea admonerentur. Cautela autem isthaec necessaria omnino fundatur in vera catadioptricae et dioptricae Theoria, ut supra vidimus. *D.* igitur *Montaigne*, qui per quatuor dies Satellitem hunc vidit, aut lente oculum ad aperturam applicuit, aut casu tubus illius ita constructus est, ut limites radiorum reflexorum et refractorum sint in ea ab apertura tubi distantia, in qua ordinario oculum applicare solebat; quapropter facilius etiam attingit distantiam foci radiorum reflexorum.

Si quis autem ex eo capite defendere vellet, spectrum semel visum, deinceps vero nunquam conspectum, scilicet: quod, etsi semper attigerit limitem radiorum reflexorum, tamen, quia oculus erat semper etiam in eadem *directione radiorum* refractorum, hoc est, quia spectrum cadebat semper supra obiectum primum in retina eformatum: eum arbitror responsum admodum improbabile adferre propterea, quia maxime improbabile est, oculum semper in eadem directione posse applicari ad axem radiorum refractorum, quin aliquan-

aliquantulum subinde declinet: ut primum autem tantillum declinat, illico spectrum depingi debuit in alia aliqua retinae parte, distincta a parte retinae in qua obiectum primum efformabatur, hoc est, spectrum videri debuit una cum obiecto primario.

Neque dicat aliquis, in casu, quo observator oculo ad tubi aperturam appropinquans, transit per limites radiorum reflexorum in eo tubo, per quem semel visus est Satelles, factem pro eo tempore spectrum observatori apparere debuisse, quando per hos limites oculum movebat; adeoque videtur improbable, ut quis tubo, quo semel conspexit spectrum Veneris, deinceps nunquam illud videre potuerit: dico enim, solum *celerem* oculi per hos arctos limites transitum in causa esse non visi spectri. Cum enim hi limites radiorum reflexorum adeo exigui sint, ut subinde vix unam lineam digiti, nonnunquam autem vix mediam lineam adaequant, hinc si oculus paululum celerius admoveatur, fit, ut limites hi velut intra unum minimum momentum temporis oculo percurrantur; hinc etiam spectrum, quod quidem intra dictos limites efformatur, *celerrime*, et quasi eodem momento, et nascitur, et extinguitur, hoc est, sensationem nullam in retina ab anima perceptibilem producere potest, ob nimiam celeritatem motus oculi.

Praxis ergo hoc spectrum videndi per tubos §. IX. descriptos haec est, ut observator, *primo*: Venerem in medio campo tubi constituat, tum oculum *lentissime* ad tubi aperturam admoveat, donec circa margines campi, (nam ibi, ut constat ex catadioptriciis, imago reflexa, seu spectrum principio apparere solet,) lucem quandam spuriam atque confusam cernat, qua visa *lentissime* oculum aut admoveat tantillum, aut removeat ab apertura tubi, prout viderit lucem hanc spuriam, vel clariorem et distinctiorem, vel vero obscuriorem fieri; tum vero in loco, ubi distincte cernitur, posito oculo, omnia ea experimenta periclitari poterit, quae ego de meis visionibus supra §. VII. retuli. Si Venerem constituat prope
P lunbum

limbum campi in tubo, tum spectrum, seu Satelles, facillime in medio campo tubi comparet; caeterum, ut supra §. VII. dixi, Satelles hic, in omni a Venere distantia et situ videri, seu efformari potest, prout nempe fuerit deviatio oculi ab axe radiorum refractorum, qui per centrum Veneris transit, hoc est, prout motus oculi circa imaginem primariam Veneris fuerit diversus. Hinc spectrum etiam sibi potest adeo vicinum imagini primariae Veneris, ut eam tangere videatur, aut plane, ut supra discum Veneris cadat, ubi tamen plerumque disparere solet; dico plerumque, nam fieri potest, ut spectrum (per situm oculi) adeo minuatur, ut sub forma fixae alicuius 3, vel 4. magnitudinis comparere debeat: quo casu spectrum hoc, utpote lucidius ipsa imagine primaria, supra discum Veneris apparere possit.

Quoniam autem Lectores huius mei scripti non omnes huiusmodi tubos habere posse intelligo, quibus Satellitem Veneris sibi efforment, ea de causa §. VIII. tubum proposui theatralem, qui cum maxime obuius sit, et passim haberi, et pretio admodum exiguo a quovis facile comparari potest, et cuius constructio aptissima est, tum ad Satellitem Lunae facillime conspiciendum, tum ad explorandam totam Theoriam spectri Veneris per tubos alios visi. Theoria enim tota generis spectri Veneris in his consistit: *quod cum in pupilla terminatur focus radiorum refractorum, exhibentium imaginem primariam obiecti; hic focus seu imago obiecti primarii, ex pupilla tanquam speculo politissimo convexo reflectatur sub certo angulo ad lentem primam ocularem, lens autem omnis superficiem aliquam habeat, quas sub certis conditionibus (§. IX. relatis) effectum praestare potest speculi concavi, adeoque iginem a pupilla in aliquam lentis primae ocularis superficiem delatam, per modum speculi concavi auctam reflectere ad retinam.* Haec autem theoria omnis exacte habetur in tubo theatriali, qui lentem habet ocularem plano-concavam, cuius pars concava (tanquam speculum concavum) oculum versus sita est, ut in experimen-

tis §. VIII. relatis, clarissime patet, ipsaque constructio tubi huius theatralis planissime demonstrat.

Si quis igitur in hac elegantissima illusionem optica sese exercere voluerit, ei suadeo experimenta cum Luna in quadratura, aut prope eam versante, facere ea, quae supra §. VIII. recensui; si nempe accipiat tubulum theatralis, qui magnam campum habet, et obiecta, aut non auget, aut admodum parum, quique ex duobus vitris constructus sit, hoc est, ex lente obiectiva plano, aut utrinque convexa, aut etiam pro obiectivo habeat meniscum, vel huiusmodi compositum, ut sunt Dollondiani: pro lente autem oculari habeat vitrum plano-concavum, cuius pars concava oculum versus spectet, habeatque praeterea aperturam ad lentem ocularem (ut plerumque fit) ampliorem. Hoc tubo, si Lunam aut plenam, aut prope quadraturam versantem, quis intueatur, oculumque lentissime et cum mora ad lentem ocularem admoveat in ea a superficie concava lentis oculum versus spectante distantia, quae sit circiter una quarta diametri, aut una dimidia radii concavitate lentis plano-concavae, fieri nequit, ut multum temporis perdat, in efformando et videndo Satellite Lunae, facillime enim per hunc tubum situs oculi invenitur, in quo spectrum nitide compareat, eaque omnia periclitari possunt, quae §. VIII. recensita habentur. Idem tentare poterit tempore vespertino cum flamma candelae etc.

Soluta ergo facillime difficillima, (ut prima fronte videbatur,) quaestione nunc exposita, de causa non apparentiae spectri Veneris his etiam observatoribus, qui illud semel, vel paucis vicibus viderunt, deinceps autem nunquam amplius videre potuerunt; supersunt adhuc nonnullae difficultates, ex observationibus Domini Montaigne petitae, quae contra meam explicationem aliquid facere videntur. Et primum illud est: Dominus Montaigne, (ut §. IV. retuli,) Satellitem Veneris conspexit semel etiam sine Venere, hoc est, tum cum Venus in campo tubi non appareret, et quidem, (ut per litte-

ris *Muysijani D. D. Baudouin* edoctus sum,) multo distinctius, quam praesente Venere. Atqui, si Satelles iste spectrum Veneris fuisset, dicto supra modo, per radios refractus et reflexos genitum, spectrum hoc sine imagine primaria Veneris omnino videri non potuisset; igitur Satelles *Domini Montaigne* non spectrum, aut illusio aliqua alia optica, sed verus ac realis censendus est Satelles. . . Ut quaestioni huic ad speciem satis difficili satisfaciam, etsi non dubitem futuros non nullos, qui existiment, fieri potuisse, ut (emoto tubo) campum tubi fixa aliqua subingressa fuerit, quam *D. Montaigne* pro Satellite Veneris habere potuit; aut etiam fieri poterat, ut *D. Montaigne* lumen aliquod candelae sub observatione hac ad latus constitutum habuerit, quod in eius pupillam radiabat, atque ab hac ad lentem ocularem reflexum sit, (ut §. VIII. in experim. II. Fig. 4. exhibetur) indeque ad retinam delatum, per modum Satellitis, (praeoccupata iam imaginatione,) apparuerit. Ego tamen omnem huic relationi fidem adhibeo, solumque desiderassem maiorem circumstantiarum explicationem, num scilicet Satelles iste absente imagine Veneris aequae magnus, quoad suam diametrum, an vero minoris diametri? num phasis etiam aequae distincta, et ad eandem partem versa, ut praesente Venere, apparuerit, an secus? etc. Si Satelles iste quoad magnitudinem adeo imminutus apparuit, ut per modum fixae alicuius 5. vel 6tae magnitudinis visus fuerit, tum spectrum hoc generari potuit eo modo, quo Satelles Lunae supra §. VIII. Experim. I. Fig. 2. aut Satelles flammae Fig. 4. eiusdem §. VIII. Experim. II. Scilicet, evenire potuit, ut, (emoto tubo,) Venus extra tubum ad latus versans radios suos directe ad pupillam emitteret, ibidemque depicta imago Veneris, reflexa fuerit a pupilla per aperturam tubi ad lentem ocularem, atque a lente, tanquam speculo concavo auctior reflexa iterum fuerit per pupillam ad retinam: quodsi hoc modo visus est Satelles, tum quidem lucidissimus apparere poterat, sed adeo imminutus, ut vix fixam aliquam 5. vel 6tae magnitudinis

tudinis aequaverit. Verum supponamus, Satellitem hunc sine Venere visum, fuisse eiusdem diametri, eiusdem phaeos, et eiusdem phaeos ad eandem partem versae, quae erat praesente Venere; dico, phaenomenon istud satis probabiliter evenire potuisse modo sequente, maxime si aperturam tubi supponamus fuisse aliquanto latiore, ut eam se latiore fecisse ipse fatetur *Dominus Montaigne* in litteris, quibus respondet *Illustrissimo Domino Baudouin*, ad veterem meam demonstrationem *Domino de la Caille* missam, et quidem ea de causa se fecisse ampliorem aperturam tubi, ut distinctius et facilius Satellitem cernere posset.

Sit igitur in Figura 16. A, B, C, D, campus tubi, sit Q, W, meniscus ocularis, vel alia lens per modum speculi concavi agens, sit I, G, apertura tubi paulo amplior, versetur itaque Venus in parte aliqua campi tubi ex. gr. in E prope limbum aliquem, fieri ergo poterit per situm oculi, ut radii refracti E, H, hoc est, focus refractorum depingat imaginem Veneris in pupilla ex. gr. in H, non supra foramen pupillae m, n, o, sed ad latus aliquod huius foraminis, seu extra foramen pupillae in H, imago ergo primaria H, cum non penetret foramen pupillae, etiam ad retinam pertingere non potest, hoc est, imago primaria non videtur. Haec imago H, in parte pupillae extra foramen pupillae sita, reflecti poterit, (ob amplitudinem aperturæ tubi I, G,) in lentis superficie concavam in K, indeque reflecti per pupillae aperturam m, n, o, ad retinam in R, atque inde per lineam rectam referri ad campum tubi in F, sicque spectrum Veneris sine Venere spectari poterit, eiusdem diametri, eiusdem phaeos, ad eandem partem sitae, et quidem multo adhuc vivacius apparere debet absente imagine Veneris, eo quod lucida imago Veneris in retina depicta, vicina spectro, lucem spectri aliquanto imminuere debere intelligatur. Hoc modo satis probabile videtur, phaenomenon hoc apparuisse *Domino Montaigne*. Attamen fortassis alio adhuc modo huic

quaestioni satisfieri posset, si circumstantiae omnes huius visionis notae haberentur.

Difficultas altera ex observationibus *Domini Montaigne* petita sequens est: quod nempe distantiae Satellitis a Venere adeo ordinatae, et loca visa mensurae temporis inter observationes intercedentis proportionalia fuerint, quodque motus Satellitis constanter in eandem circum Venere partem, hoc est, ab occidente in orientem, vel potius, (ut *Illustriissimus D. Baudouin*, in sua eleganti dissertatione suppuravit,) a septentrione in meridiem fieri visus sit, qui situs nulli spectro, aut illusioni opticae tribui posse videntur: si spectrum fuit, modo supra dicto genitum, cur situs isti non fuerunt perturbati, ut facile perturbari posse motu solius oculi noscuntur etc.

Quod ad distantias attinet, satis patet, ex haecenus dictis, eas aptissime etiam huic meo spectro convenire; quod vero ad motum spectat, non is videtur esse, ut demonstrative persuadeat, illum etiam spectro non posse tribui. Periodus certe huius Satellitis circa Venere, quae ex his observationibus situs, iuxta combinationes deducitur, iam sex, iam novem, iam duodecim dierum foret; ex quibus liquet, loca visa quoad situm et motum satis fuisse perturbata, et potius spectro, quam reali Satelliti, convenientia. Accedit, quod Satelles iste, (ut ex his *D. Montaigne* observationibus *Illustriissimus D. Baudouin* egregie demonstravit in sua elegante dissertatione,) praeter omnium nobis haecenus notorum Satellitum morem, non ab occidente in orientem, sed potius a septentrione in meridiem circa Venere moveri deberet, seu quod orbita eius vix aliquam ad Eclipticam inclinationem haberet, quod certe praeter morem omnium Satelliticum notorum esset, et potius Cometae alicui circum Solem moto, quam Satelliti circum Planetam primarium versanti, quorum orbitae haud magnam habere noscuntur inclinationem ad Eclipticam, tribui posset.

Super.

Superfunt nonnullae levioris momenti quaestiones ex Observationibus supra §§. II. III. IV. V. et VI. relatis formandae, ut, si quaeratur: cur *Domino Short*, qui hunc Satellitem per horam fere contemplatus est, per applicationem diversarum lentium ocularium varii augmenti semper visus sit? Ad hoc respondendum videtur, eum diversae hae lentes pertinuerint ad eundem tubum Gregorianum $16\frac{1}{2}$ pollicum, solumque ad obtinenda diversa augmenta obiectorum applicabantur; videntur omnes hae lentes ex eadem theoria constructae et combinatae fuisse, hoc est, primam ad oculum lentem fuisse in omnibus applicationibus vel meniscum, vel lentem utrinque convexam, cuius focus radiorum reflexorum cum foco radiorum refractorum quoad distantiam a lente congruebat, ut postulat Casus I. vel III. §. IX. Idem respondendum videtur, dum refert *Dominus Short*, Satellitem a se per alium etiam tubum Gregorianum conspectum fuisse, nempe et hic tubus erat Gregorianus, fortassis ex eadem theoria et combinatione lentium constructus; combinationem autem hanc, quae spectrum, seu Satellitem exhibeat in Gregorianis meniscum pro oculari prima habentibus, admodum saepe evenire noscitur, ut ipse, in duobus Gregorianis meis, supra relatis, expertus sum. Optandum fuisse, ut *Dominus Short*, tubo alio reflectente methodo Newtoniana constructo in hunc Satellitem indagasset tunc, eum eadem per Gregorianos apparuit, non dubito, illum idem experturum fuisse, quod ego de meis Newtonianis supra §. VII. retuli, hoc est, Newtonianis Satellitem hunc vix appariturum fuisse; unde facilis fuisset illatio, Satelliti Veneris per Gregorianos apparenti, disparenti vero per Newtonianos, illusionem aliquam opticam subesse. Idem factum optassem a *Domino Montaigne*, si alios praestantiores adhuc tubos alterius constructionis, maximo Newtonianos, ad manus habuisset. Observatores quidem *Haffnienses*, (vide §. V. et animadversionem III. §. VI.) eodem vespere, dum per tubum $9\frac{1}{2}$ pedum Satellitem contemplabantur, ad tol-

lendum

lendum dubium illusionis opticae, in eundem per tubum alium 18. pedum, alium item 7. pedum, inquisiverunt, et omnino his tubis Satellitem se videre non potuisse falsi sunt; quae non visio per hos tubos argumentum erat omnino convincens, Satellitem per tubum 9 $\frac{1}{2}$ pedum esse debere illusionem. Si enim erat realis, cur per alios tubos, maxime longiorem 18. pedum, visus non est? verum praecoccupati sententia de realitate Satellitis a tam Illustribus Academicis approbata, non visionem hanc per tubos 18. pedum, et 7. pedum, adscribere maluerunt aurorae cuiusdam boreali, quae non sub ipsa observatione, sed post hanc primo emicuit.

Cur autem *Dominus Short*, caeterique, Satellitem hunc deinceps per eosdem tubos, quibus visus est, videre amplius non potuerint, responsum fuit superius, ubi de limitibus foci radiorum reflexorum et refractorum uberius disserui.

Porro, si his objectionibus pro evincendo Satellite reali Veneris a patronis huius Satellitis formatis, opponantur aliae ab adversariis, seu ab iis, qui hac mea demonstratione convicti sunt, censeo, ad quaesita adversariorum Satellitis, patronos eius vix aliqua probabilitate respondere et satisfacere posse. Ut, si quaerant:

Primo: Si Satelles iste Veneris vere est realis, et circum Venerem orbitam suam habet, si diameter illius est una tertia, vel una quarta diametri Veneris, adeoque Venere in parte inferiore suae orbitae versante, (hoc est, quando Venus Telluri appropinquat,) diameter Satellitis tanta fere apparere debet, quanta est diameter Mercurii in distantia minima a tellure, hoc est, saltem 14. vel 15. secundorum, cur inquam, tam raro haec visus est tantae magnitudinis apparentis Satelles? cur tantus operam lusit Observatorum exercitissimorum, tubis optimis instructorum, Satellitem hunc in circumstantiis optimis quaerentium, tubis inquam, quibus ipsi debilitissimi alii Satellites Saturni distincte cernebantur? E longo Observatorum in Satellitem hunc solertissime inqui-

ren-

rentium Catalogo, vel unum *exercitatissimum*, totique *Euro-pae notissimum* D. Messier, in *observatorio maritimo Parisi* *Astronomum celeberrimum*, nominasse sufficiat, qui, ut me per litteras edocuit, tubo optimo Gregoriano 30. pollicum, quo Ecliptes Satellitum Iovis diligentissime observare solet, Anno 1764. per Menses Aprilem, Maium, Iunium etc. diebus singulis, quos illi coelum serenum indulfit, quos certe quamplurimos mihi transcripsit, Venerem causa huius Satellitis detegendi contemplatus est, adhibitis etiam variis vitris, factis variis aperturis etc. et tamen fatetur, adhibita omni industria, se hunc nunquam videre potuisse. Ipse *Dominus Short*, licet iisdem tubis usus sit ad iterum videndum Satellitem, quibus eum semel viderat, hanc tamen nunquam deinceps vidit. Idem evenit *Domino Montaigne*, atque innumeris aliis, in vanum Venerem causa huius Satellitis contemplantibus. Cur ergo, inquam, tam insignis magnitudinis Satelles, vel per obvium tubum quemvis, imo etiam libero oculo (uti Mercurius) alias videndus, tam raro visus est?

An causam rarioris huius apparitionis referent ad nescio quas Satellitis maculas? dicentque, fortassis partem globi huius Satellitis ita esse constitutam, ut inepta sit reflectendae lucis a Sole acceptae, persimili modo, uti refertur de quinto Satellite Saturni? Sed reponent adversarii: Satelles iste probabilius habet motum rotationis circa axem proprium, cur ergo ita avarus est, ut tam raro nobis exhibeat partem lucis solaris reflectendae capacem? quintus Saturni Satelles certe multo liberalior est, qui tantum in parte suae orbitae occidentali disparere consuevit, in aliis partibus compareret, et id quidem facit ordinatissime. Deinde cur ista periodus vertendi partem lucis reflectendae capacem tam est inordinata, ut ab anno 1672. ad annum 1686, quibus Satelitem *Cel. Casini* vidit, anni 14. intercesserint; ab anno 1686. ad annum 1740. quo illum *D. Short* viderat, praeterlapsi sint anni 54. iterum ab anno 1740. ad 1761. quo

Q sum

eum *D. Montaigne* contemplatus est, evoluti sint anni 21. denique ab anno 1761. ad annum 1764. quo visus est *Hoffmaie*, et *Altisfordi*, anni praeterierint duntaxat 3. An vel tenui probabilitate respondebunt, dicendo. quia his intermediis annis observatores eidem detegendo non invigilarunt; cum tamen credibile sit, *Dominum Casini* quoad vixit, huic inquirendo saepissime invigilasse, idem fecisse haud dubitandum est *Dominum Short*, et complures alios, ad quos tam singularis relatio novi huius Satellitis pervenerat.

An pro altera tam rarae apparitionis causa, dicent, esse orbitam huius Satellitis adeo amplam, ut dum Satelles est in digressione maxima apparente, distantia Satellitis a Venere maior sit, quam ullus sit campus tubi, qui Satellitem cum Venere capere possit. Sed huic responso repugnant observationes *Domini Montaigne*, qui a die 3. ad 11. Maii fere duas tertias suae circum Venerem orbitae Satellitem conficisse vidit, et quidem in orbita tunc fere ad radium visualem perpendiculari, cuius radius, seu semidiameter orbitae, non maior visa est 26. minutis, quae certo campum tubi, etiam maioris augmenti, non excedunt. Accedit, quod, etiam si supponatur, orbitam huius Satellitis contra aliorum Satellitum normam, ita esse parum inclinatam ad eclipticam, (ut refert *Illustrissimus D. Baudouin*), ut eam fere ad angulos rektos fecet, Venus tamen saepissime in nodis huius orbitae Satellitis versari debere intelligitur, quo casu Satelles quasi in linea recta circum Venerem moveri apparere debet, ita ut a Venere etiam occultari videri posse debeat; cur ergo in tanta vicinia Veneris saepius visus non est?

An pro causa tertia tantae rarae apparitionis assignabunt lumen Zodiacale, seu atmosphaeram Solis, cui Venus una cum Satellite fere semper immerita est? dicentque: hanc Solis atmosphaeram veram esse causam, cur Satelles tam raro radios Solis ad nos in tanta copia reflectere possit, ut per tubos

bos etiam optimos conspici possit. Sed, qui id asserunt, iis demonstrare incumbit, illis diebus, quibus Satelles visus est, aut Venerem extra atmosphaeram Solis versatam fuisse, aut atmosphaeram Solis ea parte, in qua Venus tum erat, fuisse minus densam: quod quidem ostendere admodum arduum esse intelligitur, si calculi ineantur, (ut facile iniri possunt,) tum situs atmosphaerae Solis, tum locum Veneris pro illis temporibus, quibus Satelles in supra recensitis §§. II. III. IV. V. et VI. visus est. Quid autem reponent quaerenti: si pars tantum atmosphaerae Solis, cui Venus immersa est, Tellurem inter et Venerem posita, capax est sua densitate impediendi apparentiam Satellitis Veneris, et quidem Satellitis habentis tam sensibilem diametrum, cur totius atmosphaerae Solaris densitas, (in casu, quo locus geocentricus Iovis, aut Saturni, est post atmosphaeram Solis,) inter Tellurem et Iovem aut Saturnum interiacens, apparentiam Satellitum Iovis, aut Saturni, quorum diametri apparentes multo minores sunt diametro apparente dicti Satellitis Veneris, non impedit. Casus iste, in quo tota atmosphaera Solis interponitur inter Iovem aut Saturnum, et inter Tellurem, frequentissimus est, ante nempe, et post coniunctionem Saturni vel Iovis cum Sole, qui omni anno contingunt in Saturno, in Iove etiam omni anno fere, neque tamen Satellites Iovis, aut Saturni, hac de causa redditi sunt invisibiles. . . . An dicent, discrimen magnum interesse inter Satellites Iovis, aut Saturni, in magna post atmosphaeram Solis distantia versantes, et Venerem atque eius Satellitem, ipsi atmosphaerae Solis immersum, qui attractione sua facere potest, ut materia atmosphaerae Solis circa globum Satellitis ita accumulatur, et condensetur, eumque persimili modo involvat, uti exhalationes Cometae ipsum corpus Cometae circumdant. Sed admissa etiam hac attractione, quaerent adversarii, si Satelles hac virtute gaudeat, cur Venus ipsa, et multo magis Mercurius, expertes sint huiusmodi attractionis, qua sibi atmosphaeram propriam e materia atmosphae-

sphaerae Solis adeo densam formare valeant, quae globum Veneris vel Mercurii minus visibilem reddat? huiusmodi certe atmosphaera praeditam Venerem, vel Mercurium, nemo Astronomorum prodidit se unquam conspexisse. Quaerent deinde, quonam modo Satelles iste, dum clarissime apparuit, uti apparuit *Domino Short* et *Domino Montaigne*, hoc involucro, seu atmosphaera propria, privatus fuerit? Quaerent denique, cui saltem dum sub hoc involucro latet Satelles, lucem aliquam debiliorem persimilem luci Cometae constantem ad nos reflectere non possit, quin saltem sub forma parvi alicuius Cometae criniti, Venerem comitantis, apparere valeat? Maxime certe improbabile est, ut hoc involucrum Satellitis ex atmosphaera Solis effectum eius sit naturae, quae tam exiguam quantitatem radiorum Solarium ad nos reflectat, ut Satelles plane invisibilis efficiatur etiam per tubos optimos. Ipsa atmosphaera Solis, (seu lumen Zodiacale,) etsi satis rara, tamen capax est reflectendi lumen Solis ad nos in ea quantitate, quae oculo sit sensibilis: cur ergo densior Satellitis atmosphaera, ex atmosphaera Solis formata, aut ipsum corpus Satellitis per atmosphaeram suam incapax est reflexionis sufficientis lucis ad conspiciendum Satellitem?

Et demum, quid reponent ad quaestionem similem, si supponamus meas quoque visiones haberi pro Satellite reali, ut fortassis ipsemet pro talibus vulgarem, nisi in indaganda veritate oculatior fuisset: cur ego eundem vidi ab anno 1757. ad hunc praesentem, quo haec scribo, annum 1765. per annos fere novem, et quidem toties quoties volui? nec tantum ipse vidi, sed aliis, quibus volui, spectandum feci, ut supra retuli. Cur ergo aliis non apparuit praeter *D. Montaigne* Lemovicis, 1761. et *D. Rosdier* Hafniae 1761. atque eodem anno Altisiodori *D. Montbarron*? cur ego eundem anno 1764. per menses Martium, Aprilem, Maium, et Iunium, saepissime contemplatus sum iisdem fortassis diebus, quibus eum in vanum quaesiverat Parisiis *D. Messier*, quibus cum

eum viderunt Hafniae et Altisiodori, et quibus eum ibidem amplius videre non potuerunt? cur ergo mihi apparuit toties quoties volui, aliis non item? an dum ego habebam coelum nudum, ipsi semper habuere nubila? quamnam causam assignabunt, quod eum per binos tubos Gregorianos semper videre potuerim, per tubos vero Newtonianos longe maioris praestantiae nunquam, licet saepius et ipse tentaverim, et aliis periclitandos dederim? Quid? si deinceps a Lectoribus mei scripti semel visus, iisdem semper se videndum praebebit? quid, inquam, reponent ad haec patroni Satelliticis.

Sed haec a me discursus potius gratia, quam pugnandi animo, a quo alienissimus sum, dicta velim. Iterum assero, me observationes aliorum suo in pretio relinquere, de meis, etsi aliorum simillimis, solum affirmo, me certissimum esse, spectrum hoc meum omnino nullo modo fuisse Satellitem realem Veneris, etsi hunc egregie mentiretur, adeo ut mirum non fuisset, nisi cautior fuisset, si et mihi imposuisset. Veniet itaque tempus, quo illi, qui mea haec legerint, et spectrum hoc omnibus modis ipsimet periclitati fuerint, certa proferant argumenta, aut huius a me demonstratae illusionis opticae, aut realis existentiae, (quod quidem arbitror futurum nunquam,) Satellitis Veneris. Neque hanc meam veterem demonstrationem, quam per novem integros annos secretissime apud memet servabam, adhuc in lucem publicam protulisset, nisi secretis meis anno 1761. die 1. Iulii ad immortalem *D. de la Caille* datis litteris, et post obitum huius mei Amici revelatis, coactus, et amica *Illustr. et doct. cel. D. D. Broussin* exhortatione, animatus fuisset. Maturior ergo huius meae demonstrationis divulgatio, non tam mihi, qui hanc aut nunquam, aut serius fortassis protulisset, quam casui supra dicto, atque amicis monitis *Illustr. D. D. Broussin*, recti, verique amantissimi, atque adeo veri Philosophi, tribuenda erit.

Atque hæc, quæ scripsi, etsi parum fortassis ad Astronomiæ profectum faciunt, plurimum tamen arbitror factura ad *maiores illius DEI Gloriam*, qui, ut ipse expers est omnis illusionis, ita menti humanæ illusionis capaci sufficientibus providit mediis, quibus sese ab illusionibus et erroribus expediat, modo mens isthæc advertat ad eas leges, secundum quas Ens illud Supremum entia a se creata agere voluit. Est axioma, *sensus non fallera*, et recte: nam sensus est organum sensationis, quod impressionem acceptam eo modo exhibere debet, quo facta est; mens ergo ex occasione sensationis non rectum de sensatione ferens iudicium, seipsam fallit, sibi illudit, seque errore involvit. Proponamus homini ignoranti leges dioptricas: vas quoddam profundius aqua repletum, in cuius fundo moneta quaedam splendidior posita sit; hic homo, (si solam superficiem aquæ videre possit) affirmabit, veram ac realem monetam superficiæ aquæ supernatare, et fors etiam indignabitur meliora docenti, atque dicenti, monetam, quam videt aquæ innatantem, spectrum tantum esse, aut imaginem realis monetae illius, quæ in fundo vasis posita habetur; nec credet ante dicenti, nisi ipsis oculis, ipsisque adeo manibus monetam in fundo vasis positam contingat. Et ita de pluribus aliis illusionibus speculorum aut cylindricorum cavorum, aut concavorum sphaericorum, sentiet. Illudit ergo sibimet mens, vel ex defectu notitiæ, vel rectæ applicationis legum notarum naturæ agentis, adeo ut verissimè pronuntiaverit *Phaedrus in Prologo ad lib. IV.*

*Non semper ea sunt, quæ videntur; decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit,
Quod interioris condidit cura angulo.*

IAC. HERM. OBEREIDH ARBORE-FELICE-HELLII, Cnymiatræ Lindangia-Acroniani, Academiae Scientiarum Electoralis Boicae Sodalis, universalis confortativæ medendi methodus: Disquisitio nova.

Carolsruhae, ex Officina aulica Macklotiana, 1767.
8vo. 10 pl.

Universalis confortativæ medendi methodi disquisitionem ita instituit Auctor, ut primum quid sanitas, causæque eius, quid porro morbus, quæ tandem causæ sint morborum internorum, dispiciat. Sanitas, ita ait, est integritas et alacritas virium corporis, ad functiones suas omnes facile perficiendas. Hoc apparet ex contrario. Morbus enim omnis est debilitas quaedam, vel molestia, functiones lædens corporis, quæ, si iterum tollitur, restituit sanitatem, pendente ex vegeto, libero, aequalique humorum per corporis vasa circulo, qui a viribus solidorum, præcipue canalium, elasticis provenit. Hac vi motrice præcavetur, quo minus ipsis parietibus vasorum quid adhaerescat, vel statim aut impedimentum efficiat, et qua æquilibrium totius corporis conservatur. Ex his concludit Auctor, perfectum et univiale sanitatis fundamentum esse robur solidorum sufficiens, et vegeta ubivis motione perpetuo activum ordinatumque: neque tamen hoc sufficit; sed, noscendum etiam est, unde robur illud solidorum elasticum? Oriuntur ex fluidis solida per cohaesionem particularum terreæ, salinarum, viscidarumque; ex his generatur corpus; ab his augmentum et nutrimentum suum sumit; et sic a fluidorum vigore fortia nascuntur solida, a debilitate debilia. Solida autem movet læcessens humorum influxus, quem fluidum nervum præbet. Solidorum iste motus a fluidis excitatus in fluida ipsa agit, hinc iusta quantitas, qualitas, elaboratio, secre-

secretio, et applicatio fluidorum cum motu eorum libero, primarium exitit fundamentum fanitatis physico mechanicum. Neque tamen hoc solum sufficit, sed requiruntur actiones corporis variae, ut respiratio, nutritio, motus, quies, caetera. Itaque sic corpus durare posset sanum vivumque, nisi et anima ad motus vitales excitandos foret necessaria, siquidem sine hac corpus esset machina, quae se vix nutrire, vix movere valeret, qualis occurrit ubi corpus mortuum est; hinc anima corpori iuncta est principium, et unicum, et sufficiens, activitatis corporis structi vivae; hinc etiam plurimum ad fanitatem conservandam confert. Cum enim animae imperio totum corporis regimen sit subiectum, ideo etiam multum ab ea fanitas pendet. Variae enim animi commotiones varios motus et effectus produciunt: sic animi affectus extravagantes, (ita auctor appellat iram, terrorem, caetera,) corpus graviter afficiunt; cum contra moderati affectus animi tantum ad fanitatem conferant, quantum illi noceant. Uti autem anima corpori varios motus communicat, sic corpus per obiectorum sensibilium impressiones, mediante fluido nerveo propagatas, animo communicat, sensationes externas, quae animam ad novos motus exerendos impellunt. Motus hi ad fanitatem inservientes ita debent esse constituti, ut motus fluidorum vegeti, liberique, facile promoveantur. Igitur ut hoc fiat, hygiene naturalis requiritur exercitium rationale in corpore integro, ad quod efficiendum aliquid inter corpus et animum alere debet commercium, quod fluido nerveo efficitur. Hoc sua subtilitate et mobilitate plurimum ad fanitatem stabiliendam confert, siquidem illud pro varietate corporum varium invenitur, ut Auctor ex variis experimentis explicari posse putat; sic quoque hoc fluidum nerveum varia ratione mutari posse, ex eo demonstrare annititur, quod non solum morbi, verum etiam animi affectus, ut moeror, eius qualitatem mutare possint, quoniam, et in utrisque corpus mutatum obvenit. Cum vero a sanguine hoc fluidum oriatur, et huius mutationes ab eo mu-

rato

tato pendere, credit. Quae consideratio ipsum auctorem ad sanguinis exortum ducit, huiusque cognitio eo magis est necessaria, quoniam, ut auctor dicit, sanguis est fluidum cunctorum in nobis quasi centrale, unde reliqua fluida et solida omnia oriuntur. Fluidorum autem humanorum principia sunt vel particulae aetherae, vel aereae, vel sulphureae, vel salinae, vel aquae, vel terreae. Particulas aethereas et sulphureas A. eo magis explicare studet, cum reliquae sint ad sensum notabiliores; grave enim hic occurrere discrimen autumat. Sulphureum principium idem esse cum principio aethereo lucido et igneo, materiaque electrica, doctorum tantum non omnium, dicit, videtur opinio; atque secundum eos est causa materialis praecipua tam cohaesionis, nutritionis, coloris, quam odoris, atque ita volatilitatis calorisque ignescentis, caetera. Hoc principium sese sistit palpabilis ceu terra sulphurea in mineralibus, ceu oleum, gummi resina, camphora in vegetabilibus, ceu materia praecipua pinguedinis et viscositatis in animalibus. Itaque ex his satis apparet, esse nihil aliud principium sulphureum nostri auctoris, quam partem corporum oleosam. Ceterum, ex his plures demonstrationes eliciuntur, tandemque principium viscidum appellatur, quod est medium inter solida et fluida. Horum principia sunt aqueum, aereum, et aethereum, illorum terreum et salinum, inter haec medium est et vinculum principium naturale visciditatis, sulphureum et extrema duo, terra soliditatis maximae, aether vero fluiditatis summae principum. Haud inconcinne sane Auctor seipsum miratus exclamat, ordo elementaris, quem postea ulterius explicat, et praecipue principio suo viscido valde agglutinatus, illud ut habitaculum facile evolubile, expansile, fusibile, ac solubile, tenerrimae ac copiosissimae materiae igneae, appellat phlogiston. Capitalis tamen, inquit, est observatio, quae praedocet, non omne viscidum esse phlogiston, ut in se plane ostendunt mucilago, gummi purum, caetera; siquidem, ut aliquid accedat, quo id reddatur phlogiston, est necesse; et hoc qualificans est aether igneus. Novum hoc principium

comparat cum principio mercuriali et arsenicali in regno minerali, et cum eo in vegetabili, quod est vaporosum seu halituosum, spirituose fermentificum, et quod in animali actus monstrat exhilarantes, inebriantes, narcoticos, expansive suffocantes, atque orgasmico putrefactivos, celerrime et effusissime relaxantes, dissolventesque in volatilitatem expansivam. Hoc principium, (ut porro cum Auctore loquamur,) in nostro corpore fit expansive subtilifans, fluidificum, volatilifans seu halituosum, elasticitatis perpetuo activae, atque in sanguinem et animae sedem agit. Hic in primis Auctor suae doctrinae chemicae copiam monstrat, dum facili ratione fluidi nervei secretionem ab hoc principio aethereo igneo calorifico deducit, et motum eius ita explicat, ut cum lucis celeritate, eius in nervos ingressum ab anima, et regressum per eos ad animum cum fulgure comparet, adeoque ad luminosi naturam aetheris propius reliquis accedere dicat. Ex hoc suo principio calorifico, humores maxime rarefaciente, varia temperamenta struit: temperamentum sanguineum eo abundat; melancholicum, huic oppositum, vel minimam quantitatem, vel maxime impeditam et involutam habet; phlegmaticum nimia aquositate vim vividam calorifici aetheris debilitat; in cholericis tandem principium illud actuosum acedini salini elementi unitum, et fere igneum totum est. Haec suam doctrinam de vi aetherea fluidifica, ulterius variis ex narcoticorum effectibus probare, et firmiorem reddere studet ex chemicis observationibus Becheri et aliorum; simul et varias quaestiones Physicis resolvendas tradit, quarum cardo in eo versatur, ut tandem irritabilitatem elementarem a principio aethereo et viscido iunctis deducat. Hinc transit ad considerationem elementi aërei, quod vel in aqua, vel in viscido, manifestius in corporibus melancholicis et phlegmaticis occurrit; sed subtilifatus valde, ac per aethereum expansivum divisus aër, in corporibus sanguineis, et tenuis compressior in cholericis, latet. At redit Auctor iterum ad principium viscidum, quod eius est Protheus, siquidem omnia reliqua elementa sibi habet intertexta, et eorum est matrix, ac pro varia complicatione
formas

formas multiples assumit. Triplicem tamen classẽ in univẽsum viscidorum corporis humani proponit, oleosam, gelatinosam, et mucosam. Sanguis haec tria simul continet genera, oleosum in cruore suo rubro, in sero autem gelatinosum et mucosum. Sed et terram nunc consideratione dignam censet, quod sit soliditatis omnis cum sale et glutine sicioris fundamentum, immo et roboris, non item gravitatis, communicativum principium. Haec enim qualitas gravifica salis potius primigenio, acido fortissimo, tribuenda venit, siquidem, quo plus acidi fixioris materia quaedam contineat, tanto est gravior. Quam rem in mineralibus sulphur, succinum, caetera; in vegetabilibus resinae et salia acida, probant: ita ut elementum salinum acidum primigenium aperte sit verissima materia gravifica, maxime centripeta. Densitatem quidem ipsis particulis terreis elementaribus adscribit, eisque figuram irregularem obtusangulam tribuit; sed densum sic formare nequeunt corpus, nisi et principio salino et glutinoso connectente basis soliditatis constituatur, ad quam conformandam etiam aquae, volatili igne orbatae, vel aethere per acidum fixum constricto impraegnatae, consistentia glacialis, vel quasi gelatinosa et crystallina, haud parum confert. Sed et reliquas partes elementares, aërem et aethereum, aliquid conferre demonstratur, et ex his progenies primitive mixtarum terrarum, secundum elementorum condominium, partitur in terram salinam, crystallinam seu vitrescibilem, pinguem seu sulphuream, et gelatinosam, mercurialem etiam subtilissimam, seu aëre et aethere fluidifico cum viscido vel sale conflata. Harum terrarum praesentiam plurimis demonstrationibus chemicis, ex tribus regnis naturae petitis, et experimentis chemicorum, evincere studet, quas referre brevitatis vetat. Facere tamen non possumus, quin notemus, Auctorem a rebus ope ignis aliis que encheiresibus extricatis et repertis, ad earum praesentiam in corpore vivo concludere, neque cogitare, quantae illis adminiculis adhibitis fieri debeant et soleant mutationes, ita ut ea, quae in vitro vel crucibulo inveniuntur, prorsus

fus ab illis in corpore vivo praesentibus differant. Sed haec non curat Auctor, potius varietatem terrarum in temperamentis demonstrat, atque temperamentorum sensibilitatem, irritabilitatem, et elasticitatem, inde deducit. Varium porro temperamentorum consuetorum habitum describit; tandemque bina nova addit, alterum a tranquillitate et moderatione animi Socraticum appellandum, alterum heroicum non minus, quam tenerum valde et graviter placidum, ob praestantiam suam, ab Antonino Philosopho Imperatore Antoninianum, vel ut Auctor mavult, ab Hallero Hallerianum dicendum. His consideratis Auctor ad morborum contemplationem progreditur, prius vero quam hoc efficiat, rerum hactenus pertractarum conspectum exhibet, et quae ad sanitatem bene statuendam atque servandam requirantur, demonstrat. Requiritur autem circulus humorum iustus; canalium et solidorum omnium vigor integer, et ubivis libere activus; secretiones bene procedentes, bona respiratio, nutritio excretio, motus et quies, seu diaeta corporis naturalis. Ad sanitatem vero tuendam specialior quidem moderationis temperamenti, aetatis, et sexus observatio, ac demum secundaria attentio ad usum instrumentalem exteriorum accidentalium sanitatis adminiculorum, pertinent, ut sunt temperies climatis, habitationis, apta ratio generis vitae, caetera. Cum vero essentialia insigniora Auctor tantum percurrere velit, in aspectu accidentalium istorum morari haud opus esse putat, ideoque ad morborum considerationem transit. Morbus ei est debilitatio vel molestatio, functionem aliquam corporis animalis laedens, impediens, turbans, tollens. Nisi enim vires corporis debilitentur, nulla molestia sentiretur, neque morbus esset possibilis; indeque possibilitatem morbi ponit in virium nostrarum insufficientia ad superandas, avertendas, evitandas debilitationes et molestias omnes. Ex his porro demonstrat, quomodo viribus vitae debilitatis variae actiones, praecipue fluidorum progressus, et eorum secretio, varia, ratione laedantur, et ipsum commercium actionum animae

et

corporis per mediationem fluidi nervei variis modis turbetur. Ex quibus apparere putat Auctor, maxime in morbis affici fluida; internis nempe in morbis id plurimum et evidentius obtinet, de quibus ergo solis in hacce tractatione ei obversatur quaestio. Morbi quidem interni solidorum vel fluidorum plerumque audiunt: cum vero omnia solida ex fluidis oriuntur, illis nutriantur, et conserventur ad varias functiones perficiendas, ideo omnis morbus solidorum internus a morbo pendet fluidorum, quare Auctor, de morbis internis agens, morbos fluidorum ceu proprie internos considerat. Horum morborum causae primae in fluidis generales hae sunt: vel motus peccans, vel quantitas vitiosa, vel qualitas prava, vel concursus unius, alterius, aut omnium priorum. Peccat autem motus fluidorum vel excessu, vel defectu, sic quoque quantitas vel excessu vel defectu; qualitatis vitia vel intensiori ampliorive, quam iustum est, praedominio, vel defectu proprietatis alicuius peculiaris, se produnt; in concursu denique causarum, tam unaquaeque seorsim notanda, quam omnes coniunctim pro sua proportionem et agendi ratione sunt spectandae. Sunt vero fluida praecipua, sanguis, fluidum nerveum, lymphae, et bilis, quae varia antea indicata ratione peccare possunt. Itaque, postquam A. demonstravit, quomodo causae morborum ratione motus, quantitatis, et qualitatis exoriri possint, et quantitatem vel qualitatem illam commotam, quae morbum efficit immediate, ut causam morbi genuinam completam, seu, ut alii dicunt, proximam exhibuit, et quid sub remotis, vel ad morbum disponentibus, sit intelligendum, docuit: morbos a motu, deinde a quantitate, postremo a qualitate fluidorum peccante considerat. Morbi ab excessu motus sanguinis sunt febres, in primis acutae, haemorrhagiae plurimae, apoplexia sanguinea, caetera; a defectu motus sanguinis sunt morbi ab antiquis dicti frigidi, caetera. Sic Auctor omnes morbos, pro causis supra indicatis, percurrit, et variis temperamentis varios morbos assignat, ita ut primum morbos a motu fluidorum praecipuorum, sanguinis, fluidi nervei, lymphae, et bilis, determinet, variisque temperamentis distribuat,

buat; postea ad morbos quantitatis veniens, eos cum morbis a motus excessu ortis convenire putet; dein morbos qualitatum fluidorum ut gravissimos ita considerat, ut proportionis principiorum constitutorum in fluidis elementarium, vel mixtionis eorundem, rationem habeat, quoniam a ratione proportionis et mixtionis principiorum, omnis fluidorum qualitas manifeste pendet. Varias hic Auctor mixtiones particularum suarum elementarium componit, et ingeniosus est in illis creandis; ex quibus deinceps varios morbos elicit. Vix vero omnium hic recensioem vel etiam summam eorum tradere possumus, quoniam verbis valde cumulatim lectorum patientia fortasse nimium defatigaretur. Ut vero huius rei veritas appareat, adponimus descriptionem §. CV. datam. *Morbi a praedominio principii aëri subtilioris, calidioris, sunt morbi a peculiari quodam praedominio principii calidioris simplicis et ignei, quatenus expandente et instante omnia quasi fermentative per aestum sanguinis orgasmice veluti spumescens, ad calidam usque putrescentiam proruentis, hinc exanthemata protrudentis pustulosa.* Ad hoc exemplum fere omnes efficiuntur descriptiones; quid? quod interdum multo intricatiores occurrunt. Pari ratione morbos motuum et quantitatum fluidorum pertractat, ita ut eorum motus defectum vel excessum a variis praedominis suorum principiorum deducat, atque tandem tres summas morborum classes, *secundum causas generales capitalissimas praedominantes* constituat; *morbos a principio igneo, et conspirantibus cum ipso maxime principis; morbos a viscido frigido et humido, admixtisque ipsi principis harmonicis; morbos ab elemento terreo, et cohaerentibus ipsi gravius principis.* Igitur his omnibus praemisissis, ad hanc triplicem morborum universorum classem, medendi suam methodum dirigit, et nihil aliud necessarium esse putat, quam ut id, quod deficit, restituatur, quoniam alia ratione sanitatem redire non posse sit evidens. Ast naturae vires addere deficientes, nihil aliud est, neque dicitur, quam confortare istam. Confortatio ista non fit, nisi deficientis alicuius principii restitutione in integrum, quae unaquoque requiritur in morbo

morbo interno. Ex his conclusionem elicit, omnem internam medendi methodum esse methodum naturae confortativam, per addita principia deficientia. Hoc ex eo ait apparere, quoniam aliquod principium praedominans ad temperaturam iustam reduci non potest, nisi alterius principii additione, vel excitatione temperantis, quod vel deficit, vel involutum nimis ac suppressum est; atque si eliminari ex corpore vis nimia praedominantis alicuius principii debet, illud ut fiat per aliud additum vel excitatum necesse est; et hoc ipsum si fit, ut debet, modo vires naturae servante, et ad alacritatem potius erigente, quam minuente, est etiam vera naturae confortatio. Cum vero ex triplici morborum universalium classe, vel igneum, vel viscidum frigidum, vel terreum principium sit restaurandum, triplicem methodum confortativam naturalem generalissimam constituit, calidam, frigidam, et siccam, sive solidam. Hoc ipsum ex consideratione morborum interiorum insignium in universum, ab irritabilitate vel aucta, vel minuta, patefcere putat Auctor, et simul demonstrat, quomodo in morbis ab igneo principio, qui sunt irritabilitatis auctae, cum a viscidis, frigidis, et humidi penuria proveniant, illico methodi confortativae frigidae convenientia appareat; scilicet, per viscida, minus ignea, salina, et aquosa frigidiora, caetera esse temperandum. Sic quoque in aliis morbis, ab irritabilitate minuta, quae sint efficienda, vel, ut cum Auctore loquamur, quae methodus confortativa sit applicanda, ostendit, simulque irritabilitatis animalis cognitionem, ab Hallero inventam, non minus valde laudat, quam irritantium ac sopientium disquisitionem medicam exactiorem commendat. His prelitis methodi suae confortativae veritatem ex eo elucescere ait, quoniam et ex celeberrimorum practico- rum methodis medendi constet, ipsos secundum methodum significatam naturalem confortativam actu procedere felicissime. Itaque methodi medendi confortativae universalis possibilitate et actualitate, ut loquitur auctor, adstructa, observationes quasdam generales, ad praxin felicem potiores, addit. Cum bonus animus sanitatem maxime confuget, eo magis curandum erit,

erit, ut is regimine moderato liber conservetur, et nec meticulosa, nec nimis scrupulosa vivendi ratione turbetur. Cum porro methodus haec virium in corporibus relictarum conservationem, et promotionem ad mala quaevis superanda indicet, hinc maxima cautione in illis praeservandis agere debent medici. Hoc igitur loco Auctor omnes fere evacuationes contemnit, et methodum alterantem, ut securiorem et praestantiorum, praefert, et ex hoc probare studet, quoniam non tam quantitas, quam qualitas sit consideranda. At enim vero non hic methodi suae satis memor esse videtur, siquidem ita consideratio et distinctio morborum, ab excessu vel nimia quantitate, superflua esse videtur; neque certe semper omnes morbi alterantibus abigi poterunt, quomodo enim v. c. hoc fieri posset in vermibus, caetera. Neque tamen solum morbos abigere, sed et corpora sana servare convenit, hinc diaeta est suadenda, quae robur efficit, nec corpus effeminat. Quare talis diaeta traditur, qua corpora ad iustum robur ducantur, eaque praecipue solidioribus in cibis, motu in aere libero, frigidorum potu, et vita varia, simulque in fuga omnium rerum, quae corpus relaxare et effeminare possunt, est posita. Hanc vero methodum confortativam diaeteticam se debere illustri Tschirnhufio, clarissimo Carl, aliisque, libere Auctor fatetur; atque ultimo tandem loco demonstrat, hanc diaetam confortativam cum balsamicis, amaricantibus, roborantibus, plurimis in morbis pertinacioribus, optimum edere effectum, et vera saponacea chemica esse summa medicamenta et perfectissima.

Iam ex his cunctis relatis quilibet in rebus medicis non profus imperitus methodum hanc universalem confortativam Auctoris satis diiudicare, sed et simul perspicere poterit, qua singulari methodo chemica, partes corporis humani disquirendi, eas denominandi, omniaque proponendi sit usus, ita ut sane vix melius ab aliquo Theophrasto Paracelso proferri potuissent. Ceterum negare non possumus, Auctorem in chemicis quidem bene satis versatum nobis videri, idem tamen ea, quae Anatomie docet, et Physiologia, non dubia
 princj.

principia, vel neglexit, vel ignoravit. Utilitatem autem et praestantiam, quam talis methodus nobis spondet, ex illis temporibus aestimare licet, quibus sola florabat chemica vel hermetica medicina, quam vehementer optamus damnari aeterno exilio.

IOH. GEORG. SCHELHORNII ERGOEZLICHKEITEN
aus der Kirchenhistorie und Litteratur. Dritter
Band. IX-XII. Stück.

Ulmae 1764. 8vo, 2 Alphab.

Exolvimus datam a nobis superiori anno fidem, et operis utilissimi Volumen tertium Lectōribus indicamus, quo, ut in caeteris, quatuor Sectiones, eaeque ultimae continentur. Fateimur lubenti animo, sibi similem per omnia S. V. Auctorem fuisse, orbemque eruditum speramus etiam hoc postremum Volumen eodem, quo priora, animo, h. e. magna cum gratiarum actione suscepturum. Pergit enim auctor S. V. expromere penum Historiae Ecclesiasticae et litterariae, protrahere e tenebris literas virorum summorum arcanas, notiores facere qui adhuc vel plane ignoti, vel obscuriores certe fuerant, quam debebant, indicare cimelia librorum rariorum e bibliotheca sua instructissima, et quae id genus alia. Sed accuratius argumentum libri indicandum est.

Univerſum Volumen cum ſit, ut diximus, diviſum in partes quatuor, in *nona* inſunt numeri, (nam ſeries *numerosum* per totum opus perpetua eſt, neglecto *Sectionum* ordine,) in *nona* igitur inſunt numeri VII. h. e. ab CXXII. ad CXXVIII, in *decima* IX, ab CXXIX. ad CXXXVII, in *undecima* XIII, ab CXXXVIII ad CL, in *duodecima* denique XII, ab CLI ad CLXII. Quos ideo coniunctim enumeravimus, quia interdum unum argumentum, vel eius continuatio, in alia Sectione, ſub alio numero quaerenda eſt. Nos, quae potiora nobis viſa ſunt, breviter commemorabimus.

S

Sectione-

Sectionis nonae numerus CXXII, decimae CXXX - XXXI, undecimae CXXXVIII - XLI et XLIX, duodecimae CLI - LIII. omnes occupantur in eodem argumento, h. e. tradendis iis, quae ad vitam et res Bernhardi Ochini, (qui Saeculo XVI. a Romanensium partibus ad Tigurinas Protestantium transit,) quocunque modo pertinent. Itaque hic reperias narrationem de eius vita, fati, scriptis, persecutionibus, et morte, fide dignissimam, quoniam nititur ipsius viri litteris, et ipsorum adversariorum, certe coaevorum testimoniis authenticis. Quo pertinet maxime cum Theologorum Tigurinorum *Spongia adversus aspergines Bernh. Ochini*, latino, tum huius *Apolo- gica de exilio suo Tigurino*, Italico sermone, forma dialogi- ca, scripta, e quibus de iustitia vel iniustitia utriusque causae ipsi lectores eo facilius iudicare possunt, quod haec scripta integra inserta sunt.

Sectionis nonae numerus CXXIII, decimae CXXXVI, undecimae CXLII, duodecimae CLVII. continent Millum quar- tum, quintum, et sextum, librorum rariorum Bibliothecae Schel- hornianae, in quibus profecto sunt Phoenixes librorum, quos etiam in nostris regionibus, (ubi tamen magna librorum fa- cultas est,) frustra quaesieris. Huc pertinent, praeter editio- nes Bibliorum rarissimas, editiones veterum auctorum pri- mae, ac fere principes, *Heliodori* v. c. Basileensis, Graeca, ex officina Hervagii, 1534. in 4to. *Diodori Siculi* librorum ali- quot, (XVI - XX; nam caeteri serius reperti sunt,) Basileensis, 1539. 4to, apud Oporinum, cura Vinc. Obsopoei: *Thomae Magistri* Romana, Graeca, apud Zach. Calliergum, 1517, 8. *C. Apicii* Mediolanensis, 1498, 4to. *Theophrasti Characterum* Noribergensis, 1527, 8vo. cura Bilib. Pirkhaimeri: *Ot- tonis Frisingensis, et Radevici Frisingensis* editio Argentina, 1515. fol. per Ioh. Cuspinianum: *Abbatis Urspergensis et Iornandis* Augustana, 1515. fol. per Conr. Peutingerum etc. Horum omnium, et reliquorum editores, contenta, fata, alia- que memorabilia, S. V. Auctor maxima diligentia comeme- mora-

moravit, et qui ea volet ex ipso libro cognoscere, eum id non sine magna voluptate facturum confidimus. Unum non possumus quin hoc loco palam dicamus, quod nobis paginam 870. et seqq. legentibus, non sine quadam indignatione in mentem venit, ubi inter libros rariores etiam recensentur, (et rectissime recensentur,) *Mich. Neandri Erotomata Gr. Linguae et Hebraicae*. Illud nempe existinabamus, ingrati in tanti viri memoriam videri aetatem nostram, cum talem, non quidem librum, sed libellum, inter rariores, imo rarissimos iam censi passus sit, neque extiterit inter tot viros doctissimos aliquis, qui vel solas horum librorum Praefationes typis repetendas curaret, cum iam videamus prela omnia sudare libris partim inutilibus, partim, (ut leniter dicamus,) non necessariis, interdum impiis. Ipsi tituli librorum istorum satis indicant, quid, et quantum in ipsis quaeri et debeat, et possit. Itaque valde optamus, ut uterque quamprimum in regionibus nostris, ad usum non modo iuventutis, sed etiam virorum doctissimorum, recudatur. Atque omnino, quod olim de Ioachimo Camerario, vir summus, Io. Guil. Bergerus, fertur dixisse, idem nos de Neandro solemus dicere: *eius viri quaecunque schedulam, auream, ac, si vel in via, aut coeno reperiatur, tamen dignam esse, quae sublata domi cum attentione quadam legatur*. Haec obiter.

Sectionis nonae numero CXXVI. et decimae CXXVII. describuntur duo exempla *Historiae Ioh. Sleidani*, memoratu dignissima: primum propterea, quod sunt editionum antiquissimarum, alterum primae (Argentor. 1555. fol.) alterum secundae (eod. ibid.) emendationis, et ab ipso auctore recognitae; deinde, quod fuere quondam in manibus duumvirorum, suae aetatis maximorum, *Ioh. Seb. Scherthni a Burtendach*, et *Erasmii a Minkwitz*, quorum ille in castris Protestantium bello Smalcaldico militavit, hic, variis civilibus muneribus functus, Cancellarii Saxonico-Electoris,

ac tandem Palatini, partes habuit, uterque multis rebus, quae ad repurganda sacra pertinebant, ipse interfuit; *denique* etiam, (idque maximum est,) quod uterque suum exemplum variis accessionibus locupletavit, adscribendis passim ad marginem vel notis, vel emendationibus. Et haec quidem ab auctore, praemissa utriusque viri brevi vita, satis diligenter commemoratae sunt, easque non sine voluptate ab omnibus scimus lectum iri. Si tamen dicenda nobis libere est sententia, non par nobis utriusque exempli videtur esse premium, quale quidem auctor harum recensionum videtur velle innuere. Prius, quod Schertlini fuit, plures observationes et notas habet parvi momenti, v. c. *Nota monachorum et eius farinae nebulonum castitatem! Dignum olla operculum! Hic veretur Papista, ne quid decedat culinae etc.* pauiores contra historicas, v. c. ad pag. 536. (edition. vulg.) *Hic auctor aliter, quam se res habet, rem declarat; Schertelius pugnam fuisse, non Landgravius, neque Saxo.* Sed alterum, Minkwizianum, haud paullo meliores et utiliores notas habet adscriptas, i. e. historicas. Quarum nonnullas describimus, ut iudicium facere ipsi lectores possint. Ad verba Sleidani, pag. 505. (ed. vulgarium) „Altera die Iunii „Protestantes adeunt Caesarem, queruntur de caede Diazii etc.“ notavit haec: *Aderam nomine Saxonis, et verba faciebam.* Ad pag. 583. ubi narratur adventus Philippi Magnanimi in urbem Halam ad Caesarem, 1547, adiecit haec: *Ipsa urbem ingrediente ingens oriebatu r tempestas, globis etiam ignitis de caelo pluentibus; aderam enim cum Saxone captivo.* Ad pag. 767. verba: „Liber factus, nihilominus Caesarem, quocunque iret, comitatur“ habet haec: *Ac quidem ea conditione Hispanorum custodia liberabatur, ut aulam sequeretur Caesaris, nec se infcio diverteret; itaque, fugiente Caesare, aliquoties per iocum dicebat: libenter manerem*

rem apud aulam, secundum fidem datam, modo aula me non desereret. Testor hoc, quia interfui. Ad pag. 811. verba: „ope consilioque iuvisti“ notavit sequentia: *Nequaquam fecit, nec ipse, nec filii.* Ad pag. 817. ubi narratur de Königsberga, urbe Franconiae, Saxoni restituta, haec addit: *Neque hoc ita se habet. Praesui enim ipsi transactioni, iussu D. Friderici.*

Sectionis *decimae* numerus CXXXVII. continet epistolam Melch. Speeeri, Theologi Argentoratensis, ad Ioh. Sturmium, virum notissimum, bene longam, sed eandem lectu dignissimam. Occasio fuit haec: Invectus erat pro concione populi Speeerus in homines impios, cum universos, tum eos maxime, qui pacem Ecclesiae rixis turbare conarentur. Id ea ipsa die ab iniquis hominibus defertur ad Sturmium, qui non multo ante de confessione illa celebri Tetrapolitana contentiones quasdam cum ministris sacris Argentoratensibus habuerat. Eam itaque hic orationem ratus ad se pertinuisse, ut erat animo ferventiori, e vestigio mittit ad Speeerum Epistolam, quae qualis fuerit, ex ipso initio poterit iudicari: „Quid tu hominis sis, vide; et cogita, quid de te debeam statuere, qui in tua seditiosa hodie concione ita acerbus et maledicus in me fueris, ut neque caritatis Christianae et pacis et concordiae rationem habueris, neque, quid te aut deceat, aut dedecet, cogitaris etc.“ Ad hanc epistolam Speeerus neque commotus animo, (noverat enim Sturmium,) neque tamen silendum ratus, dedit postridie aliam, quam auctor h. l. exhibuit, quaeque exemplum esse potest defensionis modestae et placidae, repellentis illatam iniuriam, nec tamen retorquentis: itaque imago verissima animi, sentientis se inique ab adversario laesum, neque tamen negantis, vel certe non agnoscentis, vel dolose etiam tacentis maximas eius caeteras virtutes. Eius epistolae initium non possumus quin h. l. adiciamus:

„Quid aliud, ad Tua, Doctissime Sturm, convicia respon-
 „deam, quam quod olim Regem cum potentissimum, tum
 „etiam sanctissimum Prophetam respondisse, sacrae nobis
 „litterae referunt, non invenio. Ut enim is, cum in eum
 „Semei probra et convicia iaceret, respondit: Quid tum?
 „si conviciatur? quid, si Dominus eum impellat ad maledi-
 „cendum David? Sinite, ut maledicat; nam a Domino ius-
 „sus est, qui fortassis meam miseriam respiciet, et bona mi-
 „hi pro hodiernis huius convitiis rependet. Idem ego ad Tu-
 „am iracundam epistolam respondebo: non, quod vel Te, sum-
 „mum virum, cum vilissimo isto mancipio; aut me miserum
 „atque abiectum, cum tanto rege atque Propheta, ullo modo
 „comparandum putem. Sed, cum ille tam alto planeque
 „regio animo istius convicia, licet indignissima, pertulerit,
 „cur ego non eandem, vel maiorem, in te modestiam aut pa-
 „tientiam ostenderem, quo tu maior es, qui in me invectus,
 „et ego abiectior, qui haec sum passus. Cui, ut verum di-
 „cam, non tam irascor, quam adulatoribus et delatoribus
 „Tuis, qui haec etiam ad Te, ut cetera, falso detulerunt.
 „Quod ut planum faciam, repetam paucis concionis meae
 „capita etc.“ Non longe a fine autem ita scribit: „Tibi,
 „doctissimo homini, et ab ineunte aetate in omnium Rhetor-
 „um et Philosophorum doctrina versato, summam laudem
 „omnium earum artium tribuimus, iudicamusque, non modo
 „Germaniam, sed nec Galliam Italiamque STURMIUM ha-
 „bere; ob eamque rem et nobis, et reip. nostrae gratulati fu-
 „mus semper, et, ut diutius tanto bono perfrui possimus,
 „omnibus votis a Deo contendimus.“ Quis hodie, qui sibi
 „vel mediocriter doctus videatur, sustineat, ad virum aspe-
 „rum et iracundum, praesertim a quo laesum se putet, tam
 „leniter scribere; ino eum tam insigni laude prosequi? Sed
 „scilicet, nunc alia sunt tempora! — Speccerus quidem tum
 „sustinuit, et longa enarratione concionis suae accensum Stur-
 „mii animum mitigare, etiam subinde, fraterno more, sine
 „omni vestigio ullius irae aut acerbitatis, admonere conatus
 „est.

est. Et habebat rem cum viro, quamvis iracundo, tamen generosissimae indolis, quod vel ex fine epistolae Sturmianae manifestissimum est. Ibi enim sic scripserat: „Tu „linguam hodie incontinentem, ego manum habui iracundam. Oro tamen Dominum nostrum Iesum Christum, „ut, qui nostrum hac in parte peccat, illius ipse pro sua bonitate et clementia misereatur, et cogitationes illius a diffidiis atque conviciis ad otium et consensionem animorum „trahat.“ Non dubitamus, quin cupidos fecerimus lectores, cognoscendae reliquae epistolae, qua de causa etiam paullo accuratius rem narravimus.

Reliqui numeri omnes eadem diligentia confecti sunt, et res, nisi maximae utilitatis, et momenti, iucundissimae certe et honestissimae oblectationis, continent. Atque omnino, ut libere dicamus, totum hoc genus librorum, quod monumenta historica dispersa undecunque colligit, quanquam eius auctores nunc per contemptum *Collectores* audiunt, nec *Historicum* titulo satis digni censentur, quia verborum apparatus et ornamenta vulgo negligunt: tamen haud paullo fructuosius arbitramur esse eo, quod nunc perversa saeculi vis fere unice probat atque extollit, et quod paene totum operibus, (nolumus dicere *opusculis*) ingenii non tam producendis, quam profundendis continetur. Si quis nunc ediderit fabellam lepidam Romanensem, aut Comœdiam, aut Tragoediam, aut enixus sit Odam Anacreonticam, is omne punctum tulit: sin historiam alicuius regni, aut reipublicae, aut academiae, aut disciplinae, munitam apparatu monumentorum ac diplomatum, destitutam vero ornatu rhetorico, et dictione iucunda, (quis enim prudentior ornatum in eiusmodi materia requirat?) tum paene ridetur, et comparatur cum monachis aevi medii, Chronicorum confarcinatoribus. Nos quidem, si vel unum fasciculum deperditum Annalium linteorum, (quos Livius toties citat,) aut Actorum S. P. Q. R. elegantissimis Catulli, Propertii,

pertii, et Martialis nugis, redimendum censeamus, non dubitamus, quin unumquemque cordatiorem consentientem nobiscum simus habituri. Quis enim non videt, si modo materia historica adsit idonea et sufficiens, non tam difficile esse eam verbis exornare, dum ingenio et doctrina instructus aliquis accesserit, quam habere historiae scribendae ornatum in promptu, cui desit materia? Nam in hoc quidem genere, non, ut Phaedrus ait de fabulis, *labori faber*, sed *fabris labor*, nostris temporibus videtur deesse. — Itaque valde optamus, ut S. V. Schelhornius laborem inceptum continuet, aut, si id propter senectutem ei grave fuerit, iuniori cuidam ex amicis materiam eius continuandi suppeditet, quae eius Bibliothecae instructissimae deesse non potest.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Aprilis Anno MDCCLXVIII.

*AMUSEMENS PHILOSOPHIQUES SUR DIVER-
ses Parties des Sciences, et principalement de la
Physique, et des Mathematiques:*

h. e.

*OBLECTATIONES PHILOSOPHICAE EX DI-
versis doctrinae humanae partibus, imprimis vero Physicae, et Ma-
thematicae: Auct. R. P. BONAVENTURA ABAT,
Acad. Regiae elegant. litt. Barcinon. Socio.*

Amstelædami, (Massiliae,) 564 pagg. cum 4 fig. aeneis,
in 8vo. Anno MDCCLXII.

Cum non elegantiores solum litterae delectent, sed et etiam, qui profundiores scientias, ad quas merito Physica et Mathematicae pertinent, colunt, easque non sine insigni animi contentione et ingenti labore sibi cognitae reddunt, uberrimam ex earum cognitione hauriant voluptatem: neminem profecto Oblectationum titulus, severioribus meditationibus ab auctore datus, offendet, imprimis cum concernant res bene multas et novas, et curiosissimas, cognitaeque utiles, quae fere quemvis lectorem alliciant, quin et eis se commendent.

T

dent,

dent, qui alioquin parum physica et mathematica curant. Auctori Cl. in his proponendis et demonstrandis sola Euclidis elementa adhibere placuit. Prima Oblectatio exhibet trium lunularum ex intersectione circularum ortarum, demonstrationem: prima est Hippocratis lunula; altera ex intersectione circularum orta, quorum diametri in subtriplo; tertia vero prodit ex intersectione circularum, quorum diametri in ratione sunt subquadrupla. Primum se quidem inventorem quadraturae secundae ac tertiae lunulae existimabat Auct. Cl. sed Rev. P. Pezenas, insignis Geometra, cum eas ad eum, ut Ephemeridibus Mathematico Physicis Massiliensibus infererentur, transmisisset, eum monuit, eadem, et longe plura circulum concernentia, iam ante Seculum considerasse Artum de Lionne; atque anno 1654. publicasse in libro cui titulum fecit: *amoenior circuli contemplatio*. Quamvis vero hac annotatione gloria primi inventoris decidisset, ipsa tamen nova, ac ab Arto plane diversa, eaque simplicior demonstrandi ratio, quam excogitaverat, eum permoverunt, ut demonstrationes suas cum orbe erudito communicaret; imprimis; cum eae ipsi vitam munirent, primum demonstrandi quadraturas bene multorum triangulorum, ex intersectione diversorum circularum enascentium; secundo ex datis lunulis quadrabilibus methodum inveniendi duas alias, quarum summae aequentur rectilineo; tertio construendi quadrilateram figuram curvilineam quadrabilem, ac insignibus praeditam proprietatibus; quarto demonstrandi, nullam lunulam ex intersectione quorumvis circularum ortam dari, quae non posset addito vel demto aliquo circuli segmento quadrari; tandem propositione 121^a et sequentibus methodum admodum simplicem tradendi, qua infinite multae portiones circuli quadrabiles inveniuntur, quae tantae magnitudinis esse possint, ut nonnulli quantitate infinite parva ab integra circuli area differant.

Oblectatione secunda, novam, ac a nemine adhuc tractatam optices partem, 49. propositionibus exhibet. Omnes enim, quae de speculis sphaericis, ac lentibus sphaericis, in catoptrica

ac

ac dioptrica exponuntur, propositiones, vel ex sola reflexione, vel ex sola refractione deduci solent. Sed ex simultanea in uno eodemque speculo sphaerico ac lentibus sphaericis consideratione reflexionis ac refractionis, quae in iis contingunt, consideratione, consequuntur phaenomena rara, curiosa, ac inexpectata, ex quibus accurata meditatione digestis, novae, eaque utilissimae propositiones opticae condi possint. Ex hac itaque considerandi ratione deducit Auct. cl. methodum generalem determinandi focos, tam absolutos, quam respectivos, in omni speculorum sphaericorum ex vitro conflatorum ac compositorum genere, ex eaque proprietates eiusmodi elegantes colligit, quarum nonnullae extra nexum spectatae satis paradoxae videntur; cum e.g. demonstrat, dari specula sphaerica exacte convexa vel concava, in quibus imagines obiectis simillimae sint, eaque neque augeant, neque minuant, proinde cum speculis planis plane conveniant; dari specula exacte concava sphaerica vitrea, in quibus imagines rebus in iis repraesentatis minores adpareant, et e contra convexa, quae imagines exhibent obiectis maiores. Pluribus eius generis propositionibus expositis, tandem docet, fieri posse specula vitrea sphaerico-concava, quae praecise in centro concavitate urant: quod problema quidem iam a Mario Bellino, et a Casp. Schorto solutum est, sed methodo difficiliore, quam ut in praxin deduci queat, cum ope speculi sphaerico-concavi vitrei nulla difficultate prematur.

Oblectatio III. sex propositionibus absolvitur, in eaque de numero focorum, quos optici formales vocant, hoc est, in quibus radii in speculis sphaericis concavis, vel lentibus sphaericis vitreis collecti, comburunt. Nemo, notante cl. Auct. adhuc suspicatus est, unum speculum, vel unicam lentem, immutata plane figura, urendi vim exercere simul in pluribus locis; re ipsa tamen id contingere, et quidem in diversis et a se distitis locis, comprobatur per experimenta extra omnem dubitationem posita, deinde etiam ex principiis certis. Copiose itaque considerantur primum specula sphaerica vitrea, quae in duobus simul locis

urant; postea lentes vitreas, quae soli expositae in anteriori parte et posteriori comburant, nec non quae tribus in focus, duobus ante, et uno post speculum, vim comburendi habent. Tandem solvitur problema construendi speculum causticum, quod radiis solaribus expositum, cum in foco principali res positae combustibiles comburere pergat, etiam in quovis alio loco circa axem intra certos limites assumpto simul urandi vim exerat.

In IVta Oblectatione 43. propositiones demonstratae, in compendio sicut praecipua phaenomena, quae imagines ab obiectis in speculis ac lentibus sphaericis expressas concernunt. Non omittit quidem Auct. cl. ea, quae hac de re in scriptis opticis occurrunt: tamen curiosus ac sagacius scrutatur imaginum per specula formatarum phaenomena, quae ex eius sententia nullibi annotata occurrunt. Notando primum, imagines rerum per specula ac lentes visarum, vel ante, vel pone specula apparere, determinat casus, in quibus alterutrum contingat, docetque, pro diversa spectatoris respectu speculi et obiecti distantia, visionem esse distinctam vel confusam; tandemque inquirat in difficillimum casum, in quo manentibus oculo, obiecto, et speculo vel lente, in eodem situ, obiectum videatur tamen diversimode modo ante, modo pone speculum. Ipsa vero obiecta speculorum ope visa, vel sunt puncta, vel lineae, vel superficies, vel corpora. Superficies per specula ac lentes sphaericas visas, Optici adhuc considerarunt ut plana ante specula ad axem perpendiculariter constituta; Auct. cl. vero eas expendit prout vel axi parallele, vel sub aliquo ad eum angulo constituta sunt, ac plane singulares earum proprietates docet. Earum enim imagines alias plane figuras induunt, quam qua ipsae praeditae sunt; idemque locum in corporibus obtinet, multoque curiosiores metamorphoses, ac plane inexpectatae, spectatores percipiunt, si superficies ac corpora motu vel uniformi, vel accelerato, ante speculum moveantur, sive ipsarum imaginum figuras, sive earundem celeritatem spectaveris. Ad illustrandam generalem, quam de his rebus tradit, theoriam, particularia

cularia ac maxime memorabilia experimenta praescribit, quae eius veritatem et apud illos, qui ad pervidendam demonstrationum mathematicarum vim inepti sunt, extra omne dubium ponant.

Oblectatione V. Phaenomeni in electricitate obvii, eiusque singularis, causam investigando, tandem de homine differit, qui scintillas electricas, famoso Leydeni experimento excitatas, sine ullo sensu excepit.

Sexta dein Obléctatione de speculo, a diversis auctoribus aequae gravibus ac fide dignis memorato, agit, quod Ptolomaeus Evergetes in Pharo turri construxisse fertur, in quo hostium naves, et quae terra marique, adeoque in tota Aegypto contingerent, videri poterant. Non diffitetur Auct. clar. multa fabulosa huic narrationi ab auctoribus, optices imperitis, admixta esse, et vel ab ipso Kirchero, in arte magna lucis atque umbrae libr. 10. cap. 1. de illo eiusmodi, si omnino vera essent, statui, ut non, nisi diabolicis praestigiis, contingere potuerint. Sed Lectori vera a falsis ac fabulosis distinguenti, eaque cum Tschirnhaufii, Wolffii, Septalii, Scheineri experimentis, lente simplici obiectiva sine oculari aut alio apparatu in telescopiis usitato institutis, conferenti, patebit facile, parari posse eiusmodi speculum. Multa in hac inquisitione curiose collecta, et ex principiis dioptricis ac catoptricis illustrata, occurrunt. Difficilior vero est disquisitio, utrum tempore Ptolomaei pmoeria optices iam eo usque prolata fuerint, ut tale speculum construi potuerit. Verisimile id videtur Auctori cl. ex rationibus, quas ex Senecae libris naturalibus, et Plinii, aliorumque auctorum gravissimorum locis deducit.

Oblectatione septima ex attractione, si eam ex sententia Newtoni, Maclaurini, aliorumque Philosophiae Newtonianae affectarum, seu effectum impulsione conceperis, sequi necessario putat Auct. cl. dari vortices, quorum ope planetae moveantur.

Sed ne limites recensitionis transsiliamus, dabimus adhuc potiora ex Obléctatione VIII. reliquarum solum titulos addituri, cum ea, quae protulimus, ad perspicendas

libelli dotes satis superque sufficient. Destinata illa est illustrando Plinii loco, in quo Nero Princeps gladiatorum pugnas Smaragdo spectasse perhibetur lib. 37. cap. 5. adiutusne Nero in videndo ex eo, quod Smaragdus fuerit pellucidus, nitideque politus, ac coloris viridis? an vero talis figura ab artifice ei inducta, ut obiecta auxerit, distinctioraque visui exhibuerit? Commendasse se Smaragdum Neroni in considerandis obiectis non ob polituram solam ac colorem viridem, sed imprimis ob figuram, probat Auct. cl. et cum ea figura nec a Plinio, nec ab alio Auctore sit descripta, annotat curiose ex lib. 11. cap. 37. Neronem fuisse myopem, cui nisi cum conniveret ad prope admota, hebetes oculi: prono hinc fluere putat alveo, Smaragdum habuisse figuram neque speculi concavi per reflexionem, neque lenticulae, prolatisque ac expensis rationibus fonticis, quae hanc sententiam admodum verisimilem reddant, eo tandem, propendet ut statuatur, Neronis Smaragdo inductam fuisse vel figuram planam, eumque eo instar speculi plani usum fuisse, vel politum fuisse ad figuram lentis concavae. Ex capite enim 5to eiusdem Plinii constare, eo tempore artifices non ignorasse artem elaborandi ad hanc figuram Smaragdos, iisdemque myopum oculos emendari: et cum duo myopum genera dentur, alterum, in quorum oculis radii ante convergant, quam usque ad retinam perveniant; alterum, quod ob nimiam lucem in nimis sensibiles oculi partes irruentem cocutiat, Neronemque ad posteriorem classem eorum referendum ex eo pateat, quod eius oculi fuerint hebetes, nisi cum conniveret ad prope admota: satis probabili ratione colligit, Smaragdi Neroniani figuram fuisse planam, eumque per illum radios in eum incidentes reflexos multo debiliores directis excepisse, atque in videndis gladiatorum pugnis mirifice adiutum esse.

Oblectatio IX. de antiquitate speculorum vitreorum agit: X. de artificiis cognoscendae verae magnitudinis obiectorum visorum. XI. Experimenta ac observationes circa liquores ultra libellam ascendentes, ac infra eandem subidentes, in tubis capillaribus complectitur: XII. de pugna systematis attractionis cum rotunditate guttarum liquorum praecipit. **VER.**

VERSUCH EINER ALLEGORIE, BESONDERS
für die Kunst. Der Königl. Grosbr. Gesellschaft
auf der berühmten Universität zu Göttingen
gewidmet.

Dresden, 1766. 4to. 158. pgg.

Novo iam munere Winckelmannus V. Cl. (is enim, ne quis ignoret, auctor libri est,) eruditorum rempublicam, quae dudum in eius aere est, sibi obstrinxit, cum imagines in monumentis antiquis, eorumque fragmentis, passim obvias, partim ad certa capita redigere, partim explicare, partim etiam, si opus esset, emendare, opere hoc doctissimo, et reconditoris doctrinae plenissimo, conatus est. Quodsi nihil aliud, nisi *conatus esset*, tamen esset cur maximam ei gratiam vel pro solo conatu omnes ii haberent, qui amant artes liberales, et veterum ea in re opera magnificiunt. Nunc vir doctissimus, vel primo hoc specimine, tanta felicitate, multa veterum monumenta interpretatus est, tantam lucem plurimis scriptorum locis affudit, ut merito bonis artibus de hac nova accessione gratulandum esse videatur. Ac nescimus, an praeter cel. Winckelmannum facile quis ad hunc laborem suscipiendum aptior extiterit: non quo dubitemus, alios viros esse, doctissimos in hoc litterarum genere, eosque non paucos; sed quoniam requiruntur ad scribendum talem librum multa, etiam extrinsecus, quae, cum in aliis tantum singula reperiantur, in hoc viro omnia concurrunt, oculi ad videndam pulchritudinem acutissimi, et exercitissimi, apparatus doctrinae et lectionis uberrimus, scientia linguarum, historiae, ac mythologiae veteris, accuratissima, copia et facultas monumentorum, in sede antiquitatis praecipua, h. e. in ipsa Italia et Roma, otium denique, cum dignitate, litterarium. Quodsi quis cognoscere cupiat, quid praeter verba et phrasas, praeter elegantiam scribendi, etiam praeter ipsas
res,

res, (quas vulgo solas appellant,) Philosophiam, Mathesin, et historiam; e veteribus peti possit, ei suademus, ut hunc librum inspiciat, eiusque notas vel fugitivis oculis perlustret. Quo facto videbit, nullum veterem Grammaticum, nullum Lexicographum, nullum denique Scholiasten, tam ieiunum et infocundum esse, e quo magna ingenia non aliquid in suos usus petere, eiusque e stercore aurum quasi colligere possint. Sed explicanda paullo accuratius est ipsius libri ratio, quidque de eo sentiamus breviter indicandum.

Post praefationem, (quae et ipsa observationes quasdam de Auribus capitum in statuis et imaginibus antiquis, admodum utiles, complectitur,) statim argumenti tractationem cel. Auctor ingreditur, eamque in undecim capita dispefcit.

Cap. I. Disputatur de Allegoria in universum, sic, ut proposita definitione Allegoriae, (quo nomine Auctor ait, latissimo sensu, se complecti, quidquid vel imaginibus depictum, vel signis indicatum existet,) priori membro enarrentur facta eius apud populos veteres Aegyptios, (pag. 4. ubi agitur de scientia Hieroglyphica,) Graecos, (pag. 7. seqq.) quorum aevi cultioris artifices communem Allegoriae fontem Homerum dicit habuisse,) et Romanos, (pag. 10. sqq.) quaeque apud eos Virtutum aut Vitiorum genera imaginibus expressa, vel non expressa fuerint, doceatur; omnes item veterum imagines ad duo genera, *concretarum et abstractarum*, revocentur; (pag. 12-22.) deinde membro altero, recenscantur partim recentiorum hoc in genere labores, ut Pierii Valeriani, Caesaris Ripae, et Io. Bapt. Boudardi, (pag. 22-26.) partim indicentur fontes novis Allegoriis invenendis idonei. Hi omnino sunt tres: *primus* ipsae imagines antiquae, si iis tribuatur novus, isque a veteri diversus sensus; *alter* ritus, mores, ac proverbialia vetera, non nimis ignota; *tertius* denique historia antiqua, cum heroica, tum vera, et proprie sic dicta. Singulorum citantur aliqua exempla, tertii

tertii maxime, ubi copiose cael. Auctor describit imagines historicas, a Cardinali Albano, in conclavi quodam sui palatii nuper positas, (pag. 28. 29.) Quam descriptionem propterea nominatim h. l. commemoramus, ut errorem aliquem cael. Auctoris obiter notemus, in narranda celebri illa coena Luculli, qua Ciceronem et Pompeium imparatus, (ut illi putabant,) excepit, admissum. Verba Auctoris sunt haec:

„Das dritte Gemählde ist Lucullus, bey welchem sich der „große Pompeius und Cicero des Morgens auf eben denselben Tag zum Essen einladeten, um jenen in Verwirrung zu setzen. Er ließ ihnen aber, wider ihr Erwarten, die Wahl, auf welchem seiner nahen Landhäuser es ihnen am gefälligsten sey; und da dasjenige, welches Apollo hieß, vorgeschlagen wurde, that Lucullus nichts weiter, als ein Mittagessen ankündigen. Denn dessen Landhäuser waren so eingerichtet, daß die Kosten einer Mahlzeit daselbst auf einen bestimmten Fuß gesetzt waren, und er blos nöthig hatte sagen zu lassen, daß er zum Essen kommen wollte.“

In his verbis multa sunt falsa, et pugnantia cum narratione Plutarchi, qui solus, quantum scimus, eam historiolum memoriae prodidit: (in Lucullo pag. 378. b. Edit. Bat. 1560.) Primum nomen *Apollinis* non intelligendum est de villa aliqua Luculli suburbana, cui istud nomen indiderit, neque enim ullum scimus exemplum, quo appareat, Romanos villis suis nomina deorum imposuisse, praesertim masculina; sed semper neutra, ut *Tusulanum*, *Pompeianum*, *Pontinum* etc.) verum de conclavi aliquo, seu triclinio, in ipsa domo Luculli, quod Plutarchus *δῆλον*, ac paullo post etiam definitius *δειπνωτήριον* adpellat. Deinde Cicero ac Pompeius non ipsi *Apollinem* ad coenandum delegerant, sed tantum Lucullo, ut, audientibus ipsis, seruo cuidam nominaret coenae locum, permiserant. Quo facto is clara voce *Apollinem* nominabat. Porro etiam istud convivium non fuit *prandium*, sed *coena ordinaria*; nam in tota narratione Plutarchus non aliis verbis, quam *δειπνον*, *δειπνῶν*, et *δειπνωτήριον*, utitur. *Denique*

quæ nec illud dubio caret; Ciceronem ac Pompeium *matutino tempore* Lucullo ad coenam se obulisse. Plutarchus enim ea de re plane silet; immo potius dicit, eos Lucillum κατ' ἄγαν ἀν' ἑσπέρην ἀγοντας adiisse. Ἐσπέρην autem Senatores Romani (credo) non agebant matutino tempore, sed pomeridiano, fortasse cum e curia domum redibant. Haec non propterea inuimus, quod credamus, cel. Winckelmannum ad ignorasse; sed partim lectorum causa, partim propter ἀκρίβειαν. Ac libenter ignoscimus viro magno, leuem lapsum memoriae, praesertim qui ad causam praesentem et argumenti tractationem non proxime pertinebat. Multis enim magnisque aliis hominibus hunc ille nobis errorem compensat. Sub finem huius capituli commemorat requisita et virtutes Allegoariarum novarum, easque tres: *simplicitatem*, ut res signandae exprimantur signis quam paucissimis; *perspicuitatem*, ut signa cum rebus sint quam coniunctissima; denique *incurditatem*, ut absit ab signo omnis deformitas, horror, ac turpido.

Cap. II. agit de Allegoariis deorum, et Cap. III. de Allegoariis usitatis notionum, maxime abstractarum; ex haec duo capita regiae quasi urbes sunt huius libri, et sedes reconditoris doctrinae, variaque eruditione plenissima. In his enim cel. Auctor incredibili diligentia congegit ex Mythologia, nummis, lapidibus, gemmis, et universa omnino antiquitate, quidquid de figura cuiusque dii ac deae, itemque notionum abstractarum, Libertatis v. c. Concordiae, Pacis, Pavoris, Iustitiae, Fortunae, Imperii, Iuventae, Notitiae, Pudoris, Pietatis, Animae, Victoriae, Calumniae, Tarsiturnitatis, Temporis, item regionum, Africae, Iudaeae etc. qua in monumentis antiquis exprimuntur, reperiri usquam potest. Deos ac deas suo, h. e. genealogico, qui e fabulis discitur; Notiones abstractas alphabetico ordine recensuit. Exempla commemorare, quoniam e libro ipso peti et possunt, et omnino etiam debent, non necessarium ducimus, ne sine causa longiores simus.

Cap. IV.

Cap. IV. exhibentur Allegoriae partim historicae, ut c. Capricornus in numis Augusti, qui hunc indicat in isto Zodiaci signo natum fuisse; partim geographicae, v. c. Violae in numis Ennensium, cuius floris in illo tractu Siciliae magna copia est. Cap. V. habet Allegorias hominum ac rerum, h. e. quibus ad nomina personarum, locorum, fluviorum, urbium, certis figuris alluditur, quale v. c. est, cum in numis Iul. Caesaris pingitur Elephas, cuius nomen in lingua Punica cum sono vocis *Caesar* fertur convenisse; in monumento Leonidae, celeberrimi Spartanorum Regis, figura *leonis*; in numis Rhodiorum *rosae*, a Graeco *ῥόδον* etc.

Allegoriarum, quae petuntur e coloribus et materia vasorum et aedificiorum, exempla sunt cap. VI. Sic flavi crines in monumentis veteribus indicant Apollinem, fusci cum nudo corpore Iovem. Dirities laborum Herculis, in statua eius, apud Pausaniam, exprimitur sic, ut hydra, quam ille occidit, *ferrea* sit. Canis iacens, in clypeis Romanis, vigilandum esse militibus significat. Romae quondam contigua erant Virtutis et Honoris templa, ita ut non nisi per illud ad hoc iri posset; quo significatur, per solam virtutem ad verum honorem aditum fieri.

Cap. VII. exhibet Allegorias dubias, h. e. quarum interpretationem aliquam dedere recentiores nonnulli, sed non satis verisimilem. Cap. VIII. vero contortas, h. e. quae vel a veteribus ipsis, vel a nostris, contorte, hinc male explicatae sunt. Earum exempla non citabimus, quum etiam ipse auctor totum genus non alia de causa collegerit, quam ut artifices, si quando tales Allegorias reperissent, scirent, qua fide niterentur, nec pro certissimis eas haberent. Cap. IX. continet deperditas, h. e. quarum vel plane vera sententia perit, vel certe traditur a veteribus exstare in libris aliis, qui nunc perierunt: v. c. quid sibi velit Diana, a gryphe in aërem sublata, in pictura quadam Arigonis apud Strabonem,

nem, L. 8. pag. 143. Sparta urbs, figura et habitu muliebri, lyram tenens, à Polycteto ficta, apud Pausaniam, L. 3. pag. 255. Cap. X. dicatum est Allegoriis quibusdam recentius inventis, quae bonae sunt, et quarum usus etiamnum in operibus artis esse potest. Huc pertinet v. c. moneta Belgica de a. 1658, qua *Labor irritus* indicatur per filias Danaï, aquam infundentes in vas rimosum; imago quaedam Petri de Cortona, in Palatio Barberiniano, Romae, exprimens educationem liberorum per ursam lambentem suos catulos.

Denique cap. XI. et ultimo cel. Winckelmannus ipse specimina dedit, quomodo cœdi Allegoriae novae possint ex mente veterum, eaque satis multa, quibus omnibus acumen suum, ingenium, et doctrinam, mirifice ostendit. Potestque eorum usus multiplex esse, in orandis aedificiis, parietibus, hortis, museis, numis, in nuptiis et sepulchris principum, memoriae posterorum commendandis. Ex hoc genere sunt v. c. cum *Forsam opinionem* significari commode, ait, per imaginem Ixionis, nubem pro Iunone amplectentis, *Felicitatem* per navem plenis velis vectam, *Calendas Ianuarias* per clavum annalem a Consulibus olim in Capitolio affixum, *Iustum iudicem*, per statuam humanam, manibus abscissis, *Oblivionem* per Lethæ, fluvium inferum, et similia. Possunt vero nunc, cum viam cel. Auctor semel munuit, haec exempla facile mutari et multiplicari. Sic *Amicitiam* v. c. (cui indicandae Theseum cum Pirithoo assignat,) possent etiam commode exprimere Orestes et Pylades ad aram Tauricam, Pythias cum maxime occidendus Syraculis; accurrens Damone; *Hominem per terras multas circumvagatum*, (quem auctor per Ciconiam pingit,) Ulysses cum Rumæo colloquens; *Prædum*, (quam ille per larvam, nimis magnam pro facie humana, cui imponitur, e. primit,) Vulpes, apud Phædrum, caesa corvo auferens etc.

Appendicis loco, capiti ultimo annexa est descriptio fragmenti statuæ cuiusdam Herculis, in villa quadam reperi-
 tæ, cuius non nisi truncus superest, reliqua omnia, caput,
 brachia, pedes, et superior pars pectoris, periire. E qua
 tota descriptione elucet felix ille auctoris *inducimus*, et ani-
 mus admiratione artis antiquæ plenus, nec, dum hoc agit,
 aliud quidquam videns et audiens, sed totus in contempla-
 tione venerandi fragminis defixus, ac paene sepultus, omnes-
 que, vel minutissimas pulchritudinis, ut ita dicamus, scin-
 tillas, acutissime peruestigans, et assequens; qualem, valde
 dubitamus, an præter Winskelmannum multi sint habituri.
 Sed talis esse debebat, qui nostri ævi hominibus, ipsisque
 adeo Italis, Romæ veteris thesauros, etiam subterraneos,
 vellet recludere.

Ceterum, in toto libro occurrunt multa, etiam obiter
 inspersa, lectu dignissima, multi recentiorum interpretum
 naevi deteguntur et corriguntur, loca scriptorum veterum
 vel illustrantur, vel emendantur; cuius rei exempla sunt
 pag. 58. 88-89. et 102. Atque optandum erat, ut per-
 geres in hoc instituto, atque omnino in iuvanda re litteraria
 vir doctissimus, nisi eo ipso tempore, quo hæc iam scripse-
 ramus, rumor infandus percubisset, eum nuper in itine-
 re, dum Vindobona redux, Romam contendit, manu scele-
 rati cuiusdam correptum, ac multis vulneribus confossum
 fuisse. O nunciū vere infandum! O iacturam reip. lit-
 terariæ irreparabilem! Tam indigna manu virum optimum,
 dexterrimum, acutissimum, perire? nec tellurem inam per-
 dito isti percussori dehiscere? — Sed ferendum scilicet,
 quod mutari nequit, et in sapientissimo eodemque occultis-
 simo permittentis providentiæ divinæ consilio acquiescen-
 dum. Adeo nihil in rebus humanis certum est, neque cau-
 sum ulli in horam!

*CHRONOLOGIE DES ROIS DU GRAND EMPIRE
des Egyptiens, depuis l'époque de sa fondation par Mé-
nes, jusqu'à celle de sa ruine par la conquête de Cam-
byse, fils de Cyrus. Par Mr. D'ORIGNY etc.*

Paris chez Vincent, 1765.

Quod saepe numero iam, et a multis dictum est, historiam antiquissimorum temporum, quidquid habeat lucis et certitudinis, id fere ex adcurationis Chronologiae beneficio habere, necessarium non est hoc loco repetere; neque, quam bene mereantur de illa, qui huius difficultatibus enodandis, temporibusque ad certos fines et ordines revocandis, operam suam adhibent, monere. Namque facile apparet, negotium hoc, quo est difficilius, siquidem nullos ex antiquitate praeter Mosen habemus satis idoneos Auctores, quorum vestigiis in definiendo temporum ordine insistere tuto possimus, eo maiori laude praedicandos esse, qui, quae ex veterum Chronologorum scriptis ad nostram aetatem pervenerunt, diligentius excutere, obscuriora illustrare, a veris fabulosa fecernere, illorumque rationes cum numeris Mosis conferre, et, quantum fieri potest, conciliare conentur. Et hoc est, quod agit Cl. Orignius in opere praestantissimo, cuius inscriptionem in fronte libelli huius dedimus, quocum et conferri potest quem alio tempore edidit librum, *Aegyptus Antiqua* (Egypte ancienne.) Videtur opus utilitatis maxime habere hoc, ut, si rationes eius viris doctis se probaverint, novum inde desumi argumentum pro integritate textus Mosis Masorethici possit. Quanta enim cunque Chronologorum sit in reliquis dissensio, de hoc tamen inter celebriores omnes convenit, si Mosen excipias, nullum alium esse Scriptorem antiquum, cui in traditionibus de tempore fides certa et indubitata haberi possit. Sed quum textus Mosis triplex sit, alius vulgaris et Masorethicus, alius Samari-
tanus,

caus, alius denique, quem habet Versio Alexandrina, quorum in numeris chronologicis maxima est diversitas: factum est, ut omnis aetatis Chronologi diverse sentirent, cum quaereretur, quisnam horum textuum sit authenticus, h. e. cuius in rebus chronologicis maxima auctoritas. Ex veteri quidem Ecclesia graeca Chronologi, Iulius Africanus, Eusebius, Georgius Syncellus, nimium tribuerunt, ut in omnibus aliis rebus, ita porissimum in rationibus chronicis, Versioni Alexandrinae, quam fere sequebantur, depravationis accusato Iudaeorum textu hebraico. Quorum sententia quamvis hodie, validioribus pro puritate et integritate textus Masorethici argumentis, sit profligata, tamen non defuerunt recentiori aetate, qui ad eorum partes accederent, causam adducentes, fieri nullo modo posse, ut veterum Chronologorum profanorum, quos Orientales illi adpellitant, rationes, cum rationibus textus hebraici vulgaris conciliantur. Horum igitur obiectioni ut respondeat Cl. Auctor, bene monet, non posse ad hunc usum, nec debere, omnes Chronologorum veterum libros conferri, siquidem in iis sint plerique fabularum et nugamentorum plenissimi; sed enim Chronologiam, quae collationi cum textu hebraico possit apta esse, aliqua de causa debere legentibus fidem facere, a partium studio abhorre-re, Epochas certas habere, et Annalibus fundatam esse, in quibus, res, quo quaeque tempore, et per quae intervalla gestae sint, curiose adnotatum fuerit. Qualis Chronologia scriptorum profanorum quum nullis adhuc reperta sit a doctis, Auctor, quoad gentem Aegyptiacam antiquam, existimat talem confici posse ex Dynastiis Manethonis, quas dedit Georgius Syncellus, eamque dicit eo valituram, ut Chronologis, qui rationibus pro integritate textus Masorethici hodie solemnibus non cedant, persuadeatur, authenticam Chronologiam esse textus Mosis hebraici, non Codicis Samaritani, multo minus Versiois Alexandrinae.

Ut vero magis appareat, quomodo Auctor in tractatione sua versatus sit, sequemur eius ordinem, praecipua totius operis

operis momenta indicaturi. Opus totum dividit in Sectiones IV. quarum prima constat Capitibus VII. Cap. I. agitur de gentium origine, maxime Aegyptiacae, cuius origo dubium non est quin referri debeat ad tempus id, quo confunderentur linguae; ubi ex familia Chami pars una ad Aegyptum transit, duce Mizraim, quem cum Syncello Auctor habet pro Menete, eumque existimat, anno post diluvium CI, relicta terra patria, annis LIX. post ad ripas Nili constitisse. Praeterea Aegyptum statim ab initio aliquot provinciis seu regnis divisam vult, ita, ut partim penes Mizraim ipsum, partim ex patris auctoritate penes filios eius, summa rerum fuerit; id quod, si provincias potissimum intelligas, quarum capita fuerunt Thebae et Memphis, ad veritatem proxime accedit. Cap. II. exponitur de Dynastiis Aegyptiacis, h. e. de provinciis, in quas Aegyptus antiqua descripta fuerit. Commendat Auctor veteris Aegypti rationem, exploraturis inprimis Dynastias Aegyptiacas Manethonis; quod antiquitatis monumentum, unde, et quo tempore confectum, quam egregium sit et fide dignum, multis verbis ostendit. Manetho, cum iussu Ptolomaei Philadelphi conscriberet historiam suam, desumerat has dynastias ex asservatis a sacerdotibus libris Mercurii Trismegisti, qui et ipse olim ex vetustissimis Aegypti monumentis eas confecerat; cuius generis monumenta Auctor vult intelligi lapides hieroglyphicos, in templis omnium provinciarum conspicendos, in quibus, quid quoque tempore memorata dignissimum videretur, characteribus allegoricis insculptum fuerit. E scriptis Manethonis in Chronica sua eas transtulerat Iulius Africanus; ex his vero in suam Chronographiam Georgius Syncellus, ex quo fonte hodie notitiam earum nos haurimus. Cap. III. disseritur de regibus Phoeniciis, quos Hycfos vulgo dicunt. De iis Auctor sequitur sententiam Iosephi, qui pastores illos, regnante in Aegypto Timao quodam, censet in provinciam Memphiticam irrupisse, captaque primum urbe Memphi, provinciarum deinde confinium plurimas ditionis suae

suae fecisse; in terra Saitica urbem, Avarim alias dictam, muniisse, et annis tandem CXXI. post, magna suorum parte per subactos nondum principes Aegyptiacos attrita, ex Aegypto sub sexto suo rege emigrasse. Hos Auctor pastores, five potius, si dialectum Aegyptiorum sequaris, alienigenas, conicit venisse ex Asiae parte ea, quae ad Orientem spectat, et fuisse de exercitu Semiramis; Regina enim ab expeditione Lybica in Asiam ad oraculum Iovis Hammonis revertente, a reliquis copiis eos discessisse, reversosque ad Aegyptum, cuius terrae amoenitatem ante cognovissent, ibi confedisse. *Cap. IV. et V.* agitur de Pastoribus hebraeis, et de eo, quod Iosephus Israelitas, in Aegypto hoc nomine adpellatos, eosdem puter fuisse cum pastoribus Phoeniciis; quae opinio, cum parum fundamenti habet, ab Auctore bonis rationibus refutatur. *Cap. VI. et VII.* continent disputationem bene longam super Sefostri, et alia quaedam, quae inde sequuntur. Epocha enim Sefostri cum sit inter praecipua Chronologiae Auctoris capita, nihil intentatum relinquit, quo confirmetur, Sethosim, primum in Dynastia XIX. regem, eundem esse cum Sefosi Diodori Siculi, et celebris in historia graeca Danaï fratre, Egypto. Hinc Auctor, assumtis in subsidium Epochis Troiae expugnatae, et Danaï Argos adventantis, ponit annum M. C. quo rerum in Aegypto poteretur Sefostri, MDXIII. qui est ex ratione Usserii MCCCXCI. antequam Christus nasceretur. Quo eodem anno et emigrationem Israelitarum ex Aegypto factam censet ea de causa, quod, regnante Amenophi, Sethosis patre, Manetho apud Iosephum tradat, Hebraeos per Mosen eductos.

Sect. II. et III. Auctor conatur ordinem Dynastiarum Manethonis chronologicum constituere: harum licet sint omnino XXXI. ipse tamen, quoniam VI. posteriores a proposito suo sint alienae, neque adeo multum habeant difficultatis, XXV. tantum priores tractat; quae quam scateant difficulta-

ficultatibus, vel ex sola Chronologorum dissenfione patet, qui huc usque in constituendo earum ordine laborarunt. Antea enim quam fides haberi certa et indubitata huic vel illi temporis ordini possit, certum aliquod adesse debet et perpetuum fundamentum, quo series Dynastiarum, sicut illa nectitur, nitatur. Tale vero fundamentum existimat Auctor reperiri in titulis, quos harum Dynastiarum cuique praemisit Iulius Africanus, hac ratione, ut, quae Dynastiae unius eiusdemque provinciae nomen prae se ferant, ordine quoque sint ponendae eo, quo illas in enumeratione posuit Georgius Syncellus, in iisdemque nominati reges serie continua sibi successisse putandi, nisi forte temporis aliquod intervallum possit ex certis rationibus demonstrari; ubi vero Dynastia aliqua regnum habeat in titulo diversum ab eo, quod in praecedenti proxime Dynastia nominetur, debere non statim iudicium ferri, illam tempore hac fuisse posteriorem, siquidem haec vel tota, vel ex parte, cum illa stare simul poterit. Haec ut clariora fiant, addemus exemplum, ex quo intelligi possit, quomodo ratio ista procedat. Dynastiae v. c. III. IV. VI. VII. et VIII. inscriptionem habent omnes: *Regum Memphiticorum*. Hinc sequitur, eas ordine subsecutas se esse continuo, ita ut quarta exciperet tertiam, sexta quartam, septima sextam, octava septimam; Dynastia contra V. cum inscripta sit, *Regum ex Elephantine*, Auctor eam non exeunte demum quarta initium cepisse existimat, sed rationes adducit, quare id factum esse credibile sit XVII. annis ante, quam quarta decurreret. Haec est ratio etiam caeterarum Dynastiarum, quas Auctor, adhibitis in subsidium primum factis ab Eratosthene catalogo Regum Thebanorum, (quos Manetho plane omisit,) deinde Epochis regni Sesostris, et debellatae per Cambysen Ao. ante C. N. DXXXVI. Aegypti, ordini restituit ita, ut ostendat, quae quoque tempore Dynastiae in diversis provinciis simul extiterint, quae, et quo tempore altera alteri successerit, et quo tandem anno M. C. unusquisque harum Dynastiarum rex principatum occupavit.

Præte-

Praeterea confert cum Aera Mundi etiam aliam, quam vocat Aegyptiacam, quae ceperit eo tempore initium, quo Mizraim sive Menes ad ripas Nili sedem fixisset. Quantaunque vero Dynastiarum Manethonis, ex sententia *C. Orin-
nii*, sit auctoritas, tamen et ipsas quibusdam in locis depravatas ad nostram aetatem pervenisse, apparet ex eo, quod Auctor in constituendo eorum ordine chronologico crebrioribus utitur emendationibus, quamquam non secutus sit nisi exempla ea, quae Syncellus descripsit ex Iulio Africano, quae eruditi omnes consentiunt minus corrupta esse iis, quae idem Syncellus dedit ex Eusebio. Eiusmodi emendationes reperies v. c. in Dynastia XII. ubi Auctor delet Sefostrim; duodevicesimam, qualis ea est apud Iulium Africanum, abiicit, abiectaeque substituit illam, quae a Iosepho contra Ap. L. I. commemoratur ex Manethone; vicesimam quintam et sextam mutat ita, ut Herodoti et Diodori Siculi traditionibus in omnibus conveniant; decimam sextam et septimam, quarum ne vestigium quidem est apud Syncellum, restituit ex regum Aegyptiacorum quodam catalogo, quem ex Annalibus vetustissimis huius regni excerpserit Syncellus. Tantum de mutationibus: rationes, quibus Auctor eas defendit, quaeque nobis interdum non levissimae visae sunt, lectoribus relinquimus examinandas. Cum vero opinemur fore, qui Aegyptiacam Chronologiam Auctoris cum biblica conferre aliisque velint, addemus et istorum in gratiam Epochas quasdam Veteris historiae maxime memorabiles, sicut sunt ab Auctore constitutae. Regnum in Aegypto Mizraim seu Menetem fundasse, supra iam monuimus, anno post diluvium CLX. qui, si vulgarem textum hebraicum Mosis audias, est annus M. C. MDCCCXVI. Israelitae vero emigrasse ex Aegypto dicuntur anno MMDXIII. eiusdem aerae, et Iosephus anno MMCLXXVI. venditus Potiphari, qui quidem aulicus fuerit regis Ramesis, et huius regni sedes urbs Tanis. Ad Pastores Phoenicios quod attinet, eorum putat Auctor

Auctor regnum in media et inferiori Aegypto coepisse anno M. C. MDCCCXLVIII. cessasse anno MMCCVIII. regnante Diospoli, duodevicesimae Dynastiae primo rege, Amosi seu Tethinofi; Pharaon rex, cuius filiam duxerat in matrimonium Solomon, dicitur ab Auctore fuisse Pinaches, regum Taniticorum in vicesima prima Dynastia sextus; Sifacum, qui regnante Rahabeamo in sacris literis commemoratur cepisse Hierosolymas, habet pro Sefonchi, rege Bubasti, et regem So, cuius mentio fit 2 Regg. XVII. pro Sabaeone Herodoti etc.

Haec sufficiant rationem Auctoris chronologicam collaturis cum biblica. Nobis dicenda quaedam supersunt de *Sectione IV.* quae continetur Vol. II. huius operis, estque in septem capita divisa. Summa eorum haec est, ut adducendis ex scriptoribus antiquis quamplurimis locis, Auctor, quae in antecedentibus super ordine Dynastiarum Manethonis chronologico disputavit, magis explanare, confirmare, et, si fieri possit, extra omnem dubitationis aleam ponere conetur. Haec quomodo procedant, per singula nunc videbimus. *Cap. I.* agitur de monstrosa illa et fabulosa Periodo Manethonis, quae continet imperium seu Dynastias deorum, Semideorum, heroum, regumque mortalium: quas narrationes quidem Auctor demonstrat maximam partem commentitias esse, subesse tamen semper aliquid veri, licet ita absconditum, ut illud erueré ex tanto fabularum Oceano labor sit difficillimus. *Cap. II.* sunt animadversiones in quaedam Herodoti loca, quae pertinent ad narrationes, ipsi, quoad in Aegypto degeret, a sacerdotibus factas. Loca ista Auctor tentat explicare ex Chronologia sua Aegyptiaca. *Cap. III.* proponit iudicium suum super Periodo MDCCCCLIX. annorum, regno Aegyptiaco, ad Cambyfis usque aetatem tributorum ab Auctore veterum Chronicorum, quorum Excerpta sunt apud Syncellum. Quo facto confirmandae Chronologiae suae adhibet Scriptoris alius cuiusdam veteris testimonium,

monium, in historia Constantini Manassis asservatum, quo paullo ante commemorata Periodus revocatur ad annos **MDCLXIII.** qui quidem numerus uno tantum maior est eo, quem Cl. Auctor constituit. Sub finem capituli examinatur locus Dicaearchi, qui extat apud Scholiasten Apollonii, quemque contra Chronologiam suam Auctor contendit nihil efficere. *Cap. IV.* excutiuntur loca Diodori Siculi de regibus Aegypti, Prusinis nomine adpellatis, de Sepulchro Osimanduae, de conditoribus urbis Memphis. Quum inter eruditos non constet, quo maxime tempore magna illa Aegypti opera, (Pyramides vulgo dicunt,) extracta sint, Auctor *Cap. V.* tempus, quo illorum praecipua videantur condita, definit. *Cap. VI.* est disputatiuncula de regibus Anonymicis, quorum apud scriptores temporum Aegyptiacos valde frequens est mentio. Causam, cur eorum nomina litteris non consignata fuerint, Auctor adfert hanc, quod memoria eorum, ob regni vel crudelitatem, vel vitae ignaviam, subditis exosa esset et invisita, ut quam conservare posteris contumeliam magis putaverint, quam laudem. *Cap. VII.* quae reliqua sunt ex Chronologiis Orientis aliis, Phoenicia, Chaldaica, et Babylonica, proponuntur: nihil is, vel parum fidei haberi vult Auctor propterea, quod nullis fundarentur certis et idoneis monumentis; id quod de Chinesium potissimum Chronologia valere dicit, qualis ea est in Excerptis ex Annalibus huius gentis, ab Europaeis scriptoribus editis; eandem vero, si fabulis et commentis ope artis criticae purgaretur, censet cum veteris Aegyptiorum et Hebraeorum rationibus conciliari bene posse.

Habes, Lector, quae nobis in opere Cl. Orinnii visa sunt memoratu dignissima; et sint licet etiam in his passim, quae subortis dubitationibus nostris satis ex omni parte non fecerint, illo tamen viri et ingenio, et diligentiae, detrudere nil quidquam volumus. Partim enim ipsae dubitationes adeo graves non sunt, quin eas tolli aliquo modo posse censeamus; partim postulandum non videtur, in re tam difficili et obscu-

ra, quam est antiquorum temporum ratio, ubi, si ingenium demas, reliquis auxiliis omnibus saepe destituimur, omnia ita evidenter et perspicue tradi, ut relinquatur dubitationi plane nullus locus. Quare et Auctoris librum inprimis dignum iudicamus, qui Chronologorum examini et curis adcuratio-ribus subiiciatur. Ut ut enim in rebus singulis interdum nimis indulserit ingenio, at in universum tamen Systema eius Chronologiae Aegyptiacae, ex Dynastiis Manethonis confectum, videtur longe plus habere probabilitatis, quam quae Marshamus, alique viri docti, iisdem adhibitis in subsidium Dynastiis, excogitarunt.

*INSTITUTIONS LEIBNITIENNES, OU
Précis de la Monadologie.*

A Lyon, chez les Frères Périffe, MDCCLXVII.
pagg. 231. in 8.

Fingitur in hoc libello, cuius Auctorem compertum habemus Dn. *Petrum Sigorgne*, Archidiaconum et Canonicum Matisconensem, Virum de re litteraria apud suos praecclare meritum, Gallus quidam militum Praefectus occasione nactus, cum variis academiarum Germanicarum doctoribus, et maxime cum *Canzio*, Philosopho nuper Tubingensi celeberrimo, a. 1750. de philosophia Leibnitiana differendi, qui hanc explicat, tuetur, atque illius, cum quo colloquitur, obiectionibus, subinde satisfacere studet. Atque hoc colloquio absolvitur libellus hic; neque nos erraturos credimus, si mutato eius vestitu, mentem acutissimi Auctoris sequentibus dogmatis fuerimus complexi.

I. Materiam constare simplicibus, contra divisibilistas demonstrant atomistae cum Zenonicis.

II. Partes illas simplices nullius esse extensionis, contra atomistas evincunt divisibilistae et Zenonici.

III. Ex.

III. Extensionem a parte rei ex non extensis formari ac resultare non posse, contra Zenonicos conficiunt divisibilistae et Epicurei. Igitur

IV. Quoniam materia constat simplicibus, et a simplicibus extensio formari nequit, est haec effectus materiae, non qualitas ipsi inhaerens, aut eam constituens, sed est e genere qualitatum secundariarum, quae menti a materia ingenerantur, non autem materiae insunt, sed pura sunt phaenomena, ut colores.

V. Facile ergo largiendum divisibilitatis, entia simplicia se tangere ac penetrare, cum se contingunt, siquidem notio contactus convenire potest simplicibus. At cum se penetrant, non se destruunt et annihilant: ergo in ipsa penetratione suam vim servant singula diversam, suas diversas qualitates: ergo etiam penetrata in nos agunt diversimode, et sensum confusum multitudinis menti ingenerant. Unde mens excitata partes videt aut ponit extra partes, quae cum ob perceptionem confusam non discernantur, similes videntur et male terminatae; atque hinc perceptio nascitur extensionis continuatae, quae idcirco merum phaenomenon est.

VI. Vis ergo aliqua monadibus tribuenda, tum ut sensum sui nobis faciant, tum ut qualitates positivas habeant, ac per hoc entia sint; quicquid tandem de vi illa et modo ipsius agendi statuendum sit. Nec enim creationis modum attingimus, licet creationem admittamus; neque rationem, qua mens in actum internum cogitationis vel desiderii erumpit, declarare, aut ullo modo definire possumus.

VII. Licet autem vis insit monadi, non ea tamen cogitat: nam neque vis omnis cogitatio est, ut patet ex vi locomotiva; neque cogitatio cum regulis, quas corpora sequuntur, consentit. Cogitatio infert spontaneitatem: nulla autem in elementis corporum, quae leges fixas et invariabiles sequuntur, spontaneitas.

VIII. Quoniam vero partes extensionis huius mere phaenomenalis similes sunt (§. V.) et male terminatae, earum

rum extrema in perceptione sunt unum, atque extensio haec eiusdem generis est in partibus et in toto; partibus constat mere possibilibus et indeterminatis, atque hinc sine fine per mentem, in qua sola existit formaliter, divisibilibus. Unde suum constat geometriae obiectum, quod licet non sit quaedam substantia, non tamen merum est phantasma, aut aliqua illusio, sed phaenomenon reale, a nobis independens, et menti per obiecta externa necessario effectum, secundum regulas fixas et universales, ingeneratum. Et quoniam Physica non ipsam corporis scrutatur substantiam et naturam, sed qualitates eius sensibiles, et earum fundamentum immediatum, extensionem, quae etsi corpori non inhaereat, a corpore tamen provenit: inde sequitur, Mathematicam et Geometriam suam in physicis habere usum, quemadmodum in ipsa divisibilitatum sententia.

IX. Motus igitur aliud est in corpore, aliud in sensibus; quamvis talis sit in sensibus, qualis ex eo, quod est in corpore, sequi debet. In corpore nihil esse potest praeter successione evolutionum vis ipsius corporis, qua fit, ut A nondum satis evolutum, ut in F agere possit, quod tamen penetrat, tandem sic evoluitur, ut postquam in plura alia egerit, iam in illud agere queat. Ubi tria respici possunt: *terminus a quo*, *terminus ad quem*, et *omnia intermedia*, quae a mente extra se posita formam lineae peragratae induunt, et phaenomenon motus producant.

X. Inde fluunt notiones praesentiae et distantiae, ac tandem explicatur, quod alia ratione intelligi nequit, attributum Dei, quod *immensitas* seu *omnipraesentia* dicitur. Si enim materia in se ipsa extensa est, Deus ipsi secundum substantiam praesens esse nequit, quin eidem coextendatur. Cum vero semel ostensum est, extensionem esse phaenomenon ex ipsa corporum actione in mente resultans, iam nulla difficultas est, et Deus omnibus praesens esse potest, sine sui multiplicatione et diffusionem. Corpus A enim, quod modo in corpore F agere non poterat, cum nunc in illud evolutione vis
suae

fae agere possit, relationem cum eo habet immediatam, sic ut nullum intermedium iam concipi queat, ac proinde non distans, sed hac relatione Substantiam suam afficiente, praesens est. Cum Deus sine ulla praeparatione in omnia agere possit, et agat, omnibus etiam non operatione solum, sed Substantia, quemadmodum corpus corpori, et quidem intimius, praesens est; utpote qui non vim tantum corporis extrinsecus limitat, sed ipsam virtutem agendi omnibus et singulis continuo largitur. Non ergo Deus nullibi est secundum Substantiam, ut difficultate victus somniavit *Cartesius*, sed ubique, et omnibus praesens, sua efficaci et actuosa Substantia, nec tamen extensus vel diffusus. Atque pari ratione ostendi potest, quod ad *Pelissonium* scripserat *Leibnitius*, corpus idem virtute divina pluribus locis praesens esse posse, et eo modo pluribus, quo unum uni naturaliter.

Atque haec Summa est praecipuorum capitum, quae maximam partem ex *Canzio* explanare tentavit Auctor, Germanis quidem, ut ipse iudicat, trita et perspecta, Gallis vero haecenus ignota, vel certe confuse et minus adaequate cognita. *Canzius*, si viveret, suasque *Meditationes philosophicas*, in Germania non magnis plausibus exceptas, nostra aetate subtili Gallorum Philosopho placere, et fundamenti loco poni videret, quam laetaretur!

CAROLI FERDINANDI HOMMELII CORPUS
Iuris Civilis, cum Notis Variorum.

Lipsiae, sumptibus Gaspari Fritsch, 1793. Alfab. 2.
plagg. 6. octonis.

Quae saepenumero admirati sumus in Hommelio nostro, Viro summo, quem honoris causa nominamus, laboris patientiam, atque communis utilitatis promovendae incomparabile studium, ea ille praeclaris ad Iuris potissimum scientiam spectantibus libris, iam inde a pluribus annis, litterarum reipublicae abunde adprobavit. Nobis, ne sinus in mode-
Y stiam

stiam Collegae nostri, nam et hanc eius virtutem magnifacimus, iniurii, non lubet, cuius hic titulum descripsimus, librum laudare, etiam propterea, quod, qui consilium Viri doctissimi eo edendo cognoverit, non potest non ei gratias habere, optaque vehementer, ut pergat, bono rei litterariae, atque Iuris scientiae imprimis, libris talibus scribendis, quidquid superest otii, impendere, atque adeo, quam nominis celebritatem iam inter nos consecutus est, eam et ad feram posteritatem istiusmodi monumentis numquam intermorituris propagare. Sed non potest quisquam de hoc Iuris Civilis corpore, melius atque elegantius Auctore ipso loqui: nos igitur lectoribus praefationem, quam illi, scimus, libenter legent, et cum voluptate, hic integram describimus.

„Ex umbra in solem, sub specioso quidem, nec plane tamen falso, aut inani, titulo, prodit corpus iuris civilis cum animadversionibus, quaecunque in singularibus libellis sparsae sunt, variorum, non criticis tantum, verum etiam forensibus; perexiguo id quidem pretio, nec portentosae molis. Ut autem statim usus cognoscatur, nemo hic in vulgaribus commentariis facile invenientas legum explanationes quaerat, sed illas potius, quae in variis Observationum, Diatribarum, Emendationum, Coniecturarum, Disputationum, Collectaneorum, Animadversionum, aliisque huiusmodi minutis Iurisconsultorum scriptiunculis absconditae ac propemodum sepultae latent, quas cum dolerem sine generali repertorio non inveniri, si usum opus sit, coepi ea aetate, qua Bibliotheca parva, tempus vero abundans esset, secundum legum in Corpore Iuris contentarum ordinem, varias hasce interpretationum observationes colligere, ut si lex mihi obveniret obscura, aut difficilis, cui nec commentatores vulgares, quos Struvii et Lipenii bibliothecae larga manu praebent, nec Accursii glossae sufficerent, ex angulo quodam praesto esset interpret melior. Nempe indicem legum realem, ex libris, quos habebam, initio paucis, conficiebam, nec, si novum emissem, prius condebam in repositorium, quam excerptis ex eo legibus nova ratione explicatis. Ita evenit, ut quae in minutis huiusmodi libellis hinc inde vagabantur legum singularium enodationes,

nes, illae ordine Triboniano a me sociarentur, et veluti dispersi antea palantesque manipuli, assignata sua cuique statione, sub signa revocarentur. Opus laboris plurimi; nullius tamen ostentationis, quoniam, ingenio exule, id omne digiti fecerunt. Ipse autem pauca in commune contuli. Nam cum Bibliotheca mea cresceret, tempus autem non modo decrescere, sed ad postremum omnem deficere videretur, sollicitis et accuratis hoc negotium amanuensibus commisi, qui quod coeperam continuarent; attamen, quod diffidendum non est, interdum leges a scriptoribus tantum incidenter laudatas, iis immiscuerunt, quae ex instituto explicatae sunt. Facile autem, collectionem talem, in qua innumera numerorum signa, et infinitae allegationes, utramque paginam faciunt, omni non posse vitio vacare, praeter malevolos unusquisque intelligit. Quoniam tamen nihilominus vereor, ne ab iis, qui, cum ipsi nihil efficere possint gratum populo, suam, ne plane nulli videantur, in reprehensu uiculis gloriam collocant, ne, inquam, a talibus id quoque vitio vertatur, dicta superius iterum repeto: vulgarium scilicet, atque ingentium commentariorum, ut Brunnermanni, Voetii, Dionysii Gothofredi, aliorumque huiusmodi scriptorum, nullam a me rationem habitam fuisse, cum in his leges ordinatim illustratae facile inveniri possint; sed tantum minuta curae fuisse, et volitantia imprimis opuscula, quae tam in Ottonis et Meermannii thesauris, quam extra eos nondum collecta prostant, in quibus varii Scriptores leges, ut fors obtulisset, promiscuas exposuerunt. Praebuit autem, quem ita curaveram, legum hinc inde tractatarum nomenclator, magnam utilitatem, quoties aliquid meditarer aut scriberem; si quidem sensum reconditum legis, de qua agebatur, in locis, quibus nemo quaesiturus erat, delitescentem, ostenderet, quem sine huius indicis ministerio, ut antea lectum, ignorassem. Propter hanc insignem frugalitatem; quoniam litteratis inservire studeo, facile me exorari passus sum, ut quod privati commodi causa mihi feceram, finerem esse publicum. Annotavi in eo diligenter, ubi lex quaelibet in Basilicis reperitur, ut alias commoditates raceam, inter quas non postremam puto, quod

ius operis beneficio furta litteraria, quae plagia dixere, nec voluntaria seu inopinata, facilius evitentur, voluntaria autem detegantur. Neque tamen privatus hic quondam variarum observationum index fines Bibliothecae meae limitesque egreditur; unde, si ex uno alterove libello, quem ipse non possideam, nihil excerptum lector inveniat, aut, quod saepius accidit, ipsi etiam, quos habeo, libelli, mea incuria omitti fuerint, quod nimium occupato video mihi aliquoties accidisse, alius possessor calamo suo allegationes facile adscripserit praetermissas. Quis autem ab uno homine infinita exegerit? Rogat potius hic liber, ut operas suas in commune plures conferant, si quidem pigrum non cupit dominum habere, sed solertem, cuius quidem gratia in fine voluminis Catalogum librorum, quorum contenta huc migrarunt, adiecimus, ut statim scire unusquisque possit, quibus libris ego usus sim, quosque ad excerptum ipsi reliquerim. Alius index Abbreviationum, quibus, ut chartae parceretur, per totum opus usi sumus, ipsam praefationem huius Voluminis excipit.

Quae hic de Libro suo praefatus est ill. Hommelius, vera sunt omnia; nisi quod de praestantia modestius, quam oportebat, locutus est. *Notae Variorum*, quas libri titulo posuit, ipsi libro non insunt, neque erat hoc constitutum; sed indicant haec verba, nomina eorum laudata esse hoc libro, qui ad quamque legem, immo ad singulas legum §§os, commentati sint, quorumque adeo commentarios loco notarum Variorum habere possis.

*DANIELIS GERDESII SPECIMEN ITALIAE RE-
formatae, sive Observata quaedam ad historiam rena-
ti in Italia tempore Reformationis Evangelii, una
cum Syllabo Reformatorum Itatorum.*

Lugd. Bat. MDCCCLXV. in 4. pag. 354. excepta
praefatione pagg. 28.

Auctor, *historia Evangelii renovati, et Scrinio antiquario olim
edito*, haud vulgarem huius historiae notitiam prodidit,
quam

quam ex tertio quoque specimine, quod commemoramus, colligere licet. Elegans tamen hic liber, iam prelo commissus, Auctoris obitu parente quasi orbatus, Evaldi Hollebecii, eius generi, studio, qui simul in praefatione ei laudes tribuit decentes, in lucem est editus. Hic igitur liber duabus absolvitur partibus, quarum prior *observata quaedam ad historiam renati in Italia tempore Reformationis Evangelii, complectitur*. Breviter factis confessorum purioris doctrinae in Italia explicatis, Auct. excitatos Lutheri scriptis ac controversiis motus narravit; Calvumque, librarium Ticinensem, illius scripta undequaque divulgando, quae a quamplurimis summo desiderio excepta sunt, inter praecipuos, qui emendandis Sacris operam suam impenderint, retulit. Quantus in Lutherum amor fuerit, ex eo colligit, quod a Mediolanensi quodam Epigramma A. 1519. in eius honorem scriptum, item a Bernhardo Schenckio, Venetiis, eximium veritatis documentum proditum est. Providentiae prorsus singulari, maxima incrementa restorationis sacrorum; paucis annis post conspicua, tribuit: cum neque oratio in Comitibus Norimbergenfibus, a Curiae Romanae Purpurato, Campegio, recitata; neque Busdragi epistola, de praeservanda Italia a Lutherismo, ullam plane vim habuerint. Clemens VII. quidem, Pontifex Rom. rei Protestantium adversarium sese praebuit, cum in concilium oecumenicum proxime habendum non consentiret; sed hunc dissensum religioni maximo emolumento fuisse, Gerdesius bene docuit. Nam alio modo Deum saluti ecclesiae consuluisse, scriptis videlicet Reformationum, ab Italis assidue lectis, istos ad amplectendam veram religionem, et reprobandum cultum electitium, quo innutriti erant, non motos tantum, sed tractos fuisse, ostendit. Inprimis Monachos Augustinianos Italos, praecipue Taurinenses, multum temporis libris Reformationum impendisse, eosque aliis commendasse, A. evicit. Causae Protestantium aliae quoque res favere visae sunt, ad quas referuntur: Catechismi utriusque Lutheri, ob singularem praestantiam, quorum tamen illi auctorem tunc

ignoraverunt, versio Italica typis excusa; orationis domini expositio, Venetiis sermone Italo edita; Buceri explicatio Psalmorum, quae sub titulo Aretii Felini prodit; et hypotyposes theologicae Philippi Melanctonis, quae sub nomine *Ipposilo da Terra negra* publici iuris factae sunt. His adhuc maiora adminicula sunt addita crebrioribus, et maiori cura, quam antea, concinnatis translationibus utriusque foederis librorum. Excepta enim Nicolai Malermi versione, cuius, quamquam plurimis scateat naevis, tamen Saeculo XV. et XVI. editiones XXI. extiterunt; etiam Antonius Brucciolus A. 1530. N. T. et A. 1546. totum codicem sacrum, multo curatius versum, publici iuris fecit. Sanctes Marinchinus paullo post, huius, et vulgatae versionis praefidio, Venetiis novam condidit, eamque in folio imp. ini fecit. Philippus Rusticius tandem A. 1562. in folio eam iterata vice prelo commisit. Sed et Lugduni Maximus Theophilus, natione Florentinus, N. T. forma sedecima edidit. Neque alia defuisse subsidia, puriori doctrinae introducendae maxime accommodata, ex Auct. intelligimus; commercium siquidem litterarium doctissimorum et coetu Protestantium virorum cum Italis, ut Lutheri ad Balth. Altherium, Melanctonis Zwingliique ad diversos Epistolae, nec non Aegidii a Porta, Cumani, ad Zwinglium, et monachi ordinis Locarnensis ad Germanicas ecclesias, de mittendis Zwinglii scriptis, A. 1531. data epistola, cultui divino repurgando egregie inservierunt. De amore Italarum erga veritatem etiam ex hoc constat, quod ipsi Clerici sese scripto cuidam severiori, vulgo Bullae Clementis VII. adversus restorationem sacror. opposuerint. Studium verae religionis Italarum etiam inde apparuisse dicit Auct. quod fama de Melanctonis cum Pontifice et Purpurato Campegio conspiratione ad illos delata, quae minus certa fuit, Veneti, per Lucam Paullum Rosellium, litteris eum ad fortitudinem christianam movere tentaverunt. Attamen duae statim, diversis Protestantium libris lectis, extiterunt familiae,

miliae; altera Lutheri, altera Zuinglianorum opinionibus favens, quae tunc communi et usu recepto nomine Lutheranorum sunt appellatae.

Tutela ac patrocinium Principum altera causa felicitatis ac celeris propagationis doctrinae verae in Italia fuit. Ita e. c. Renatam, Ferrariensem Ducem, non solum religionis fuisse studiosissimam, sed etiam huius causa e Gallia et Italia profugos in suam recepisse tutelam, legimus: et quamquam Henricus II. animum huius feminae vana persuasionem flectere, ut ad adversariorum partes transfret, tentaverit, tamen Renata pro viribus ei restitit. Inter laudes huius Ducis est et cura in educanda filia Anna numeranda, quae successu temporis reformandis Galliae provinciis operam navavit. Pertinet huc et matrimonium Margarethae, Henrici II. Sororis, cum duce Sabaudiae initum; nam illis oris meliorem notitiam religionis illa invexit.

Anno 1527. Pontifice Romano Clemente VII, in Castro S. Angeli ab Hispanis, Italis, ac Germanis militibus obsessis, Romaque diruta, et per binos annos Pontifice et curia orbata, felicissime reformatio processit. Cuius quidem rei multae causae esse possunt. Auctor primo loco collocavit miseram et ignominiosam Pontificis Romani tunc temporis conditionem; deinde ait controversiis inter Imperatorem et Pontificem auctoritatem istius imminutam fuisse, praecipue cum dissensus causae litteris consignatae essent; tandem palam habitas in Romanam ecclesiam Faventiae, multisque aliis Italiae in urbibus, invectivas, de tristissima ecclesiae Romanae ratione testantes, producit. Insuper igitur argumentum orationis Ioannis Staphylaei Episcopi, qua Auditores Rotae Romanae ille admonuit, sub Babylone in litteris S. Romani intelligendam esse. Palmarium tamen argumentum ab Auct. omissum deprehendimus, ferociam videlicet et crudelitatem nefandam Hispanorum ac Italicorum militum erga devictos, quae odium in Pontificios inflammavit vehementissime; cum contra Germanorum milites,
cum

cum Imperatoris exercitu coniuncti, multo lenius cum victis egerint, sibi quoque adeo favorem illorum conciliaverint.

Quibus explicatis evincit Auct. religionem veram amicos ubique in Italia pactam esse. Veneti tanta libertate usos Protestantibus, ut publicus Dei cultus ibi esse paene videretur; quod ex Melanchtonis litteris ad Venetos de A. 1539. probavit A. Refert quoque de Venetis, eos litteris per Balth. Altierium Luthero suum amorem declaravisse, ac professos esse, se omnia religionis causa sustinere velle, sibi quoque Sacramentariarum controversiam invisam esse. Commemoratione hic digna sunt, quae de numero Professorum Vicentiae, Mediolani, et Modenae, in dies aucto, A. protulit, nec non quae de conatibus Pontificum, veram extirpandi religionem, differunt; cuius rei causa ad litteras Pauli III. ad Episcopum Mutinensem, et ad Senatum Venetorum datas, provocat. At crudeliter etiam impietas in veros Iesu Christi servos saevit. Locarni enim, in Helvetiorum finibus, multi iam A. 1546. fuerunt Evangelii assidue, qui orta persecutione A. 1554. exules facti, Tiguri constiterunt, ibique de ecclesia Italica condenda cogitaverunt. Quot modis, fraudibus, ac vi, sese tunc Pontifices opposuerint, ex ampla commentatione Auctoris cognoscere licet. Communicavit quoque cum lectoribus litteras a Bononiensibus quibusdam ad Ioannem Planizium, Legatum Electoris Saxoniae inter eos versantem, de consilio reformandae ecclesiae scriptas. Neque Neapolitana regio, quamquam Carolus V. edicto anni 1536. cavere voluerit, ne illuc lux Evangelii penetraret, destituta fuit viris probis. Ubique multi, iique nobilitate gentis et eruditionis fama conspicui, Christi causa exules facti, quorum nomina vitamque Auct. recensuit, atque simul laudavit in exilio studium religionem veram promovendi. Reformationi tamen obfuisse testatur primum crudele inquisitionis tribunal, quod Paulus IV. purpuratis ante obitum diligenter commendavit; deinde supplicios liberos, qui nomina haereticorum in fronte gerebant, et publice exusti sunt. Longam martyrum Italicorum seriem

his subiunxit Auct. inter quos clarissimorum virorum coetum, et lectissimam feminarum coronam, quae nominis nobilitate, eruditionis fama, et religionis studio inclaruerunt, decemtissimis laudibus exulit.

Haec omnia in prima parte fufius tractavit Auctor. Succedit huic pars altera, quae *Syllabum clarorum Itatorum, qui Seculo XVI. emendata sacra vel amplexi fuerunt, vel in vota sua addixerunt, ad ordinem alphabeticum* sistit. De his tamen, quia difficulter in epitomen redigi possunt, monuisse sufficiat, cum utilitate insigni a quovis lecta iri, nam magna rerum copia superbiunt, qua historiae litterariae, et aliae eruditionis partes, illustrari mirifice poterunt.

**DE LICENTIA POETICA: AUCTORE CAROLO
ANDREA BELIO D. Poet. in Acad. Lips. Prof.
Publ. Ordin.**

Humanarum rerum assiduos spectatores nihil facile observare frequentius existimaverim, quam quod ii, quibus multa licent, omnia sibi licita atque permissa putent. Est enim haec ingenii mortalium indoles, ut promi in vetitum nitantur, et negata concupiscant; quotidianis rebus, et in medio positis, facile taedium adferentibus, ipsaque legum et finium certorum, quibus circumscribuntur, necessitate, libertatis illud studium, quod omnibus omnino natura ingenuit, gravius offendente. Itaque cum opportunitas quaedam offertur, per quam obsequi tutissime animo suo possint, terminos sapienter constitutos libenter transiliunt, velut in vetere versu est.

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Manat autem ea mentis contagio per multa hominum genera. Potentibus quidem, et rerum dominis, quibus hoc potissimum consilio concessum est in longe plurimos imperium, ut eos quam felicissimos et beatissimos reddant, placet

saepenumero, auctoritatem illam, quae, cum benefica est, amatur, mala inferendo terribilem efficere, et quae in aliis reprehensione atque poenis digna iudicant, quod ipsi poenae metu nullo tanguntur, ea committere, fere ut *Achilles*

Iura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

Non minorem his, quibus dīs aequa potestas obtigit, audaciam, et ruendi in omnia desideria sua facilitatem contrahunt plerumque, qui magnitudine pecuniae et copia laborant. Nam cum intelligant, omnes auro aditus patere, omnia divitum acta leniore censura adfici, veniam delictis non difficulter parari, inmo nullam esse, quod poeta Gallus ostendit, virtutem, dotem ingenii nullam, quam homo opulentus, propter hoc ipsum quod opulentus est, non possideat, si hominum partem multo maximam audiamus: eo quoque ascendere conantur, unde eos mediocritas ingenii, rerum agendarum imperitia, et mens gerendis honoribus impar, arcere perpetuo debebant.

Aliud licentiae genus appetunt homines ingeniosi, dicaces, salibus et iocis apti, et ab hac ipsa elegantia et venustate plurimum commendati. Sentiunt, se libenter audiri, sermones suos omnium vocibus praedicari, etiam consuetudinem et familiaritatem suam a permultis expectari. Igitur cristas erigunt, regnare in circulis omnibus student, se unice proferunt, reliquos tacere iubent, vel certe cogunt, censores de rebus singulis, etiam parum sibi perspectis, non timide sententiam ferunt, et, modo risum excutiant, neque amicis parcunt, neque inimicis; quo censu illi omnes eos habent, quos sciunt de grege admiratorum suorum non esse. Verum et istos, et quicumque iure aut libertate sua abutuntur, saepe intra fines et angustias, quae illos decent, repelli videas, tandemque ab animo suo admoneri, nihil placere longius posse, et durare inter homines, in quo non modus infit.

Sed

Sed maxime omnium celebratur *poetica licentia*; verbo a multis usurpato, a paucis, ut mihi quidem videtur, intellecto, a plerisque autem in sinistros sensus, et parum probandos, converso. Quo si non alii usi fuissent, quam poetae ingenio et doctrina excellentes, quorum acerrimus spiritus, altissimeque evolans vis imaginum creandarum, vulgaritas scribendi leges dedignatur, neque adstringi certae viae, praesertim humili, potest: vix opinor *licentiae* nomine infamituros fuisse quemquam, *felicem* hanc *audaciam*; quo aptissimo vocabulo assurgentem ad summa quaeque *Horatii* Musam *Quintilianus* designat. Huius super ea re locum, ingeniosissimo atque doctissimo commentario exornavit Ill. *Klotzius*, amicus meus, litterarum delictum, idemque poeticae artis egregius arbiter. Sed est ea vox a malis poetis in defensionem sui misere arrepta, omnibusque naevis atque ineptiis tegendis accommodata; ut adeo, quidquid nullo exemplo, praecceptis nullis, excusari viderent posse, id *poetica licentia*, quasi clypeo, tegerent atque obumbrarent. Non igitur frustra me laboraturum autumo, si non tam verae libertatis, poetis concessae, vim atque potestatem ostendero, fati enim hoc viri praeclari egerunt; quam eam invidioso *licentiae* nomine liberavero.

Nititur autem illa fere, et quasi fundamento suo incumbit, nobilissimo *Horatii* loco, non longe ab Artis poeticae exordio:

*Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.*

Sententia quidem ea est, ut, si vinculis omnibus nudatam, hoc est liberatam nexibus orationis, legas, facile animum possis ad credendum adducere, nihil esse tam abhorrens a veritate naturae et sensu pulchritudinis, nihil tam longe fines ingenii et phantasiae supergressum, denique nihil adeo legibus et ratione omni solutum, quod non attingere et inserere

operibus suis poeta pariter atque pictor queat; modo in admirationem aut stuporem lectores et spectatores rapiantur; Felicem videlicet licentiam, quam sibi sapiens nemo unquam oportet, comparandam fere cum ea, quam ab Ephoris Lacedaemoniorum aliquando tributam legimus genti Clazomeniorum, *) de qua nonnulli in loco publico turpissime se gesserant, *libertatem nimirum invereconde agendi: ἰξίσα Κλαζομενίων ἀρχηγοῦν.*

Verum ista mens minime omnium sedere poterat ei poetae, qui primum ipse sibi nihil licere putabat, quod non idem elegantiae studiosis placere omnibus posset; quique poetam certis regulis includere volebat hoc ipso libello: quibus omnibus carere poterat, si illi non normam aliquam, sed libitum suum sequendum esse existimavit. Videamus igitur, quo consilio illam tot iniquis interpretationibus obnoxiam sententiam proposuisse videri possit. Initium Epistolae de Arte poetica ducitur a reprehensione illorum poetarum, qui minime sibi convenientia iungunt, sed ad res toto coelo diversas prolapsi, humano quasi capiti cervicem equinam addunt. In his castigandis dum versatur *Horatius*, opponitur ei *foecunda licentia vatum*, ut *Ovidius* adpellat, et cum pari pictorum libertate contenditur. Observant vulgo ad hunc locum, proficisci eum ex ore poetarum inficetorum, quorum excusationem contra ea, quae in ipsis *Horatius* notaverat, praetermittendam non credebat. Quomocunque se ea res habet, (fieri enim potest, ut poeta hac subiectione usus sit, tamquam privilegio artis poeticae atque picturae omnium confessione certissimo,) illico adiecta censura, hanc tantam, qualis videtur, libertatem, cancellis suis coercet:

Scimus,

*) *AELIANVS Var. Hist. II. 15.* *PLUTARCHVS* in *apophthegm. Lacon.* idem de *Chuis* narrat; sed conciliavit hoc cum *Aeliani* dictis *Perizonius* ad h. l.

*Stimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim;
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes aubus gementur, tigribus agni.*

Horatium singulis his versibus respondere defensionem illi, quam iactatam pro defendenda vaga illa et enormi licentia meminerat, quis dubitaverit? At dubitavit doctissimus interpret illius, neque ab ingenio destitutus, sed in iudicandi subtilitate lapsus, ut mihi videtur, lapsus *), qui illud *Stimus* duntaxat Horatio tribuit; quae deinceps sequuntur,

et hanc veniam petimusque damusque vicissim,
poetis illis vitio creatis rursus adscribit, ut adeo largienti *Horatio* protinus opponant, se hoc iure, hac venia, omnia audendi, et ipsos perfrui velle, nec aliis eam negaturos. Mihi vero, fatebor enim, suspecta sunt dialogorum talium in carminibus obscura aut abrupta vestigia, imprimisque loco eo, cui inferre illa, nulla cogente necessitate, studeas. Nam, quod ait *Daceries*, Horatii hanc orationem esse propterea non posse, quod maioris spiritus carmina ille omnino non condiderit, qualia epica sint et dramatica, quae praecipue poetae nomen auctoribus suis conciliaverint: verendum est, ne hac iudicii temeritate ea ornamenta detrahat *Horatio*, quae ille sibi ipse vindicat. Profecto, qui *Lyricis inferi vatibus* cupit,

Z 3

*) DACIER ad h. l. *Oeuvres d'Horace* T. IX. pag. 260. sqq. cf. *Epistolam ad Sanaionum* scriptam, quae adiecta est Volumini II. Carminum Horatii, quae iste vertit gallice, atque doctissime interpretatus est. Iam C. annis ante Daceries, Lovaniensis Professor, Nannius, idem scripserat; quod videtur ignorasse Daceries, qui de hac interpretatione, quasi a se primum inventa, vehementer gloriatur.

quique, consensione omnium, principatum in eo genere Romani carminis consecutus est, cur transferre ad se poetarum iura non possit, equidem non intelligo. Quam aperte autem indicat copula illa verbo *Scimus* subiuncta, vim inferri huic versui, si quis duplicem in eo personam loquentem quaerat. Sed vel illud unice confirmandae interpretationi vulgatae sufficere potest, quod eadem veteri quoque Scholiae placuit, adnotanti haec pauca ad hunc versum: *Potimus ut poetae, damus ut critici*. Non videtur certe aptius explicari posse universae illius sententiae consilium.

Sed ne quis nimis liberalem credat *Horatium* in concedenda poetis libertate, ipse satis cavet, dum illam certis locis et finibus circumscribit. Horum designationem e natura rerum petit, eoque ipso reddit clarissimam. Componit poetam cum pictore, quemadmodum alio loco: *ut pictura poesis erit*. Utrumque naturam ducem sequi iubet, huius veritatem atque pulchritudinem artis suae ope exprimere. His constitutis, brevis est de licentia utriusque disputatio; et si longae ac difficiles, de usu illius iudicando, quaestiones enascantur. Ars enim utraque imitatione naturae continetur. Quidquid in hac venustum, elegans, ad sensus et animos movendos aptum conspicit, id omne sibi tamquam patrimonium obligasse merito existimat, in quo dispensando versari pro arbitrio possit. Poesis igitur, in hac enim sola manendum mihi est, non modo pulcherrima quaeque confectatur, et verissima; sed etiam pulchriora quam in parente omnium natura adsunt, modo ne cum hac pugnare videantur. Verum eadem nec horribilia, et quae terrorem incutiant, averfatur; eam tamen illis speciem tribuit, ut voluptate ad lectores non omnino careant. Vagatur per omnem naturae varietatem, arcanas rerum coniunctiones et similitudines argute ostendit, placitura ubique, et inter se suaviter conspirantia, exquirat, rebus omnibus maiorem et celsiorem vulgari illa formam donat, et hoc agit unice, ut mixtam

suum.


iucundis, iisque celerrimis motibus, admirationem in mentibus excitet.

Haec autem ipsa satis docent, non ita exlegem esse poetam, ut omnia, etiam rationi adversa, audere possit. Eadem enim natura, quae placidis immittia coire non patitur, non *serpentibus aves geminari, nec agnos tigribus*, hunc quoque alumnus suum ab infana eiusmodi licentia vult abstinere. Iungi inter se omnia possunt; sed minime placent coniuncta omnia, propterea quod, refragante indole sua in societatem adducta invicem apparent. Ex hac igitur naturae veritate immutabili praecepta depromenda sunt, quibus poeta subnixus, libere quidem, neque tamen desultoria et effraeni vanitate, procurrare in campos quoscunque possit. Non impedit communis ille poetas cum scriptoribus ingeniosis omnibus iudex, veri atque pulchri sensus, quo minus omnia confectentur, in quibus ars ipsorum, quid valeat, experiantur, neque modo ad se pertrahant, iisque utantur velut suis, sed plane creare, et primi efficere conentur. Ita vere magnus *Scaliger*, Poetices L. I. p. m. 6. Quae omnium opifex condidit, eorum reliquae scientiae tamquam actores sunt; poetica vero, quum et speciosius quae sunt, et quae non sunt eorum speciem ponit: videtur sane res ipsas, non ut aliae, quasi histrio, narrare, sed velut alter deus condere; unde cum eo commune nomen ipsi, non a consensu hominum, sed a naturae providentia, inditum videtur. *)


Hanc igitur quis dubitet splendidissimam libertatem esse poetae concessam; ut ubivis locorum capere quae arideant, transformare ea, et fingendo locupletare possit, modo ne fictionibus istis vero simile laedatur?

Magnam

*) Nimirum a *nomi*.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM

LEIPZIG 1768

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG, IX,88.

Magnam igitur legendi causam Poetae habeant: necesse est, quod non modo in tantarum opum possessionem immittant se, sed etiam hanc sibi legem utendis illis scriptam vident. Neque enim sine ea habituri essent in potestate sua luxuriantem vim illam, excitandarum multiplicandarumque imaginum, quae cum certa via non continetur, ad portentosos anfractus quam celerrime declinat. Censitur autem illa poetarum vera, et vel invidia digna licentia, primum omnium in inveniendi facultate. Universum illud ius inventionis audacissimum est, eoque maxime late pateas poetarum potestas censetur. Non est satis, rem, quam verbis exponere parant, praesentem ipsis esse, cognitae res gestae, virtutes magnorum virorum, vitae humanae vicissitudines, regendae illius praecepta, motus animorum quibus illa turbatur saepe numero, aut suaviter adficitur, divina denique et humana omnia, quibus contemplandis erudiri lectores possint, aut exhilarari. Tum enim demum, cum haec omnia adesse sibi poeta intelligit, quaerere incipit, qua specie, quo modo inter se coniuncta, quibus illustrata luminibus, quo minime expectato fulgore splendentia, in publicum ea sibi producenda sint. Constituerint secum epici carminis conditores, quem heroa laudandum suscipere: praeclare et fortiter ab eo acta tenent; nondum tamen carminis materiam. Iam illam ingenio suo eruendam permittunt; iam deorum, aut certe Christiano ritu genitorum, in rebus humanis arcanas administrationes, quae convenire eventis videantur, consilia patefaciunt, et iure quodam suo, ut in his sibi fides habeatur, postulant; iam conventus hominum, colloquia, declarationes consiliorum, quae nunquam fuerunt, quasi ipsi interfuissent, enarrant; iam naturae ipsius commotiones, miracula, prodigia, magnis rerum conversionibus nuntiandis apta, nasci iubent; iam ipsa hominum cogitata, et quae soli secum reputarunt, exponere aggrediuntur; iam pericula et impedimenta proferunt, quae festinantes ad exitum ab eo prohibeant; verbo, sicut illi quid cum Iunone
Iupiter

Jupiter intra aurea caelestia confabuletur, nihilque intentatum relinquant, quo illam elegantis et admirabilis inventionis sibi adferere gloriam possint.

Sed hac via progressi, cavent imprimis, ne caelestia semper incedant, et vulgarem illam sententiam tenaciter consecrari videantur. Hoc ordine, et hac consecutione, res quaedam gesta est; at poeta proponit longe aliam. Vel enim narrando illam mutat; vel re ipsa, ubi consilio carminis accommodatum hoc videt. Itaque nec *Homerus* *Iliada* a gemino ovo orditur, sed ab ira *Achillis*, quae decimo anno *Troiae* oppugnatae contigit; omnem tamen superiorem historiam, summa arte intexit operi; nec ille, qui magis *Iliad* de opus moliri suae iam aetatis videbatur, ab ortu *Aeneae*, atque genere, initium capit, sed a *Iunonis* in eum ira, et disiecta naufragio classe eius, quem postea ipsum, casus suos, et patriae funus, referentem facit.

Sunt loci quidam communes, e quibus laudum materiae hauriri solet. Dedignatur istos plerumque poeta; vel si his utitur, ita tractat, ut alia omnia, quam tritam illam rationem sequi videatur. *Pindarus* quidem, *Hieronem* in *Olympicis* victorem Oda celebraturus, primum aquae laudes proponit, tum auri; denique *Olympionicarum*; aptissime omnia, et praeter expectationem *Lectorum*. Quid? aemulus eius, *Horatius*, nonne, cum *Augusti* de *Persis* deque *Britannis* victorias versibus extollit, vix coepta Oda ad *Reguli* laudes delabitur, et totus est in illis? *Augusti* ne igitur credamus oblitum esse? nequaquam vero. Inno argutiorem et sublimiorem laudandi eius viam reperire non poterat, quam si ostenderet; quae *Regulus*, provido et magno animo, cavere, oblata patriae vel vita sua, voluit, ea ipsa, *Augusti* opera, fortissime, et multo feliciter, a Romano nomine absterfa esse dedecora.

Cupidissime in illis versantur poetae, quae nullius adhuc ingenium exercuerunt, amantque loca nullius ante trita pede peragrarè,

Insignemque suo capiti petere inde coronam,

Unde prius nulli valarunt tempora Musae.

In his sunt loca eiusmodi, quae aliorum quam poetarum manus et vestigia refugiant; alia, ad quorum illos maiestatem affurgere posse vix credibile erat; argumenta denique eius generis, quae normis religiosissimos et verecundos scriptores, non adfectos fingendi licentiæ poetas, admittere videntur. Ut uno exemplo utar, eoque nobilissimo: cui venit in mentem ante *Miltonum*, tristissimam expulsi e Paradiso parentum generis humani historiam carmine epico complecti, et dignitatem religionis eodem carmine ita tueri, ut in summa poetae libertate, animum tamen Numinis reverentem non desideres? Quod utrum ille penitus consecutus fuerit, non est huius loci disquirere; magna ausum esse, et multa, feliciter, nemo abnuerit.

Ac de inventionem quidem, liberrima poetae facultate, fatis. Venio ad oeconomiam poematum, in qua ille ingenio suo non minus indulget. Genera sane eorum longe plurima sunt, e quibus ille pro lubitu deligit, quae maxime animo suo et consiliis satisfaciunt. Videas illum et nova nonnumquam creare, vel in iis, quae frequentior usus commendavit, mutare quaedam, ut certius placeant, diutiusque. Infinita illa in metro, in pedibus, in modulatione universa componenda, varietas, eum poetae campum aperit, in quo discurrere, solutus omni iugo, possit, neque eadem semper chorda oberrare necessum habeat. Iam molem et ambitum carminis, rerum illo concludendarum numerum, et quaecunque veluti corpus illius efficiunt, non est nescius pendere ab arbitrio

arbitrio suo omnia; memor tamen sapientissimae legis, sed brevissimae, nihil sibi nisi vera, congruentia, et placitura licere. Infelicissimi mortalium videri possint, qui chronologiae nodis et sententis pervestigandis, operam dare coguntur. Poeta et hoc nomine felix et liber censendus est, quod ei impune in temporum rationes atque nexu grassari licet. Non, quasi numquam ei observandi sint; sed quod negligere has curas, maioribus distentus, et veluti repletus, possit, in quo ille tantum potest, ut e diversa seculis coire iubeat, nemine repugnante, illustres homines, qui propter fatorum similitudinem, aut coniunctionem reliquam, quae eos intercedit, eidem aetati assignandi videantur. Nempe, lectorum animis, ingenio, voluptati liberali, poeta servit, non historiae. Sic illa tanto temporum intervallo distita *Aeneae et Didonis* historia, in idem aevum coacta est a summo Poeta. In quam, si cetera mittamus, quae ab arte eius fluxerunt, nullis coloribus satis exprimenda, in hoc uno moremur, quod ita permixta temporum serie, ingeniosissime causas prodit odii acerrimi, et bellorum ad internecionem usque gestorum, quibus Roma et Carthago sese invicem adfixerunt. Nam illa morientis Didonis vox,

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor!

hoc infensissimum Aeneae votum, satis expletum videtur tot malis, quae a Carthaginensibus passa est romana respublica. Itaque non modo reprehensus non est turbatae chronologiae causa *Virgilius*, sed et gratiae a lectoribus illi habitae, quod longe pulcherrimo spectaculo eos beaverit. Quid? quod eandem licentiam suam fecit poeta eiusdem cum illo aetatis, ingenio par, forte et superior, sapientia et sublimitate nequaquam cum illo comparandus. Eam enim ipsam historiam, egregio artificio delineatam, bis omnino narrat*); imo

Aa 2

et

*) OVIDIUS *Fastor.* L. III, v. 545. *Metamorph.* L. XIV, v. 78. seqq.

et Didonem, morti proximam *), ad Aeneam mitiore epistolam docuit. Ac ne quis dubitet, gratissimum fuisse hunc Virgii synchronismum Romanis, idem haec de Aeneide profutur: **)

Nos legitur pars ulla magis de corpore toto,

Quam non legitimo foedere iunctus amor.

Sed si magna est poetae, in hac externa poematis compage struenda, libertas, longe maximam sibi vindicat in addendis illi undequaque ornamentis, tam variis, quam est ipsa natura. Figurarum primum, quae velut geminae in opere poetico radiant, quot sint genera, quam amoena, et non modo orationi commutandae, sed etiam mentibus leniter flectendis apta, constat inter omnes. Atque haec tantae divitiae magis etiam sunt poetae, quam oratoris, quod illi perpetuam quodammodo a proprio dicendi genere discessionem facere licet, non huic. Ille iam allegorias seu allusiones necit, quibus aliud dicitur, aliud intelligitur simile; iam hyperbolem adhibet, quae multo plus, quam in re ipsa inest, tradit; iam prosopopoeia utitur, tribuendo rei aut personae, rem aut personam, aut modum, aut orationem; iam exclamationibus et acclamationibus attentionem lectorum provocat; iam abrupto sermone, et quadam velut eclipsi, multo eos magis percellit; iam in auxilium ironiam vocat; iam repentinos transitus concitat; ut nihil de reliqua acie figurarum immensa dicam. Verum poetam quoque in ea instruenda falli posse, et falli saepenumero, si licentiosè nimis in his imperii sui partibus versetur, equidem facile largior. Neque enim fatigandi sunt et obruendi lectores, gravi hac armatura, nec in quovis

*) IDEM *Horoid. Epist. VII.*

**) IDEM *Trist. L. II. Eleg. I. v. 535.*

quovis poemate idem figuris illis tribuendus locus est; nec captanda est perpetua quaedam ridendi ludendique libido.

Ad hanc autem florentis orationis licentiam, merito mihi inythologiae quoque, seu theologiae gentilis, usum referre videor. Nunquam sibi hunc poeta eripi patietur; in eo imprimis dominabitur; cum, translata ad gentes, mores, historiam recentioris aevi, accommodationibus augebit etiam et ampliorem reddet. Nimirum, sacri nihil, aut religiosi in omni hoc apparatu quaerit: non deos, aut vana istorum auxilia requirit: sed quaedam optimarum et praestantissimarum rerum, ut sapientiae, ut virtutum, nomina, e fabellis ducta, quae praeborent imagines pictoribus atque poetis imprimis desideratas. Rursus et naturae universae, vitiorum malorumque picturas et exempla, suis apte distincta characteribus, eadem ex penu depromit. Inepti igitur sunt, qui illam e fabulis veterum petitam a poetis εικονομασίαν, quasi infuriam in sacra Christianorum temeritatem traducunt: quod fieri hodieque, quis, nisi paene auribus suis accipiat, credat? His commendanda sunt, quae ante hos viginti annos, vir acutissimus atque doctissimus, mihi etiam propter muneris coniunctionem dum vivam carissimus, IO. FRIDER. CHRISTIVS, defendendis poetis ab impacto paganitatis crimine, eloquentissime scripsit *). Ut uno eius loco utar, de Musarum quidem invocatione haec iudicat: „Musae aliquando faciem honestam scriptor verbis finxit, et invocavit utcumque, more poetarum. Scilicet, formam scientiae divinam suis animo perspexerat, et, qualem videre se putaret, verbis expresserat, ut hac amatae rei imagine, ingenii coelestem nus, ab eo invocando per hunc circuitum peteret, qui solus potest largiri. Qui Deum appellare cupiat, ille Sciantiam

*) Vid. *Oratt. eius tres pro Patrimonio Poetarum*, Lips. 1745. 8.

„entiam Dei, Providentiam Dei, alias in Deo virtutes, per
 „aliquam honestam speciem, quae pondus addat sermone,
 „non aufit? “ Ita si quis moderetur hanc licentiam thesau-
 ris gentiliū fabularum superbientem, (quis autem est sani
 ingenii poeta, qui alio modo frui velit?) non modo habita-
 bit quam libentissime in hoc fundo, sed etiam obrectatori-
 bus Bonam Mentem propitiam precabitur.

Nunc, si poeticae licentiae in verbis denique ipsis, et
 partibus singulis profuentis orationis, vestigia inquirenda es-
 sent accurate, qualia a summis ingeniis omnium temporum
 relicta sunt, etiam atque etiam multa mihi exempla profe-
 renda essent, eaque praeceptis nequaquam vacua, quibus
 istius quoque libertatis fines inunirentur. Illa verficolor
 oratio, verbis sonoris numerosisque iactata; illa rerum ipsa-
 rum motus et strepitum exprimentia vocabula; graves illae
 voces, et Gradivi in modum incedentes; et tot alia verbo-
 rum lenocinia, poetarum arti propria, enarranda mihi hoc
 loco essent. Dicendum esset de lusibus quibusdam eidem
 arti concessis, qui, si rariore sint, facile feruntur, ut ille
 praeclaro poeta parum dignus versiculus: *Semibovemque vi-
 rum, semivirumque bovem*; sed quem tamen subridens legere
 possis. Etiam nota rerum vocabula frequentant poetae, et
 inaudita seculo suo; sed hac tamen lege saluberrima con-
 stricti, ne vel grammaticam analogiam laedant, vel aures
 lectorum. Quid? nonne vel in obsoletis vocibus nonnun-
 quam in lucem revocandis sibi placent? Latina cum poema-
 ta pangunt, *Evandri* matrem loquentem inducunt, in Fran-
 cogallicis *Ronsardum*, in nostris *Sachsum* futorem, fanatico
 illo

illo Gortienſium ſutore multo ſapientiore. Sed ſatis fuerit hæc omnia verbis pauciſſimis deſignare, ut pateat, quot poe-
tae vias ingrediantur, lubitu ſuo, aut delectandi ſtudio ducti, quas calcare nulli de alio genere ſcriptorum liceat.

Hoc autem ipſo quaſi indice, et breuiſcula delineatione verioris *licentiae poeticae*, arbitror me infucata illam, et ſtolide imperantem, proſtigaffe. Quis enim eſt iam, qui non intelligat, delicta, frigus, et nugae multorum, qui poe-
tae audiunt, non licentiae nomine excuſanda eſſe, ſed ſuo vocabulo appellanda, ſtultitiam, vel etiam infaniam? Qualis eſt illorum, qui dum in hexametris patria lingua condendis furunt, et grammaticos, et loquendi uſum, et ſuarum denique aurium iudicium, ſpernunt. Sunt, qui, cum egregios vates, in creandis comparationibus et allegoriis audaces eſſe videant, ipſi audaciſſimi, vel impudentiſſimi potius, et male loquaces eadem in re ſunt, ea inter ſe comparando, quæ quali ſimilitudine iungantur nemo facile capit, niſi quod animadvertas, ſterile poe-
tae ingenium comparationis tale beneficium efflagiſſe. Celebratur in vatibus epicis atque lyricis, neglectus ordinis, ut adeo non certum hi tramitem teneant, ſed eum, quem concitatus eorum ſpiritus finxerit. Et hoc quoque puſilli verſificatores in rem ſuam vertunt. Tum demum poetas ſe futuros exiſtimant, ſi ima ſummis miſcuerint, turbaverintque vel naturæ et ſenſus communis ordinem, modo ſæpius exclamare didicerint: quo raptor? ubi ſum? quis hunc animo furorem inſpirat? vosne Muſæ? an tu Apollo? — imo vero horum nemo, ſed aegrotum cerebrum. Eſt et aliud pravae huius licentiae
genus

genus, eam ab humilibus ad sublimia, ab his rursus ad illa, periculoso saltu delabuntur; parum admoniti Phaethontis casu. Quid de his dicam, qui frui libertate sua eo potissimum videntur, ut in carminibus se ipsos, et ingenium suum praedicent; qui, etiam cum alii loquentes inducendi essent, ipsi declamant perpetuo, et hac garrulitate vel optimas sententias intolerabiles reddunt lectoribus. Denique, ut alia multa genera licentiae huius merito reprehensae nunc praetermittam, frequentius est illud, quod in verborum insolentia, fictis et recens natis, partim etiam peregrinis vocibus, in prociendis ampullis et sesquipedalibus verbis, et, ut breviter dicam, in eo orationis colore cernitur, cuius tumorem adscititium ferre, praeter hos artifices, et eorum similes, nemo possit.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Maii Anno MDCCLXVIII.

IOANNIS ANTONII BATTARRAE,
*Ariminensis, Experimenta super phaenomeno quodam
hydrostatico.*

Ab Hydrostaticis omnibus sequens propositio proponitur: *Aqua in canalibus curvis curvatura arquabilis, quae circuli quartam non aequat, ceteris paribus, citius et promptius movetur, quam per rectum canalem inter curvi extremitates contentum; seu, quod idem est, si canalis rectus sit ad curvum ut chorda ad arcum.* Sumptis ego tubis vitreis, curvo et recto in relata proportione, ex recto tres aquae uncias 47. utriusque pulvis habui, ex curvo autem parem aquae quantitatem tantum 97. accepi; quorum tuborum inclinatio fuit gr. 5. quibus horizontaliter positis, rectus unciam dedit 19, curvus 16 tantum. Maiorem hanc velocitatem etiam in canalibus ex lamina ferro-stannea paratis observare mihi contigit. Attamen cum huiusmodi experimenta, non tantum ut veritatem detegere, sed etiam ut variorum amicorum curiositati satisfacerem, saepe esse mihi repetenda, consilium cepi, etiam in Eruditorum Actis palam faciendi, quid ea in re experimentis profecerim.



Perpenso in tubis vitreis experime[n]to, et cum plus mihi concederet quam optabam, non desisti in dubium revocare, utrum omnia a me essent recte ordinata. Igitur iterum rem ad trutinam revocavi, non tantum vitreis tubis, sed etiam canalibus; verum ex omnibus, quos feci, experimentis, semper propositionis meae veritatem euere potui. Iam igitur credo me gratiam aliquam iniurum, si methodum exposuero, qua usus fuit in hisce tentaminibus meis, atque si deinceps reculero, quid mihi acciderit.

Tab. II.

In tabula adnexa sub numero 1) adest bilanx: 2) Vas, quod continet quatuor aquae libras, quodque mihi pro emissario fuit: 3) Quadrans mobilis, ut per eius radium *a*, et pendulum adnexum, inclinationem canalium cognoscerem, quam iis dare statueram: 4) Tabella mobilis, ad quamcunque inclinationem ope cochleae sistenda, ut canales in data inclinatione sustineret. Iam pro temporis mensura, in superius notato experimento, pulsa aequabili circumstantis amici usus sum, prid. Non. Decembris anni 1763. Illud etiam curavi, ut vitreis tubis, quorum diameter non erat aequalis, orificium cereum constituerem, cum foramine diametri lin. paris. Quinque insuper canales mihi comparavi, nempe *A*, *B*, *C*, *D*, *E*, quibus postea addidi *F*, et canaliculum *G*, pro experimentis Poleni nostri repetendis, quae ille refert diss. de Castellis. Singulis tubis aderat in *r r r r r* foramen rotundum lin. $3\frac{1}{2}$, per quod aqua ab emissario in canalem ingrediebatur; in altera canalium extremitate aderat circellus semilunaris *H*, omnibus aequale ferruminatum. Canalis *A* ad *B* erat ut arcus ad chordam; sic etiam *E* ad *D*. Sunt praeterea in hac tabula canales et tubi sequentes: *A* longus digit. paris. 10:2. *B* dig. 8:5. *C* dig. 9. *D* dig. 7:1. *E* dig. 8:9. *F* dig. 2:4. Latitudo singulorum lin. $3\frac{1}{2}$: altitudo laterum lin. 6. Angulus α canalis *c* grad. 153; angulus α eundem canalis grad. 136. Fig. 5. duo tubi vitrei sunt, quorum rectus est pollic. 8:7. longitudo curvi, formae cycloidalis, pollic. 9:5. diameter utriusque lin. 3. circiter.

Itaque

TAB. II. ad Nov. Act. Erud. Mens. Maii. A. 1768. pag. 194. sqq.



Itaque XIV. Kal. Februarii anni 1764. iterum rem tentavi. Pro temporis mensura sumpsi pendulum pollicum 19, repletoque Emissario aqua, eique alternatim tubis commissis, primum duo tubi recti totam aquam exonerarunt 77", curvus vero 70"; inclinatio erat fere nulla. Iterum Emissario repleto canales exploravi cum duorum gr. inclinatione; quare dato lanci pondere 9 unciarum, canalis *A* proiecit in opposita lance 9 aquae uncias 8" $\frac{1}{2}$, *B* et *C* 9", *D* vix 14", *E* paulo plus 13". Hic adnotari velim, quod in canali *E* in curvaturae reflexionibus, plus aquae extra latera proiiciebatur, quam quod in lanceam descendebat; quare utrisque canalibus *D*, *E*, (utpote altero alterius chorda,) orificium ope ceræ angustius, et quadratum reddideram, latum lin. 1 $\frac{1}{4}$, quibus usus sum in modo allato, et in sequenti tentamine.

4. Quinto Id. Februarii sumpto pendulo poll. 26, et canalibus, vale semper repleto, ut numquam non soleo, emissario alternatim commissis, 9. aquae uncias *A* et *B*, et *C* 7" proicere, reliqui duo *D* et *E* 13" circiter dederunt. Atque hæc sunt tentamina illa, quae intra domesticos parietes coram amicis habui. Verum cum etiam circa temporis mensuram omnino non quiescerem, consilium cepi, rursus experimenta hæc omnia cum horologio oscillatorio repetendi; quapropter Nonis Aprilis ad Comitem Franciscum Garampium, Equitem, in physicis ac praesertim astronomicis versatissimum, me contuli, cui optimum horologium non deest, ibique coram eo et amicis rem tentavi. Hic etiam monebo, quod cum elapsis diebus in tubis vitreis pertractandis orificium cereum uni ex iis contracto cecidisset, illud, in omnibus renovare compulsus sum, adeoque curavi, ut aperturæ non essent diametro linea minores.

5. Decrevimus interim, dum tentamina inchoarentur, observare quid nobis accideret circa experimenta illa Poleni nostri, quae diff. de Castellis habet; quare statim brevissimum

mum omnium tubum dig. 2 : 4. longum emissario commisi-
mus, qui 9. aquae uncias in subiecta lance 52" dedit. De-
inde duo tubi recti, quibus in superioribus tentaminibus ute-
bar, eandem quantitatem aquae dedere alius 46", alius 47",
denique curvus tantum 45" idem aquae pondus eiecit. In-
clinatio tuborum fuit omnibus gr. 2. communis. Hisce re-
petitis, et constantia observata, tubos dimisimus, et ad rem in
canalibus explorandam animum convertimus. Data itaque
duorum gr. inclinatione, canalis *A* dedit uncias aquae 18, 14",
B et *C* pari tempore eandem aquae quantitatem dedere,
D et *E*, quorum orificia ut dixi minora feci, easdem 18 aquae
uncias singuli 26" dederunt. Rursus mutata canalium in-
clinatione, eaque posita tantum unius gradus, tam canalis
A, quam *B*, easdem 18 aquae uncias in lancem subiectam
tempore 13" proiecerunt. Haec saepius repetita semper
idem ostenderunt.

6. Hisce peractis, atque in tot repetitis periculis certior
factus, optavi, ut haec Cl. Praeceptoris olim mei Jani Planci
praesentia firmarentur; quapropter V. Non. Maii apud lau-
datum Com. Garampium vocatus Plancus pro sua in me hu-
manitate adfuit, ibique cum amicis, experimenta nostra iterum
tentavimus. Et primo quidem consilium fuit una explorare, an
quae docuerat Polenus de Castellis, etiam in canalibus, quem-
admodum in tubis, ut superius innuimus, vera reperirentur.
Quare canaliculum *F*, et foramen *G*, iam mihi paraveram.
Deinde hoc etiam advertendum, quod canalibus *D* et *E* orifici-
um restitui aequale ceteris canalibus *A*, *B*, *C*, *F*, *G*, ceram ex-
cutiendo, et ne amplius canalis biscurvus *E* per curvaturas
aquam proiiceret, duas auriculas α α ex eadem lamina ferro-
minari ei iusseram.

7. Hisce paratis, pondus 18 unciarum lanci dedimus,
et singulis canalibus data duorum gr. inclinatione, Canalis *A*
par. aquae pondus in lancem proiecit tempore 12" 20",
B 13",

B 13", *C* 13", *D* 13", *E* 12" 30", *F* 12" 30", *G* 12".
 Ex quibus cognovimus, experimenta Poleni, quae in tubis vera esse noveram, in canalibus ad votum non respondere. Hinc tubos vitreos ad examen revocavi, et 9. duntaxat ponderis uncias in lance relictis, emissario tubum brevissimum commisi, postea longiorem; primus 52", alter vero 47" ideam aquae pondus dedit, ut in §. 5, quod optime Poleni inventis responderet. At dum haec agebantur, dubium incidit de reciproca diametri orificiorum aequalitate: igitur statim, ut dubium omne evanesceret, laminam ex orichalco sumpsi, et vertigine terebrata, factoque foramine rotundo lin. diametro; eam operae terebinthinatae, singulis tubis alternatim adaptavi, unoque post alium emissario commisso, tubus curvus dedit eadem 9 aquae uncias 45", rectus 46", tubus brevissimus 48".

8. Postremo IV. Non. Junii, ut aliis curiosis satisfacerem, iterum ad laudatum Com. Garampium me contuli, et tubis vitreis renovato orificio ex lamina orichalci, cuius diameter erat lin. 2. id est duplo maior usitato, iisque data inclinatione 3 graduum, et duplicato in lance pondere consueto, nempe unciarum 9: tubus brevissimus 18 aquae uncias 32" dedit, longior rectus 44", curvus vero 40". Postea canalibus aptatis, cum pari 3 grad. inclinatione, canalis *A* dedit idem 18. unc. aquae pondus 12", *B* 13", *C* 14" 40", qui per angulum & multam praeiciebat aquam, *D* 13", *E* 13". Hic ab omnibus circumstantibus adnotatum est, quod aqua per auriculas ferruminatas & canalis *E*, ita in arcum ex impetu concepto sursum elevabatur, ut infra hoc arcus planum fundi canalis deferret, uti ad rectum redactis, huiusmodi decurrentis aquae tortuosis flexibus, tam horizontalibus, quam arcuatis, linea aquae per hunc canalem superabat longitudinem canalis *D* polli. 3 : 8. canaliculus vero *F*, et foramen *G*, singuli 18. aquae uncias 12" dedere.

Haec sunt, quae adhuc experimentis meis cognoscere mihi licuit. Atque his ita positis, contra hydrostaticas theorias receptas nonnulla corollaria deduci possent, et quidem

Primo, quod datis cuiuscumque fluminis seu torrentis terminis, citius et promptius aqua ad exitum perveniet, ceteris paribus, aut per unam, aut per multiplices aequabiles tortuositates, quam per alveum rectum.

Secundo, in alveis fluminum angulosis, aut tortuosis, facilius aqua extra ripas in alluvionibus labitur, quam in alveis rectis, ceteris paribus, scilicet dato riparum in utrisque parallelismo, dataque altitudine aequali.

Tertio, multo velocius per alveos tortuosos aqua ferri debet respectu, quam in nostris tentaminibus experti sumus; siquidem in ripis convexis non tantum fit corrosio, sed etiam in fundo alvei corrosionibus illis adhaerentis, unde et spiritus fluminis eo deflectitur, et cum maior aquae copia prolabatur, velocior erit in motu.

Quarto, aeris ventilationes, quin etiam venti, videntur aliquid efficere, ut motus fluentium aquarum turbetur. In uno experimento observavimus, quod apertis ianuis et fenestris cubiculi, tubus vitreus rectus, per unam et alteram fere oscillationem, citius datam aquam exoneravit, quam cum ianuae et fenestrae essent clausae.

Quinto, qui dicunt, luminis diametro duplicato quadruplo maiorem aquam ab eodem lumine, ceteris paribus, exire, experientiae nostrae ultimo loco recensitae non responderit; quamvis non modo diameter duplicata extiterit, sed etiam inclinatio fuerit adita.

Sexto, denique facta comparatione in sectionibus tam recti, quam curvi canalibus, vel tubi, ceteris paribus, velocior semper erit motus aquae in sectionibus curvi, quam recti,
contra

contra Corollarium Grandii, quod ex Propositione XIII. del
Mouimento dell' Acqua deducit.

**BIBLIOTHECA ARABICO-HISPANA ESCURIA-
 lensis: sive Librorum omnium MSS. quos arabice ab
 Auctoribus, magnam partem Arabo-Hispanis, compo-
 sitos, Bibliotheca Coenobii Escurialensis complectitur, Re-
 censio et Explanatio. Opera et studio MICHAELIS
 CASIRI, Syro-Maronitae, Presbyteri, S. Theologiae
 Doctoris, Regi a Bibliotheca, Linguarumque Orienta-
 lium interpretatione: Caroli III. Regis Opt.
 Max. auctoritate atque auspiciis edita.**

TOMUS PRIOR.

Matriti, Ant. Perez de Soto imprimebat, 1760.
 forma maiori.

Gratissimum facturos nos existimamus iis, quibus res li-
 teraria universa, artiumque bonarum incrementa, cu-
 rae cordique sunt, si Operis huius Casiriani, in suo genere
 unici et praestantissimi, sed et in terris nostris adhuc rarissi-
 mi, notitiam, et super eius tum natura, tum utilitate, iudi-
 cium nostrum, cum orbe erudito communicaverimus. Licet
 enim non defuturos censeamus inspidos eruditionis patriae
 admiratores, qui risum vix contineant, ubi editam legerint
 Bibliothecam Arabico-Hispanam, (adeo hodie facit istis
 hominibus omnia sordent, quae illecebris vernaculae non
 commendantur, neque sterculis fragrant ex hortis patriis de-
 ceptis:) tamen, si paucis modo, et idoneis rerum aestimato-
 ribus, se probaverit labor Casiri V. Cl. ineptiorum risu pa-
 rum commovebimur, contumeliam eorum laudem interpre-
 taturi. Opus suum Cl. Auctor, quia nimiae molis futuram
 erat,

erat, divise in Partes II: quarum prior, cuius retentionem mox dabimus, comprehendit: 1) Grammatica, 2) Rhetorica, 3) Poetica, 4) Philologica, et Miscellanea, 5) Philosophica, 6) Mathematica, 7) Medica, et quae ad historiam naturalem pertinent, 8) Iuridica, 9) Theologica, et Commentationes in Coranum, et 10) demum alia quaedam, quae spectant partim ad dogmata, partim ad historiam Christianam Ecclesiae. Pars altera, quam brevi editum iri spes est, continebit, quantum ex verbis Auctoris colligimus, Geographica et Historica. Antea tamen quam de Parte I. uberius exponamus, consentaneum videtur, quaedam de totius operis historia et origine praemittere, ut constet etiam his, quibus literae Arabicae huc usque parum dignae vitae fuerunt, quarum fata, libros, et Auctores cognoscerent. Ferdinandus est, rex Hispaniarum huius nominis VI. cui orbis eruditus debet, quicquid in hoc genere literarum a *Cl. Casiro* praestitum est, et impofterum, edendis ipsis Arabicis Auctoribus, praestitum iri confidimus. Is enim conquirendis et ad servandis ingenii et doctrinae Arabicae monumentis thesaurum congregavit, et abscondidit, qui laudabili in omne genus literarum studio, et beneficentia Caroli III. in haec nunc protrahitur. Philippus quidem II. Monasterii Escorialensis conditor, iam olim nullis impendiis pepercerat, quibus conspicua omni librorum genere Bibliotheca pararetur, et Manuscriptis praecipue Arabicis locupletaretur; atque constat, tempore Philippi III. Libros huius generis ter mille amplius Bibliothecae accessisse, qui partim ad artem medicam et philosophiam, partim ad Politicam et interpretationem Corani pertinerent; sed magno literarum detrimento a. MDCLXXI accidit, ut eorum fere pars dimidia, suborto incendio, confligaret, atque reliquorum non pauci flammis admodum vitarentur. Iam ad Librorum partem residuam pertinet labor *Casiri*, qui a. MDCCXLIX. iussus a rege Ferdinando VI. ad Monasterium Escorialense eo consilio commigravit, ut recondi-

reconditum istum thesaurum perlustraret, singulorumque Librorum Arabicorum indicem exararet. Laboris vero difficultas eum impediret, quominus res hoc uno itinere conficeretur, *Casirus*, monente saepius Bibliothecae praefecto, Iohanne de Santander, iter ao. MDCCLII. reparavit, omnia pervestigavit, librorum indices, et quae alia viderentur necessaria, descripsit, atque ita, consumto anno integro, onustus quasi Arabum divitiis Matritum repetiit. Quam arduus fuerit, et paene Herculeus labor *Casiri*, vel ex hoc intelligitur, quod a nulla alia re subsidia petere, quam a doctrina et industria sua poterat. Catalogum quidem Librorum, iam olim *Arias Montanus*, primus Bibliothecae Escorialensi praefectus, eiusque discipuli et successores, composuerant, ab iis tamen, cum editi nunquam fuerunt, scripta vero eorum exempla cum magna parte librorum flammis perierunt, nihil peti poterat auxilii, tamquam a re quae cogitatione sola superesset. Neque magis prodesse poterant alii duo indices Librorum Arabicorum, qui suppetebant, alter Latinus, alter Latino-Arabicus; cum in iis, praeter titulorum sterilem enumerationem, nihil esset, quod laborem levare aliqua parte posset. Typis in hoc genere exscriptum est plane nihil, si discesseris a Castillii Indice 261. Titulorum, quem *Hottingerus* ad calcem Bibliothecae suae Orientalis adiecit. Ceterum, patet et laboris malignitas ex natura rei. Nam cum magna librorum pars esset aut flammis arrosa, aut humiditate confecta, in integris vero neque indices reperirentur, neque divisiones in capita, neque aliae, quae nostro tempore lectionem et interpretationem librorum iuvant, distinctiones, praeterea genus scripturae esset varium et ambiguum, mendisque et erroribus adeo plenum, ut ingeniosi interpretis saepius quam lectoris aut scribae partes agendas essent: quis non intelligat, quanta perspicacia, quanta industria, quibus laboribus opus fuerit, ut, quantum fieri posset, feliciter susceptum negotium cederet. Non raro, ut sensum aliquem sanum erueret, aut e contextis divinaret *Casirus*, unius ar-

gumenti plures libros contulit, alios etiam totos perlegit. Nomina Auctorum, quorum plerumque et aetas, vita, patria, et scripturae genus attinguntur, arabice et latino tradita sunt, genus, religio, ingenium, dignitates et munera publica descripta, et, ubi fieri potuit, adiectum adeo est qua quisque eorum auctoritate apud cives fuerit, quae sit Mahumedanorum Eruditorum iudicia expertus. Quibusdam in locis etiam adnotatum deprehendes, quam rarus sit liber, qua in Bibliotheca olim repertus, et in qua adhuc reperitur.

His praemonitis, iam ad ipsum *Cl. Casiri* Opus nos convertimus, quod cum lectoribus nostris, quantum e re erit, perlustrabimus, si quae memoratu dignissima nobis visa sunt, ex praefatione prius adduxerimus. Ordo, quem in recensendis MSS. libris Auctor servat, respondet loco, quo quisque eorum in Bibliotheca nunc inscriptis numeris positus est. Quod ad externam librorum formam attinet, eam, ut supra dictum est, accurate descripsit Auctor, ita ut nihil facile praetermiserit, quod vel ad genus literarum seu characterum, quo liber quisque exaratus, ad locum et tempus, quo quisque compositus est, vel ad Scriptoris gentem, eruditionem, mores, sara cognoscenda, faceret. In margine paginarum inferiore, arabicis notis nomen quoque Scriptoris, et libri cuiusvis initium et finem, adscripsit; interdum et inseruit observationes historicas, in quibus, cum non paucos libros totos perlegerit, non possunt non quamplurima reperiri, quae ad interpretationem et intellectum huius vel illius loci utilia sint, quaeque frustra quaesiveris alibi. Quotiescunque vero eiusmodi observationes occurrunt, versio semper in textu posita est, verbis arabicis ad marginem inferiorem adscriptis. Consulto hoc moneamus, quo utilitas huius Catalogi magis perspiciatur; siquidem colligendis in unum his Excerptis enasci inde posset Chrestomathia Arabica, qua commode utantur, qui operam addiscendae linguae Arabicae dare velint, et in tanta librorum Arabicorum penuria careant ducibus et auctoribus,

bus, quamquam nec artis criticae et historiarum peritos in-
 exisse illas animadversiones pospitebit. Exempli loco affe-
 remus quaedam ex his Excerptis. *Ad Codicem 590.* adno-
 tata sunt vera nomina mensium et dierum Arabibus consueta,
 et multum diversa ab iis, quae reperiuntur apud Golium
 in Nott. ad Alpherganum. Negari quidem non potest, no-
 mina a Golio tradita olim in usu fuisse apud Arabes antiquis-
 simos; sed obsolescere paulatim eo coeperunt tempore, quo
 principatum Arabes occuparunt, ita ut post Muhamedi tem-
 pora in eorum locum succederent, quae a Caliro traditae nunc
 primum sunt adpellationes. Sunt vero nomina men-
 sium haec: Banec, Nakid, Talbac, Bakhor, Aslakh, Aphcch,
 Ahlak, Kafaa, Ahrabath, Harad, Iafac, Haudac: Dierum,
 Man, Sanbar, Vair, Amar, Mutamar, Moallal, Mostapha Al-
 giamer. *Ad Cod. 595.* observantur quaedam, quae utilia
 sunt ad extirpandos errores circa vitam et scripta Leonis A-
 fricani. *Ad Cod. 625.* de vita et scriptis Ebn Alkhathibi
 late differitur; item *ad Cod. 643.* de vita et scriptis Abu
 Nassar Alfarabii. *Ad Cod. 706.* traduntur memorabilia
 quarundam urbium, quae desumpta sunt ex: Erzedini Abdela-
 ziz Ebn Abileassem Babafri Florilegio. *Ad Cod. 839.* Ex-
 cerpta sunt ex Anonymi libro de ponderibus et mensuris, in
 Asia et Aegypto solemnibus. *Ad Cod. 865.* est brevis dis-
 putatio super numeris Arabum. Mathematicos, dicit Au-
 ctor, Arabicos, aliosque huius gentis Scriptores, passim non
 usos esse in scriptis suis notis vulgaribus ad exprimendos
 numeros, sed hanc in rem adhibuisse plerumque literas, qui-
 bus numerorum significationem adderent. Notarum vero
 Arabicarum, quibus nos numeramus, originem *Castrum* re-
 fert ad Philosophos Indicos, quae est sententia vulgaris. Nos
 quidem vehementer optaremus, *Cl. Castrum*, cui in hoc dis-
 putationis genere nihil fere subsidii non erat, paulo diligen-
 tius hanc rem tractasse, neque acquievisse in eo, ut usum li-
 terarum arabicarum in numerando tam late demonstraret,
 tanquam rem novam et insolentem: in quo falsus est, cum

nulla fere apud nos Grammaticarum arabicarum sit, in qua idem literarum usus non commemoretur. Origo notarum numerandi vulgarium, quam alii cum Auctore tribuunt Indis, alii vero Aegyptiis, res est unica de qua laboramus, quamque curatius inter divitias suas Arabicas investigasse cuperemus *Casirum*. In recensendis Codd. reliquis passim insertae sunt, ex Anonymi Bibliotheca Philosophorum Arabica, vitae graecorum et arabicorum Scriptorum. Sic ad Cod. 980. adiecta reperitur iusta Biographia Mathematicorum, qui arabice scripserunt, quorum vitas, ex ante dicta Bibliotheca defumtas, Casirus arabice et latine enarravit.

Sed age nunc veniamus ad Catalogum ipsum. Primum in eo locum occupant, ut supra adnotavimus, *Grammatici*. Cum Arabum lingua, inde a primo Hegirae Saeculo, adstricta fuerit certis regulis, mirum non est, antiquissimo iam tempore inter eos claruisse Grammaticos, ad quorum praecipuos Casirus refert in Assyria Saibuiah, in Perside Georgianum et Zankhafchri, in Aegypto Ebn Alhageb, in Africa Agrumum, et in Hispania Ebn Malek, quorum scripta maximam partem in Catalogo suo commemorat. Codex primus, qui est literis Cuphiciis exaratus, continet *Opus Grammaticae Arabicae*, auctore Saibuiah, qui vixit circa annum Christi DCCXCVI. Ex *Schamseldinaci Alansarasi Antiquitatum Arab. Historia* locus hic latine et arabice insertus est, ubi Arabum Grammatici insigniores recensentur. In universum, ante Muhamedismum Arabum lingua dicitur ad regulas grammaticas accommodata non fuisse, sed post Muhamedi demum tempora, cum plures gentes confunderentur, Imperator Abuthalebacus, verens, ne lingua Arabica plane interiret, vocato ad se Abu Alasuadaco demandasse negotium conscribendae Grammaticae Arabicae, quem deinde statim plures sine secuti, qui eidem se labori accinxerint. Maiorem reliquis omnibus Grammaticis gloriam consecutus est Ben Malek, qui leges grammaticas conclusit mille versibus, unde et *Alchiam* inferi-

in scriptus est liber eius. Hunc imprimis celebrant; et maximum omnium temporum Grammaticum, Scriptores Arabici, quod vel ex sola et frequenti Academiae Arabicarum appellatione intelligitur, quibus dicitur: *Linguae Arabicae dominus, bonarum Artium magister*. Opus eius nitidissimo scriptum est, litterae maiusculae coloribus et auro magnifice pictae. Nec defuerunt postero tempore Grammatici, qui in librum istum commentarentur, locaque eius difficillora ex Poetis illustrarent, quorum ubi adiecta sunt Scholia, textus nonnusquam auratis literis scriptus est totus. Codex 33. inscribitur: *Horius auras lenis*, tractatque argumentum de origine et significatione arabicarum litterarum. Auctor eius *Ben Noinari*, Hispanus, ut Eberum vult primum promulgasse litteras arabicas, ita, qui eas invenerit, censet fuisse regem Iareb. Notari meretur, libros Bibliothecae Escorialensis magnam partem exaratos esse literis Cuphaeis: qui character, cum sit potissimum Scriptorum Africanorum et Hispanorum, libri vero eodem tempore confecti, quo in Hispania maxime florerent bonae artes, propria est consecutio, auctores eorum plerosque fuisse gente Hispanos.

Grammaticos sequuntur in Catalogo *Oratores et Poetae* Arabici, quos sine ulla limitatione Casirus aequiparat Graecis et Romanis: Alfokakium alterum Ciceronem, Alhakiarium nominat Quintilianum. Sed veremur, ne nimis indulserit Vir Cl. hac comparatione affectui suo erga litteras arabicas. Utur enim de poetis arabicis, quos oratoribus longe praestantiores esse constat, iudicium eius ferendum sit, quod nec ipsum tamen satis recte fieri putamus: Oratores certe Graecis et Romanis aequiparandi non videntur, neque quoad inventionem, neque quoad elocutionem, quae posterior praesertim multum habet nugatorii et cincinnati apud Arabes, atque iustus ingenii, proverbii, et frigidis apophthegmatibus ubique scatet; cuius vitii Oratores Graeci, aut Romanos accusare nemo facile ausit. Ante Muhamediz tempora, (revertimur nunc ad Auctorem;)

eloquentia apud Arabes fere iacuit inculca et contempta; postea vero quanto in pretio apud illos fuerit, vel inde patet, quod neminem inter Scriptores eruditos referri paterentur, nisi regulis grammaticis, rhetoricis, et poeticis bene imbutum. Sed clarior etiam fiet res ex iudicio Dhiatdini, auctoris *Methodi universalis et absolutae*, h. e. Rhetorices et Poetics, qui oratoris, ait, esse sequentia: ut habeat 1) notitiam accuratam Grammatices, sermonis, proverbiorum, et Annalium Arabicorum; 2) ut diligenter legat et perpetuo, et poetas, et oratores; 3) ut iuris peritus sit, atque in Corani tam interpretatione, quam usu, bene versatus; et 4) ut res gestas, quae pertineant ad regnum Muhamedanum, teneat omnes, praesertim celebriores; et 5) tandem, ut metri et rhytmi non sit ignarus. Poetarum Arabicorum numerus paene infinitus est, eorumque poemata maximam partem scholiis et glossematibus explicata et ad usum accommodata, nec facile est carminis genus, quin ab iis quoque sit tractatum. Occurrunt in eorum poematis dogmatica, historica, satyrica, heroica: porro, Epigrammata, Fabulae, Odae, Elegi, et amores. Reperiuntur et poematum plures collectiones et iusti fasciculi, diversi non modo generis, sed et auctorum. Unum, quod inter Arabes desideratur poematis genus, est Dramaticum. Licet enim *Casirius* adducat v. c. ad *Cod. 497.* fabulam arabicam, in qua sermonicantur quinquaginta amplius personae; tamen, si quid videmus, eiusmodi confabulatio ad ludos scenicos proprie referri non potest. In hoc libenter adstipulamur *Casiro*, talium colloquiorum conditores non multum abfuisse a scena, et si magis favissent ingenio poetarum res externae, Graecorum gloriam in condendo Dramate fortasse consecuturos fuisse. In caeteris enim poematum generibus Arabes habent non solum, sicut Graeci, auctores suos, sed et hi primum illud et genitivum, quo Latini poetae, Graecorum imitatores, carent. Nullus Poeta Arabs ex Mythologia graeca profecit, sed suae unice addictus, viam, qua incedere vellet, sibi ipsi munivit. Quod supra iam monuimus,

Casirius,

Cassium, V. Cl. qui proprie indicem scriberet librorum, in describendis eorum nudis titulis perraro acquiescisse, sed historicis et criticis observationibus multis in locis librum suum locupletasse, eoque utiliorem legentibus reddidisse: hoc praecipue valet de parte ea, quae continet recensitionem poetarum, ubi partim commemorandis rebus, quae adhuc incognitae fuerunt, partim removendis quibusdam nondum detectis erroribus, optime meretur de historia poetica Arabum, immo et Hispanorum, quorum posteriorum poetas recenset pag. 93. — 102. Pocokium, qui vetustos Arabes negat ante Muhamedi tempora poemata fecisse sex aut septem versibus longiora; et Assemanum, qui in Biblioth. Orient. T. III. p. 586. scripserat, praeter poemata septem poetarum proprie sic dictorum, (Moallacat adpellant et Modahebat;) nulla alia dari, in quibus tractarentur historia et genealogia, refellit, exemplisque, quantum satis est, contrariam utrique assertionem demonstrat. Poesin in universum tanta fuisse scribit auctoritate apud Arabes, ut maioribus eam honoribus vix Graeci extulerint aut Romani; et Asiushaeus, citante Casiro, adnotavit, si qua ex gente produceretur poeta, reliquarum gentium coetus solemniter convenisse, tantam ei felicitatem congratulantes, neque ulli sumtui aut magnificentiae pepercisse, quibus communem suam de ista re laetitiam significarent. Praeter has congratulantium voces, praemia quoque, quae poetis facta a regibus leguntur, vehementer excitarunt omni tempore ingenia; quod genus incitamenti in terris nostris fere ignoratur. Poterant fortasse hoc loco plura et utiliora a Casiro, ex tanta librorum opulentia, proferri, quam quae in animadversionibus eius frequentissimis congesta sunt; nostris certe desideris fatemur satisfactum non esse, cum videremus, diligentiam Auctoris circa externa poeseos arabicae, quae copiose describuntur, maiorem fuisse, quam circa interna, quae leviter tantum attigit. Pag. 91. reperiuntur Excerpta ex *Abi Baker Ben Abidelmolk Al-mocri, Gemmis humaniorum litterarum, et Poetarum Thesauris*.

in quibus Arabum poetae praecipui in classes describuntur, ita ut historicam eorum notitiam facili opera inde haurire possis.

Medicis, Philosophis, et Mathematicis imprimis, videtur commendandum literarum arabicarum studium. Nam non est facile graecus aut Medicus, aut Philosophus, aut Mathematicus, cuius non scripta Arabes vel integra verterint, vel Commentarius illustrarint. Praeter versiones ipsas, collegit et in Catalogo suo Casirus plurimorum, ut Porphyrii, Hippocratis, Galeni, Platonis, Aristotelis, Euclidis, et aliorum vitas, sicut descriptae eae sunt a Commentatoribus Arabicis. Quibus omnibus tamen majus etiam emolumentum accedit hoc, quod Graecorum non pauca scripta, quae huc usque pro perditis habita fuerunt, in Versionibus Arabicis adhuc supersunt: ex quibus, ut exempla habeant lectores, nobis suffecerit notasse *Apollonii Pergaei Conicorum Librum V. VI. et VIII*, quos Abrahamus Ecchellenis ex Mediceo Cod. arabico latine vertit; porro *II. III. IV. et VI. Commentarios Galeni in Hippocratis Epidem. Lib. II. item VII. et VIII.* eorundem Commentariorum in Epidem. Lib. VI. Quam gratum facturum esset Casirus non solum Medicis, sed orbi etiam litterato in universum, si, postquam tot librorum indices et notitiam nobis impertivit, iisdem edendis usum quoque ad exterarum provincias propagare, sibi que ea re immortalem apud posteros gloriam comparare velit. Paucis lubet attingere quaedam super versionibus arabicis iudicia Eruditorum, de quibus adiri potest Fabr. Bibl. gr. L. II. c. 24. antequam pergamus ad Libros, qui ad historiam naturalem pertinent. Scripserat Theophrastus Renaldotus ad Andr. Dacerium, ut de universa Arabum eruditione contemtim, ita praecipue de versionibus graecorum Auctorum arabicis, quod factae essent ex Syriacis exemplis, adeoque parum haberent fidei: qua ut obrectatione Arabes suos liberet Casirus, non modo maximorum virorum, qui multo honorificentius de iis statuere, testimonia adducit, sed et se, ait, potissimum in Ver-

Versionibus Hippocratis nihil usquam reperisse, quod non plane conveniret textis graecis. Optima Hippocratis versio arabica est Honaini Ben Isaac, viri in utraque lingua non solum versatissimi, sed Medici quoque peritissimi, ut qui labi in vertendo facile non posset.

Iam addemus pauca de Auctoribus Arabicis, qui tractant *Historiam Naturalem*. Non dubium est, quin reperiantur in iis multi, quibus publicandis orbem litteratum Casirus ut maxime sibi obstricturus sit: partim quia locis quibusdam Scripturae S. obscurioribus inde lux accendi; partim quia genio saeculi nostri oeconomico non parum nutrimenti peti inde posset. Ad priorem classem referimus v. c. *Historiam animalium* Ali Ben Mohamed Abilphat Ben Alderachem, cui titulus est: *Animalium utilitates*; quo in tractatu animalium et insectorum magna pars, additis singularum specierum adpellationibus, describitur, nec non et frequentes eorum imagines, quas Casirus laudat, adiciuntur. Huc porro pertinet Abilrihan Albiruni *Notio Gemmarum*; quantum ut naturam, colores, praestantiam, defectus, pondus etc. adcurate describeret Auctor, adeo non pepercit caris et molestis per omnem Orientem peregrinationibus, ut nunquam et viam ad thesauros regum Persarum sibi aperiret. Iam quis est qui nesciat, quantis difficultatibus adhuc laboret in sacris literis doctrina gemmarum, quam nomina earum sint obscura et ambigua, quam diversae de iis opiniones? His igitur difficultatibus, unde plus auxilii et lucis sperandum foret, quam a libro, ubi, quidquid in Oriente gemmarum unquam repertum fuit, tam diligenter descriptum est et explicitum? Ad alteram classem librorum, quos ut utiles Oeconomis commemoravimus, referendi potissimum sunt ii, quorum argumentum pertinet ad agriculturam. Horum ex adparatu non parvo Casirus *Tractatum Elm Alvam de Agricultura*, cum versione et annotationibus suis, editurum se pollicetur, polliceri saltem videtur. Quod opus, quantum

tum iudicare licet ex argumentis capitum, quae hic commemorantur, Philologis pariter ac Physicis et Oeconomis utilissimum fore speramus propterea, quod in eo conscribendo Auctor optimis Chaldaeorum, Graecorum, Romanorum, Africanorum, Arabum, et Hispanorum scriptis dicitur usus esse. Posthaec recensentur nomina Arabum omnia, qui de Agricultura aliquid scripserunt; et quum horum plerique ex Graecis et Romanis scriptoribus profecerint, eorum etiam nomina subiunguntur, quotiescunque apud Arabes occurrunt.

In Libris rarissimis, sub finem Catalogi, Casirus numerat certam quandam *Collectionem sacrorum Canonum ad usum Hispanae Ecclesiae ab anno Aerae Hisp. MLXXXVII.* quam impensis regis aliquando prelo subiectum iri spes sit. Nos optamus, (et quis est literarum amans, quin idem nobiscum optet?) ut non haec solum spes rata sit, sed et in universum divitiae Monasterii Escorialensis Arabicae, quas nunc scimus quantae sint, cum orbe erudito communicentur, ut, quorum Auctorum notitia nobis impertita est, etiam impertiarur usus. Debetur hoc officii literis, debetur etiam Auctoribus Arabicis ipsis: illis, ut, quemadmodum est utilitas, ita et studium earum proferendarum commune fiat; his, ut ne scripsisse Bibliothecae Escorialensi soli videantur. Consulendum est famae tot tantorumque virorum, qui, quod tempore apud Graecos adeo et Romanos literae neglectae iacerent, inter suos vigorem earum non solum conservarunt, sed multis modis etiam adauxerunt. Utrum, vero edendis eorum solis nominibus, librorumque titulis describendis, tantorum hominum memoriae satis fiat; utrum literis ea re magis consulatur, quam superbiae hominum procaecium, qui vel nudis librorum arreptis titulis sapere sibi inira videntur, reliqua vero omnia quae sunt in libris bona et utilia, egregie ignorant, hoc est quod dirimendum relinquimus lectorum iudicio. Certe, uti hodie res sunt, index eiusmodi librorum, qualis est *Cl. Casiri*, iactatores Arabicae doctrinae facere quamplurimos poterit,

rit, arabice doctum neminem, nisi et Auctores ipsi, quorum nomina edita habemus, proferantur in lucem.

*IO. IACOBI REISKE ANIMADVERSIONUM AD
graecos auctores VOLUMEN V. quo LIBANIUS,
ARTEMIDORUS, et CALLIMACHUS pertractantur.
Accedunt eiusdem praefatio ad sua Polybiana, et epi-
stola ad OEFFELIUM V. C. de nova editione Demo-
sthenis, item GUIL. CANTERI curae secundae
ad Aristidem.*

Lipsiae, literis Loeperiis, 1766. Alph. 2. pl. 5. octonis.

Non incognitum esse potest cuiquam, nisi qui plane alie-
nus sit a literis graecis, quo modo consilioque Cel. *Reis-*
kii scribere haec Animadversionum Volumina instituerit:
ipsique adeo nos in his Actis de superioribus egimus. Ni-
hil ergo restare nunc videtur, quam ut Scriptorum, hoc Vo-
lumine illustratorum, particulas quasdam percurramus, ut,
si quis conferre Reiskianas animadversiones cum iis velit, sta-
tim intelligat, eum nunc quoque sui similem esse. Quod
cum dicimus, doctrinam eius et ingenium dicimus, cum in-
signi assiduitate, profligataque opera hac Reiskiana ma-
gnam laboris partem agnoscimus, quo exerceri alioqui tar-
darique debuissent et lectores, et editores Libanii atque Ar-
temidori: nam in Callimacho iam ante satis elaboratum erat.
Ne tamen supervacuas iudicare Callimachias observationes
videamur, (quid enim impediat, quo minus post multos alios
quilibet sententiam dicat?) ab iis in praesenti facere initium
placet.

Agemus ergo de Hymno in Apollinem, cuius v. 14. *πρ*
καὶν primam caesariam interpretatur, quam sacrare Apollini
foliis

soliti sint, qui matrimonium inire vellent: nam τούχος ἐστὶν ἐν ἀρχαίοις θεμίδαις de iis capiendum esse, qui rem familia- rem in aedibus paternis administrarent, ἐστὶν autem *constitue- re*, non *facere*. Nobis quidem, nisi alia argumenta accesser- rint, antiquior utriusque versus interpretatio praeferenda vi- detur. Similiter dubitamus, v. 24. μάρμαρον, *terriculam* *hinc*, pro μάρμαρον poni posse, quoniam et fabula de lapide agit, et poeta tribus versibus deinceps ter eandem notionem repetit, πέτρος λίθος, μάρμαρον ad quae verba commodè refertur ἀναβάλλεται ἄλγος, non item ad μάρμαρον. Defen- ditur v. 51. ἐπιμηλάδης, *villula* seu *iudicium* μαλλῶν, nam μῆλον μαλλῶν, μαλλῶν, ab eodem fonte derivari, omnium- que esse eundem significatum, si quis originem spectet. Le- gi poterit v. 57. vel καὶ ἐπώμασε, vel καὶ τούχος δ' ἄμοσε δά- σσει. In quo ut prius concedamus; posterius, certe propter illud δ', displicet. Ultimo versu φθῆνος malit, quam φθέ- ρος, Momum enim eo amandari, ubi φθόνος, frater eius, ha- bitet; eum vero in Morbonia habitare.

In Hymno in lavacrum Palladis poterit v. 3. εὐτοκος dea vel ornata rebus omnibus, quibus opus est, dici, vel εὐάντευκος, *facilis accessu*. Quod v. 18. τῶν Ἰδῶν tentatum fuerat ab in- terpretibus, Reiskius etiam suadet τῶν αἰν' Ἰδῶν: sed, quan- tum nos meminimus, prior verbi *ita* producitur. Posito commate v. 27. post πρώτον, locum sic intelligit: Iubar solis orientis procurrat caelo; instat ergo sacrorum tempus. Et nobis semper molestus hic locus fuit, donec τὸ δ' in τῶν mu- tari posse visum est: sententia enim haec enascebatur inde a v. 23. Dea, longum cursum emens, unguentum parat, *Tum vero rubor roseus rediit. Igitur (τῶ) et nunc ungue- tum parat.* Sed posuimus nostra haec nimis commendare. Versum 45. sic constituit: Σάμαρον ὕδ' οφείρου, μὴ διαπτόσθαι σαμῆρον ὕδ' ἢ νεκρῶν *nilite urnas fluvio mergere* Ac pro- facto durior locus ita emollicuit; modo ne omissum esset il- lud *fluvio*, quamquam trahi huc e. v. 46. potest. V. 62. suspi-

suspiciatur ἢ χαίρωντας, quoniam bis positum Coroneae nomen aliquid difficultatis habet. Repetitionem v. 72-74. tribuit studio poetae, inculcantis rudioribus, non esse meridie in agris et silvis vagandum. Nobis autem videtur poeta non operose inculcare debuisse, quod omnes, rudiores praesertim, scirent crederentque, ac facturi adeo sponte essent. Nam si quid videmus, illa admonitio de meridiano silentio excusare videtur poenae acerbitatem: erat enim illa unius Tiresiae culpa, qui, quo tempore homines vulgo latitarent, vagaretur; cum dea e contrario crudelior videretur, si tum, cum facile accedere aliquis posset, ad lavacra venisset. Quae si vera sunt, non opus erat bis eandem rem dicere. Inter alia, quae de v. 82. dicuntur, et hoc notari meretur, verba, ὄμματα ἢ ἰθαλεν, verti posse, *feriit oculos, ingerit se, penetravit ut telum*. Recte: et nobis semper visum est, de reli similitudine cogitandum esse. Οἶτον ἄγειν v. 94. verti potest, *in longum producere iustum*, et pro ἰπ' superiore versu poni, ibidemque θαλοῖσιν pro λαβοῖσιν legi. Lacunam v. 136. aut sic explet: τί μᾶλλον ψεύσται, aut etiam hoc modo: πατρὸς ἔχει πᾶν γέρας.

Finiemus haec, notandis quibusdam ex Hymno in Cererem, in cuius initio ipso κατίνωσι de reditu post annuam absentiam interpretatur, et mox v. 5. ἔ pro ἄ ponit, hoc est, ἔ ἄρα. quoniam crinon siluit, vesperi, praesertim cum sexto versu de matutino tempore dicatur. Tum studium poetae, in arborum diversarum multitudine colligenda, ad v. 18. ideo praesertim reprehendit, quod nulla humana arte solum cultum fuerit: sed poetas luxuriare in hoc genere solere. Si v. 35. sublata parenthesi, ἀκίος (i. e. ἀκρίως) scribatur, ut Theocr. Id. 10, 54. τῶς Φακός procedet oratio uno tenore. V. 73. ἄτ' ἢ ξυδαίπνια suspiciatur: profecto numerose. Νῆται v. 82. vertit, *veniet ad nuptias*. Locum, multis modis tentatum, ἰξάλλετο γαστήρ, v. 89. ponendo ἰξάτο sic explicat, *consumebatur, exmanebatur ventris*: quod verbum an sic dicatur,

tur; vehementer nos quidem dubitamus, omninoque miramur, neminem interpretum animadvertisse locum Homeri Od. ε, 228, ἀνάπτος γυσεῖ, e quo hoc Callimachium fluxit.

Epigramma 39. totum hoc modo constituit, ut, versibus cum Daciera divisis, pro ἰθὺς τῆ κερασσοῦ legeret ἰχθυῖος γέρας τοι, in quo ἰχθυῖος foret ἰχθυοντούτης, idque ferri posset in poeta, qualis fuit Callimachus. Sententiam autem sic nectit: Lycæus Menoetas, clara voce numen adpellans; inquit, dedico tibi etc.

Sequitur, ut de *animadversionibus ad Libanium* dicamus, quibus maxima huius voluminis pars absolvitur. Primo orationes tantum tractavit, quæ secundo tomo Morellianae editionis, quam sequutus est, continentur, neglecto plane tomo primo. Epistolas tamen, quas etiam latinas fecit, vel alio tempore tractabit, vel seorsim edet cum versione, vel versionem saltem. Monet autem lectores Libanii, ne ex epistolis eius res Theodosiani Seculi magnopere illustrari posse existiment, quoniam fictæ sint pleraque, quippe a Sophista scriptæ: se certe damno suo intellexisse, quam parum prodessent in hoc genere. Orationi secundæ adversus Icarium, quam Coberus V. C. edere parat, Reiskius notas quasdam addet. Atque hæc visa nobis sunt e præfatione necessario indicanda. Iam nemo expectabit, ut multas orationes percurramus, et Reiskianas animadversiones hoc loco repetamus. Sufficiat quasdam attigisse, cum ne intelligi quidem vel coniecturæ, vel interpretationes possint, nisi quis tenore uno perlegat orationem, ac singulorum nexum examinet. Itaque nos quidem *Orationem pro professoribus* perlegimus, e qua quæ notata habemus, hoc loco iam posuimus. P. 86, §. editionis Morellianae ποιήσατο μαθόντες coniungit: *facturos vos fuisse, si quis modo docuisset.* Inter ὑπὲρ τῶν v. 15. ponit τοῦ, quod haud dubie necessarium est; versu autem 40. τὸ βέλτιον pro τὶ β. P. 87, 29. εἴποιτο mutat in ἔποιτο, et ad

ad v. 38. p. 89. illustrat verbum *καταδύσθαι*, quod Libanius saepe pro *αἰχύνεσθαι* posuerit, hoc modo, *velut terram subire praes pudore*: similia quaedam Libanii loca collecta sunt. P. 90, 15. dubitat, quidnam in his, *γεωργεῖτε τοὺς ἀγροὺς τῆς πόλεως ἑδὸν*, post *ἑδὸν* intelligendum sit, utrum *πάντες*, an *μόνοι*, praefert tamen prius. Sed causam non dixit, quare nequeat *ἑδὸν* *ἐπὶ πόλει*, coniungi: fortasse quia Libanius paulo post, ut de publicis agris, locutus est. Verum ne sic quidem, cum res hominibus illis nota esset, opus erat, ut *ἀγροὶ* *publici* adpellarentur, et *ἀγροὶ τῆς πόλεως* coniungeretur. Insequente pagina extrema, *τῇ ἀρετῇ ὑπέχθη δίκην* Reiskii coniectura est; Libanii verba *τῆς ἀρετῆς ὕ. δ.* Sed hic quoque nos vulgatam defenderimus. Versum 17. p. 93. duabus coniecturis illustrat, ut vel *πῦ δὲ τὸ παρὰ τῶν μαθητῶν*, omisso *τιθῆς*, legatur, vel post *τὸ δὲ παρὰ τῶν μαθητῶν* intelligatur, *ἐν ὕδινι λόγῳ ἔχεις*. Paulo post verissime monet, *ἐκ τοῦ παιδεύειν* scribendum esse: non potest enim ferri *ἐκ τῶν π.* Quamquam hoc operarum erroribus, quibus plena est Morelli editio, et quos saepe numero notavit Reiskius, adnumerari poterit. Similiter *ἐπλούτων* p. 94, 42. huc referimus, libenterque Reiskianum *ἐπλύτων* probamus. *Μαντιομήνης* p. 95, 26. Ciceroniano verbo *supplicantes* interpretatur. Occasione verbi *νῦν* p. 96, 38. admonitus ostendit, non multo post Libanii reditum in patriam habitam videri hanc orationem, cum Zenobius, in cuius locum Libanius successit, exterus fuerit.

Licet his quaedam ex oratione in Aeschinem adiungere. Probata marginis lectione, *δικαιοτάτα*, p. 682, 19. locum omnino sic constituit: *ἡμεῖς δὲ καὶ τὰ πάντων δικαιοτάτα λέγοντι πανταχόθεν ἀπάντα ἂν θύμβου*, quae correctio, quo facilior est, et ad sensum commodum dilucidior, eo magis nobis placuit. P. 683, 11. *εἰδ'* pro *εὐδ'* ponendum censet, et, quoniam duobus versibus post deest aliquid, addendum post *ἐντεῦθεν*, *ἀποδιδράσκων ἐπιχειρεῖ*. Ibidem, versu trigesimo, cum
necessa-

necessario intelligendum aliquid sit, visa est Reiskio sententia ipsa hoc postulare, καὶ τῆ πύλαι, καὶ τῆ ἕω. Omnino vero, ut hoc obiter monemus, nullus facile locus asterisco notatus est, quem non aliquo saltem modo tentare Reiskius. De quibus additamentis est cuilibet liberum relinquitur iudicium, et suus sensus; illud tamen omnimodi haec res habet, quod docti cuiusdam viri sententia de multis loco intelligitur, quam ferre non nisi eius est, qui multarum sit literarum, ac diuturnae in hoc genere exercitationis. Si eadem pagina v. 31. γραφόντων servetur, eos dixit Libanius, qui plebiscita scribunt: possit tamen γραφόντων (crimina) legi, hoc sensu: pro magnitudine mercedis, quam iudices sperant, absolvitur aut damnatur reus. Forent ergo, si mentem Reiskii recte cepimus, τὰ γραφόντα hoc loco, quae Demosthenes centies τὰ κατηγορημάτων dixit. Mox γραφεῖς τυμπάνων interpretatur, qui tympana pingunt, quoniam frater Aeschinis pictor fuerit: quod tamen argumentum nobis non sufficere videtur. P. 684, 9. post μάλλον δὲ μακρὸν ἀνωθεν sententiam finit; sensum enim esse: *altius rem ordiri lubet*. Ibidem v. 24. sqq. necit orationem hoc modo: Θεταλὲς ἄστο (sicetο δ') διέσθαι, κρινεῖν, τινάζειν; et profecto, si progrediarē, sequentia futura necessariam reddere videntur hanc animadversionem. Neque tamen vellemus, v. 31. potius ἐπισησίοντα, *ingerentem se*, quam ἐπισησίοντα, a Reiskio probari, cum illud ἐπισησίοντα Demosthenis verbum sit, cuius generis multa in hac oratione occurrunt: quaiηρησὶ non plane reiectum est ἐπισησίοντα. P. 685, 29. sqq. sic legi poterunt: οἱ δὲ, τῶ τῆς πύλαι ἤθαι τὸν Πυλαργέων κρινάντες, μάτην, ἔφασκεν, ὅτεσ ἀπτεται τῆς — Sic δὲ Φίλιππος, e nota marginis δ' Φίλιππος, hoc est, δηλονότι Φίλιππος, illatum in textum, eiicitur rursus a Reiskio. P. 689, 19. sic adiuvatur coniectura: καὶ φων (δατ γὰρ ἀποστ) καὶ ἀδελφὸν ἔχον β. τ. π. Mox v. 39. οὐδ' οὕτως ἀν ἤττον, ἐφ' οἷς ἠδυνάμεθα, ἐργησόμεν. P. 693, 15. post τριήρης ἵπλαι (nam hoc vult pro οὐπλαι) punctum posuit, cum ἐκαλεῖσθαι δευτέρα, omisso ἔγιντο, vel παρεῖλθεν, vel simili verbo.

Sed

Sed non patitur exiguum spatium ad Volumina hoc tradendum nobis concessi, ut plura simili modo repetamus, praesertim cum alia restent. Sequuntur enim *Guiljelmi Canteri* animadversiones ad Aristidem, quas ut margini editionis Iuntinae adscriptas, acceptasque a Cel. Burmanno, descripserat Cl. Abreschius, ita Reiskius eas huc animadversionum Volumini a p. 585. ad 624. inseruit.

Inest etiam praefatio Reiskii ad sua Polybiana. Eius prior pars iudicat in utramque partem de Polybio, et non nullas sat graves eius vituperationes continet, in quibus pag. 766. et haec occurrit: non ubique a Polybio verum expectandum esse, non quo sensus veri aut rectae voluntas ei defuerit, sed quod beneficiis, amicitis, adpositisque vigiliis saepe numero fuerit impeditus. Etiam Livium, quo locum eum Polybio confert (p. 768), vehementer deprimit. Posterior pars praefationis Polybiani textus historiam continet, et copiose scriptam illam, et diligenter. Cum vero non nisi nomina et numeros transferre ex illa omni disputatione in hunc locum possemus, dabitur haud dubie nobis, ut ab hac tenuitate abstinamus. De Urfino, Casaubono, Valesio, et Gronovio, satis explicatam reperient lectores Reiskii sententiam. Gronovii quidem operam, in hoc Scriptore collocatam, tantopere probat, ut, quicquid ab eo ad Scriptores graecos illustrandos usquam profectum sit, id secundum Polybianis videatur.

Ad calcem Voluminis exstat epistola ad Oeffelium, de nova Demosthenis editione, quam Cel. Reiskius parat. Hic nos vehementer optamus, ut, cum nuper admodum sententiam omnem et consilium editionis instituendae aperuerit Reiskius, quam multi ei consingant, qui nomina emtionis profiteantur: est enim valde optabile, ut tot copiis instructus editor, isque laboriosissimus ac indefessus, permultos ad emendum alliciat, et vel hunc laboris fructum ferat.

felio autem potissimum scripsit, quoniam per eum edicentem Demosthenis Bavaricum nactus est, e quo in editionem ipsam multa bona derivabuntur.

DECRETA ROMANORUM PRO IUDAEIS FACTA,
e Iosepho collecta, et commentario historico-grammatico-critico illustrata. Adiunctum est Decretum Atheniense, pro Hyrcano etc. illustratum a IO. TOB. KREBSIO etc.

Lipf. 1768. 8vo, 1 Alph. 7 pl.

Si quis putet, *Krebsium* V. Cl. ea de causa haec Decreta tam copioso commentario illustrasse, quod sine tanta observationum mole ea plane non possint a quoquam intelligi, haud dubie multum ea in re a vero aberraverit; siquidem vel in decimam huius voluminis partem facile poterat compingi, quidquid ad intelligentiam et rerum, h. e. antiquitatum, et verborum, maxime est necessarium. Nunc longe aliam, ac satis gravem causam, probe scimus, edendi tam ampli commentarii sum habuisse. Nam cum a multis inde annis, veretur in munere eo, quod maxima sui parte (totum, nec velimus, nec possumus quidem, salva veritate dicere,) continetur observatione grammatica et historica rerum et verborum, non exiguam, e tam diuturna scriptorum veterum lectione et tractatione, talium observationum multitudinem, necesse est, virum tam assiduum congestisse. Quas quia videbat iuventuti sibi concredita fructum aliquem afferre posse, praesertim cum libralii maiores, e quibus eas congestit, in iuvenum manus propter raritatem, aut caritatem venire non facile soleant; ideo eas in unum volumen veluti coadiciendas, et per hanc Decretorum occasionem cum orbe erudito communicandas, recte censuit. Unde etiam saepius in
 hoc

hoc libro reperias longioris excursus, disputationes, de notationibus verborum, et antiquitatibus vel Graecis, vel Latinis, admodum eruditas, et id genus alia. Neque vero illud reprehendendum est in hoc opere, quod multa ab aliis iam dicta, auctor et iterum dixerit, ab aliis iam illustrata iterum illustraverit. Nam, ut taceamus, multa etiam inesse, quae primus ille observaverit, et ipse se facis aliquot locis, adversus hanc reprehensionem defendit, et ea est adhuc multorum nostrorum hominibus vel caecitas, vel pertinacia, ut, quantum centies Grammatici aliquid de huius vel illius verbi usu monstrint, tamen non desinant ea interpretari recepto more, h. e. vel e dictionario, vel e systematibus. Quod maxime evenire solet in tractatione librorum sacrorum N. T. Unde magnas, vel eo nomine, gratias auctori V. Cl. agimus, quod haud sperendam Commentarii sui partem voluit esse observationes eas, quibus N. T. locis vexatis vel male intellectis, (Evangeliorum maxime et Actuum,) novam et insignem lucem affunderet, et b. Wolfi Curas, ubi ille vel erraret, vel certe cacuerat, suppleret, atque emendaret.

Continetur autem parte priori et maiori voluminis Decreta Romanorum in favorem Iudaeorum, partim a Senatu, partim a Julio Caesare, facta, et apud Iosephum in Antiquitatibus passim obvia, parte, verò altera et minori Decretum Atheniensium pro Hyrcano, Pontifice M. Alexandri regis et Alexandriae filio, Aristobuli fratre, quo corona aurea, et statua aenea, in templo Demetrii et Charitum ei decreta est. In his illustrandis versatus est Vir Cl. primum sic, ut ea decreta, quae in opere Iosephi perperam transmissa a librariis essent, suis locis restitueret, deinde unum decreti cuiusque ex historia erueret, ac difficultates chronologicas, quoad fieri posset, tolleret, tum singula verba, si opus esset, grammaticè explanaret, versionem latinam vulgarem corrigeret, lecturas examinaret, res denique ipsas ex antiquitate Iudaica, Graeca, et Romana, satis copiose illustraret.

ret: Sic v. e. et decreta, quae posuit sub n. V. et VII. utraque, firmis argumentis docuit, ineptis locis posita, et posterius in prioris, prius autem in multo superiore locum Iosephi, coniciendum esse. Quod ad observationes grammaticas, eas attinet, quae maximam voluminis partem conficiant, inter eas multae sunt, uti diximus, ab aliis iam occupatae, sed tamen etiam haud paucae, quas non metnimus, alibi, vel accuratius, vel copiosius confirmatas legere. Huc referimus p. 22. et sqq. disputationem de verbo *κατασκευασθαι*, eiusque vario usu; p. 188 sqq. de quadruplici notione *Imperatoris*, (*αὐτοκρατορῶν*) apud Romanos, quae interdum a recensionibus perperam confunditur; p. 386 sqq. de usu verbi *κατασκευασθαι*, ubi simul locus Matth. XI, 1. bene explicatur, et illustratur; et alias. In decreto Atheniensium late et erudite de universa reip. Atheniensis forma, de Tribubus, Prytanibus, Strategis, Proedris, Epistatis etc. disseruit, quae loca, plurimum studiosos adulescentes averit attentè cognovisse. Interdum etiam refutationes aliorum immittebat, modestas illas et veras, Saliani v. c. passim, Sigonii autem n. VI, qui in libris de rep. Hebraeorum scripserat, *Judaeam a Pompeio in provinciae formam redactam, et ei Ascalonitiqua procuratorem impositum esse*. Hunc viri, alioqui doctissimi, errorem, erudite pariter ac modeste arguit et corrigit p. 150 sqq. qui locus est lectu dignissimus. Denique etiam in componendis locis, quae pugnae invicem videntur subinde, elaboravit; nec infelix in tam lubrico negotio, in quo vel doctissimi tam saepe verum non cernunt, videtur fuisse. Eius rei exemplum insignè reperimus n. VI. p. 142 sqq. ubi difficultatem chronologicam de regno Myrcani, et Artabuli, fratrum, nostro quidem iudicio, dexterime sustulit.

Sed sunt tamen pauca quaestiones in hoc libro, de quibus nobis monendum videtur; quae, etsi non magni momenti sunt, tamen, cum bona Krebsii doctissimi venia, indicabimus. — P. 12. ad conciliandum cum sua de anno Decreti senten-

sententia Librarii I. Maccabaeorum, sancit canonem hunc: „Scilicet in uniuersum hoc tenendum, et in veteribus historicis probe observandum est, eos non semper eo temporis ordine, quo quid gestum sit, tradere, sed saepe etiam res, etsi temporibus diuersas, ob materiae scribendi similitudinem, una narratione et, quilo quasi coniungere.“ Si hic canon verus esset, quid fieret de officio boni historici, cui praecipua semper lex esse debet, ut ordinem temporum conseruet? (v. Cic. de Or. L. II. c. 15.) Itaque si nos scripsissemus, adiecissimus haec: nisi ex instituto aliquam rem cum causis et eventibus suis omnibus narrent; nam tum digestis, ut annia, ita et anni ac menses exigendi sunt. Tum demum non in uniuersum modo verus canon futurus erit, sed etiam sententiam Viri Cl. confirmaturus. — P. 66. habet canonem Grammaticum, quem sic expressit: „Elegans est τὴν δια, cum Substantiuo usus, quo Substantiuum ponitur pro illo verbo, cuius significationem Substantiuum cognatum, a praepositione restituit, habet, adeo, ut Substantiuum illud, una cum praepositione, resoluedum sit in uerbum cognatum, et Substantiuo significatione affine.“ Haec quanquam uerissima sunt, tamen haud dubie hic nimis uerborum est, ut etiam ipsa canonis intelligentia his impediatur. Quanto breuius et luculentius Vir doctissimus dixisset: Elegans est τὴν δια cum Substantiuo usus, quo utrumque ponitur pro uerbo cognatae significationis, addito alio uerbo, quod motum aut statum aliquem indicat, v. c. ἔστη, ἵστη, ἵστα, ἵσταται etc. Imo uero etiam accuratior ista adiectione canon fieret. Nam ex illa bene longa Viri Cl. descriptione nihil aliud efficitur, quam v. c. pro Φυλακιστάτου poni δια Φυλακῆς, quod non sufficere, ex ipsis exemplis ad eum commemoratis apparet. Debet enim accedere uerbum aliud, motum aut statum indicans, ut ἔστη, ἵστη, et similia. — P. 148. num. VI. (quem supra iam aliquoties citauimus, et qui optimam narrationem de statu Iudaeorum inde a Iohanne Hyrcano ad natum Christum complectitur,) dicit, in expugnatione Hierosolymae, per Pompeium sexagesimo A. C. N. anno facta, uaticinium morientis

Iacobi (Gen. XLIX, 10.) initium eventus habuisse. In quo liceat nobis ab eius sententia discedere. Etenim credimus, vim eius vaticinii omnem, quam historica hac interpretatione voluit ostendere, ea ipsa maxime everti. Nam cum verba vaticinii sint: „Non recedet sceptrum — donec venerit Schilo.“ Futuram autem Hebraicum, quoniam unum est, exprimat omnia Futura, etiam Futuro Perfecta; sequitur, ut, cum sceptrum recessit, certe *incipit* recedere, (ut placet Viro Cl.) Schilo s. Messias iam adfuerit, vel certe adhuc adfit. Qui profecto ne venerat quidem tum, cum Hierosolyma a Pompeio caperetur. Sensisse quidem videtur Vir Cl. hanc difficultatem, unde p. 150. tres gradus seu periodos eventus vaticinii Iacobi finxit: primam, quam diximus; alteram, cum Iudaea, expulso Archelao, provincia facta est; tertiam, cum tota resp. a Tito everfa fuit. Sed, ut taceamus, repugnans aliquid esse in *initio eventus*, eventus enim semper *evenit*, nunquam *incipit*; etiam hoc libere dicemus, nunquam nobis hanc, quam Vir. Cl. h. l. sequitur, vaticiniorum explicandorum rationem placuisse, quoniam induxit illud genus vaticiniorum, quae *successiva* vulgo appellantur, et quae semper nobis suspecta sunt; faciunt enim interpretationem incertam, et verba divina exponunt libidini firmandarum hypotheseum. Nos unum semper cuiusque vaticinii eventum, tanquam plenum, esse existimamus, nec successivum statuendum, nisi verba ipsius vaticinii aperte successivum indicent. Imo ne tum quidem *successivum* vere dici amplius potest, sed potius dicendum, tot esse vaticinia minora et singula, in quot partes seu distinctiones minores temporum verba totius vaticinii maioris dissolvi possunt. Quare etiam h. l. unum tantum, et plenum vaticinii Iacobi eventum, putamus fuisse, everfionem urbis ac totius reip. Iudaicae per Treum Vespasianum. Haec monuimus, non tam propter Krebium V. Cl. quam propter eos, qui nostra aetate vaticiniis successivis nimium indulgent. — P. 268. in verbis Decreti Iuliani: *ὅσα το μὲν ταῦτα ἔρχον, καὶ ἐνεμῶσαν,*

αὐτῶν, pro μετὰ ταῦτα ἔρχαν, legendum coniecit: διακατέσχον, quod μετὰ ταῦτα sensum commodum non habeat. Statim autem interpretationem Ernestii nostri adiungit, qui nihil mutandum censeat, sed μετὰ ταῦτα reddat: *inde ab hac societate s. ab hoc decreto*. Nos quidem interpretatione Ernestiana nihil planius et melius vidimus, adeoque miramur, cur suam coniecturam Vir doctissimus non statim ipse reiecerit? — P. 327 sqq. Vir Cl. valde laborat, quale discrimen fuerit inter ἀρχοντας et στρατηγοίς, quorum mentionem fecit Lucas Act. XVI, 19. 20. sed, ut nobis videtur, sine necessitate. Nos quidem sine dubitatione cum Grotio credimus, nullum discrimen hic esse, sed ἀρχοντας et στρατηγοίς plane eosdem fuisse. Notum est omnibus, vocabulum ἀρχοντας latissimae significationis esse, et quamcunque in alios potestatem externam denotare. Itaque Lucas v. 19. posuit verbum generale ἀρχοντας, magistratum, v. 20. autem definitius dixit, quem magistratum intelligat, nempe στρατηγοίς, Praetores, seu, quocunque nomine eos appellare libuerit. Et quotasquisque bonus Scriptor non idem centies facit, ut diversis locis, primum παχολῶς, deinde ἀκριβῶς loquatur? Itaque non opus erat tam molesta disquisitione alicuius discriminis, nec querelis de silentio veterum, quas Vir Cl. ibi movit.

Haec sunt, quae pace Krebsii, Viri doctissimi, monere volumus, non causis vilibus aut impuris, sed sincero veritatis studio, et humanissimis viri per totum librum invitationibus inducti; quapropter nec putamus eum haec in deteriorem partem accepturum esse. Ac lubenter fateamur, praeter ceteras libri virtutes permagnas, mirifice nobis placuisse modestiam viri insignem in proponendis coniecturis, etiam felicissimis; quae rara ut plurimum virtus est apud Grammaticos. Sed tanto maiori laude dignus est, et rogandus, ut, cum primum fieri possit, Wolsium suum, maiori ex parte supplementum atque emendatum, in publicum prodire iubeat, atque inde plurimis N. T. locis non contemnendam lucem accendat.

dat. — Appendicis loco aliquot spatiosa typographi indicabimus, quae tirones in errorem forte inducere possint: P. 142. l. 11. est: A. V. C. DLXXXIV. pro DCLXXXIV, ibidem l. 19. A. V. C. DXC. pro DCXC. Pag. 284. C. IUL. CAESAR — OVANS — EX MONTE LIBANO pro ALBANO. Sed haec nullius momenti sunt.

*DISSERTATIO HISTORICO ECCLESIASTICA,
de statu praesenti Ecclesiae graecae in Dalmatia, quae
ritum Slavo Servicum sequitur, Auctore M. IO. FRI-
DERICO LE BRET, Philosophiae Lectore,
Academiarum Roboretanae et Florenti-
nae Membro.*

Stuttgartiae, typis Christoph. Godofr. Metzleri,
in 4to, pl. 6.

Haec dissertatio, quam proponimus, ab Auctore, Viro clarissimo, famaue doctrinae, et multarum, in Italia potissimum, peregrinationum, celebri, post reditum ex itinere Italico conscripta, et rerum novitate, et gravitate argumentorum, sese nobis mirifice commendavit. Repere- rat amicos, qui, ut quae scriberet certa essent, libros ineditos ei multos suppeditarent: inter hos *Excell. Viri, Francisci* * * * Iudicium *de statu ecclesiastico Graecorum in Dalmatia*, primum locum tenet. Igitur historiam hanc conscribere coepit, et multa notatu omnino digna protulit. Nostrum est, quid hac commentatione Vir doctissimus praestiterit, curatius indicare. Praemittit observationem, de politica Graecae Nationis facie, qua quidem docuit, ad eam Dalmatiam proprie sic dictam, et regiones Albaniae, scepro Veneto subiectas, referendas esse. Ratione reddita de amplitudine Nationis, et indole,
Tem-

Templorum, Monasteriorum, Clericorum denique, in Dalmatiae et Albaniae territorio, numerum supputavit, miseramque conditionem litterarum inter Clericos descripsit, qua factum sit, ut rarissime ex cathedra sacra orationes audirentur, aut iuventutis ingenia examinando exercerentur. Praeterea Simoniae vitio, imperandi libidine, et rixarum cupiditate illos infectos esse ostendit, unde cum romanae ecclesiae clero similitates perpetuas alant.

Breviter his commemoratis, Auct. antiqua huius ecclesiae fata recensuit, docens, ante bellum Cyprium A. 1570. aliud liberum religionis exercitium nullum obtinuisse, praeter solum ecclesiae latinae ritum. Deinde Venetos Graecis facultatem tria templa exstruendi, *Sebenici* nempe, *Inderae*, et *Lesupe*, eo quidem consilio, ut ad modum graecorum orientaliu[m] sacra facerent, concessisse: quibus et alia deinceps addita sunt. Quo quidem tempore similitates inter graecos et Latinos non tantae fuerunt, quantae nunc sunt; quid quod quibusdam locis simultaneum religionis exercitium habuere. Venetorum tamen clementiae tribuenda est propagatio graeci cultus divini in Dalmatia et Albania, quae maiora adhuc incrementa cepit, facultate A. 1718. fervente bello Turcico Scanderiensi graeco Episcopo data, quippe cui plenaria iurisdictio, in provincia recentissime occupata, et adhuc occupanda, una cum potestate templa nova erigendi, collapsa restaurandi, concessa est. Infelix autem eum Hungaria bellum, quo graecorum aliorumque populorum res male cesserunt, illos dominationi Turcarum subiecit. Tunc Bulgari ultro se graecia, cum Patriarcha Constantinopolitano unitis, adiunxerunt; quorum exemplum et Slavi, Dalmatiam incolentes, secuti, Constantinopolim missis legatis, in graecorum disionem transire, et sacra Christianorum se amplecti, natiarunt. Imperatores, etiam Germani, ex Austriacorum Archiducum familia, ritum graecum singulari exceperunt benevolentia, ad quo ut res ecclesiasticas Slavo-Servicis inspectioni et directioni

Episcopi Pechensis delegaverint, qui non solum titulum *Patriarchae Serviae, Bulgariae, totiusque Illyrici* sibi vindicavit, verum etiam rei ecclesiasticae Graecorum in Veneto territorio sese ingerere non dubitavit. Latini contra Episcopi graecos hos ferre recusarunt, nisi essent *Λατίνους*; altius igitur ius suum repetendo, motibus variis ansam praebuere, quorum causas Auct. bene narrat. His deinceps sedandis Veneti graecis caput, quod Pontifici Romano nulla ratione subordinatum esset, praefecerunt, cui vices Patriarchae Constantinopolitani mandarentur, titulusque *Archiepiscopi Philadelphiae, sive Exarchae*, tribueretur. In Dalmatia idcirco Episcopi, vel Patriarchae Pechensi, vel Patriarchae Constantinopolitano subordinati sunt. At eodem quoque tempore Graecos in Illyrico, quos olim benevole exceperant Latini, vel vi, vel fraude, sibi subiicere tentaverunt. Verum enim vero Graeci de iniuria conquesti, a supremo Tribunali impetrarunt, ut Illyricis populis *Archiepiscopus contribulis* concederetur. Iam igitur Auctor demonstrat, vias, quibus Latini Graecorum libertatem infringere conati sunt, Systemati hierarchico in Graeciae provinciis ultramarinis, adversus: nam in eadem civitate duos morari Episcopos, alterum Latinum, alterum Graecum, summa rerum tranquillitate, non est insolens; in compluribus ecclesiis ius summum circa sacra penes Praetorem, administratio vero sacramentorum et rei sacrae curae Clericorum commissa est. Uberius declaravit Auct. iniustitiam Episcoporum Latinorum, ecclesiasticam in Illyrico potestatem sibi arrogantium, ex comparatione cum graecis Aultriaci imperio subiectis. Distinxit quoque gentes ritui Serviano addictas in *Gracos unitos, ac toleratos*, differuitque de diversis eos gubernandi modis; denique et de graecis in regionibus Regis Neapolitani suum addidit iudicium.

Pergit errores commemorare, quorum causa Graeci Episcopia Latinis in iudicium vocentur. Nimirum *Donatistarum, Anabaptistarum, Albigensum, Origenistarum, Iconoclastarum, et Photiano-*

tionum haeresibus, illos quam maxime favere clamitant, qua de re ita egit Auctor, ut statu controversiae dilucide explicato, ingenue suum interponeret iudicium.

De ritu liturgico docet, graecos, tum Constantinopolitano, tum Servico seu Illyrico more viventes, Sacram eodem quasi modo distribuere, secuti per totum annum Liturgiam *S. Ioh. Chrysostomi*, exceptis vigilia Natalis, Epiphaniae, Quadragesimae Dominicis, festo Palmarum excluso, nec non S. Septimanae feria quinta et sexta, et S. Basilii festo die, quibus omnibus *Liturgia Basilii* adhibetur.

Refutantur, quantum fieri potuit, ab Auct. alia crimina graecis obiecta, v. c. Simoniae, ignorantiae, vitaeque dissolutae, quae quidem ex parte negavit, ex parte concessit. Profitetur enim, se vidisse sacerdotes litteris operam egregie navantes, inorumque bonorum studiosos. Loquitur dein de Seminario *Thomae Margini* A. 1644. pro Graecis fundato, ubi undecim iuvenes sub direttore instruuntur; provocat item ad *Patuae Encyclopaediam*, ex Patribus in usum iuvenum collectam, et ad alia, quibus eiusmodi criminationes diluantur.

Ceterum, ait Auctor, Episcopos Latinos hoc valde offendit, quod Parochi graeci fidei professionem ex formula Pii IV, quam integram ex *Enchiridio Graecorum* a Quirino edito A. 1717. inseruit, recusent; ex quo colligit, et reliquas Bullas, quibus Papa Conciliis superior dicitur, ab ipsis reprobari. Laudat tandem legem a decemviris Venetis A. 1751. latam, qua orthodoxiam in Graecis ita probandam, ut in Symbolum Apostolicum, et fidei definitionem Concilii Florentini, iurent, praecipitur, quod Graeci non recusant. Sunt autem isti a Romana de propaganda fide Congregatione, in hoc potissimum laesi, quod eos non minus ac Protestantes, in epistolis ad Episcopos missis, tanquam haereticos traducunt, qui carceribus, catenis, ac exilio sunt ad reverentiam Episcopo Romano praestandam

adigendi. Quare, ne hic consilia violenta de eiciendis Calogeris, et introducendis Francisci aut Loiolae sodalibus exsequatur, aut alio modo libertas conscientiae Graecorum turbetur, isti imperio Turcico lubentius subsunt, quam pontificio.

Neque tamen motus ob doctrinam Protestantium, a primis reformationis principis, his quoque in terris defuisse, exemplo *Vergerii* ad nos accedentis, et *M. Ant. de Dominis* ad Anglicanos migrantis, A. probavit, narrando et persecutiones (*Yrili Lucaris* in Illyrico, quarum plurimas a curia Romana perfectas esse, ex instructione Archiepiscopo *Amatae*, Spadae dicto, data declaravit. Descripsit eas Thom. Sinit, Anglus.

Ad Archiepiscopum Philadelphiae contribulem Graecorum quod attinet, illum summa cum hilaritate a populo exceptum fuisse legimus, quamquam Curia Romana multa propterea moneret. Obiter commemoravit A. exempla Leonis X. et Pauli III. graecos a Latinorum iurisdictione eximentium, itidemque Clementis VII. qui Bulla peculiari graecos in fermentato Missam celebrare, alia forma baptizare, S. Coenam sub utraque administrare, permisit. Proposuerat olim Bened. XIV. P. M. Senatui Veneto medelam, sanandis malis, quae Graecos in Dalmatia vexent, aptissimum. Sed erat malis peior medela: 1) ut libri liturgici, catechetici, dogmatici, dono Petri I. et successorum, populis hisce missi, ex omnibus illis provinciis eiciantur, substitutis aliis, iisque purgatis, in Seminario Patavino imprimendis: 2) Ut in Seminario Illyrico Iaderensi Clerus Secularis Slavus educetur, ex quo Seminario Parochi essent eligendi. 3) Ut auxilia praestent Veneti in uniendo Episcopo Montis Nigri cum ecclesiae sinu, qui iura Leoni IV. tribuat, et omnem unionem cum ecclesia Romana respuat.

Coronidis loco librorum mentio facta est, quos Collegium de propaganda fide inter Illyricos dispergere solet; accessit Breve recentissimum in hac causa a Papa Clemente XIII. ad Venetos missum, quod tamen non videtur, a veteri opinione,

nione, eaque iusta et aequissima, sapientissimam rempublicam istam avertisse. — Dabimus propediem libellum *Hretii* V. Cl. alium, qui aequè pertinet ad Ecclesiae Graecae, apud Venetos inprimis, historiam; de qua in universum, nuper admodum, *Tomo tertio* Historiae Neapolitanae *Giannoni*, quam ipse vertit ex Italico germanice, praecclare meruit ultima praefationis parte, quae tota, inde a Castrigiarum vicissitudinibus, historiae graecae Ecclesiae in Italia dicata est. Legimus eam cum voluptate, etiam propterea, quod vix alio loco reperias, quae ibi e documentis authenticis, fideque dignissimis, pulcherrimo ordine, et facunde narrata sunt.

VERA PATREM PATRIAE, ANNUENTE DIVINA clementia, sanum et longaezum praestandi, methodus, ex praeceptis omnis aevi diaeteticis, atque recentissimis artis salutaris principiis, deducta a BALTHASARE LUDOVICO TRALLES, Medico Vratislaviensi etc.

Vratislaviae, 1767. in 4to, 2 Alph. et 6 plagg.

Eramus adhuc in eo errore, si quidem error est, unam esse eandemque Medicorum, sanos atque longaevos praestandi homines promiscue omnes, methodum: sed cum libri huius titulum, quem supra posuimus, legeremus, tum demum intelleximus, Patris Patriae sanitati longe alia ratione prospiciendum esse videri. En igitur opus titulo suo egregie respondens, prolixum et ingens, quod Auctor ipse sub finem *Meteorologicum* appellat, inque duo capita divisit: quorum prius, prooemii loco, sanitatis curam Regi Poloniae commendat, alterum de aeris ad sanitatem usu salutari et noxio praecipit. Flores historicos et philologicos Auctor abunde medicae doctrinae interspergit, suntque in hoc libro propo-

sita bene multa, quae nemo sub hoc titulo facile quaesiverit; e quorum numero proponimus quedam, ut fidei dictis faciamus.

Principes, ut homines reliqui omnes, nascuntur, aegrotant, moriuntur; attamen ab Archiatris, a plurimis morbis, bonorum consiliorum interventu, praestari immunes possunt: haec est occasio huius Operis. Sanitas maximum bonum est, valetudinarius status taediosus, et quidem hominibus promiscue omnibus: maxime tamen interest reipublicae, Patrem Patriae sanum esse. Rex, qui nunc est, videtur sanus ex Physiognomia, saepius fallente, ac saepe tamen verum indicante. Regis Poloniarum imago ab A. talis describitur: „iuxta ipsi statura, color faciei candidus, grato rubore in genis suffunditur, nasus aquilinus, oculi nigri et grandes, nigri capilli, in omni gestu gravitas et maiestas.“ Commendat tandem A. Regi, per propriam cognitionem et tutelam sui, studium fanaticis; atque per eam occasionem plura scripta hac de re allegat, inter quae caput erigit *Kamazzini* tractatus, de Principum valetudine tuenda. Sed, quid, quaesumus, haec huc pertinebant?

Alterum caput initio topographicum est, nam de situ Varaviae loquitur. Posita est urbs ea in elevatione poli secundum longitudinem intra 44. et 45. gradum, secundum latitudinem cum Vratislavia intra eundem. Circumcirca planities, quam pererrat Vistula, versus septentrionem saltus densus, umbrosus. Inde aeris naturam disquirit. Aer est elasticus et gravis, in athmosphera impurus, omnia corpora penetrat, etiam humanum, in quod per deglutationem, inspirationem, et cutim, fertur; prius, variolarum contagium, opium, etc. alterum volacilium vaporum ad pulmones ductorum efficacia, tertium balnea, cantharides, et Mercurius, confirmant. Ad sanitatem requiritur aer nulla qualitate prava imbutus, nec densitate, nec raritate peccans; possibilissima salubris est montanus. Sed nullibi invenitur aer
omni-

omnibus numeris bonus et purus. Aer Varfaviensis natus frigidior est, attamen salubris, licet vulneribus infestus, ut urbanus vero laborat suis vitiis, ob copiam hominum, fumos, et altas domus, perflatum non permittentes, magis inquinatur immunditiis in plateis fluctuantibus, inundationibus Vistulae, et paludibus vicinis, quas arena Vistulae exsiccare suadet. Arx regia ponitur ad suburbium Cracoviense, in quo fossae putridum aerem exhalantes, latus arcis aliud Vistulam, spurcitiis totius urbis refertam, latus septentrionale sylvam Bielaneensem paludosam, (Cl. Auctoris consilio comburendam, aut saltem exsiccendam,) introitus urbem spectat. Mutet itaque Rex saepius sedem, et in locis altioribus vitam degat, e. g. in praedio Ujazdov; caveat tamen sibi a conclavibus ibi recens dealbatis, nonnunquam et migret per provincias. Porro aerem Varfaviensem impurum faciunt fimeta, et sepulchra; pessimus enim mos est sepelire cadavera in urbe, tristes effectibus. Bin A. affert exempla: alterum de feminis duabus sepulchro recenti insidentibus, brevi mortuis, alterum de femina coemeterium praetervecta, quae vento leni excitato, a putridis effluviis nausea et aliis symptomatibus correpta, intra quatrimum perit. Nec minus depravant aerem officinae plures male olentes, inde ex urbe abigendi Iudaei, Coriarii, Pelliones, Fullones, Saponarii etc. porro ellychnia candelarum ex sebo confectarum. Profert tandem fodinas aerem inquinantes, huc non pertinentes, quippe longe ab urbe remotas. Hae qualitates aeri Varfaviensi non sunt propriae, natus enim frigidus est, partim ob planitiem, partim ob montes Tatros et Carpathios, accessum Austri haud permittentes. Iam ad considerationem frigoris, eius effectuum, et remedium contra aerem frigidum, accedit. Frigoris definitio latet, effectus edit insignes, corpori nostro frigus praeternaturale, siccum roborat idem, et saepe a corpore vincitur; multum autem ad frigus ferendum facit connata firmitas, et consuetudo. Contra acrius non omnibus; contra intensissimum

nemini-

nemini sese meti licet. Gradus frigoris tolerabilis determinatur a cuiuslibet individui dispositione; salubris videtur, qui calorem praeternaturalem ad naturalem reducit. Ob molliorem nervorum habitum caveat sibi Rex a frigore paulo acriori. A frigore multi oriuntur morbi, potissimum rheumaticus, arthriticus, podagra, qui potissimum inducuntur ab equitatione in frigore. Contra frigus praesidia sunt plurima. Potus paululum spirituosus, quo excitentur vires; motus muscularis, cavendum enim aequae a quiete, quam a motu rapidissimo, et a nimia unctione in trahis; vestes, potissimum pelles. Bene vero tegantur pedes, pectus admodum manu ori, et caput. Transgreditur A. ad balnea frigida, quae roborare dicuntur: ipse hoc putat ad tempus fieri tantum, constringendo fibras, cum tamen cutaneae tantum stringantur, cordi nimiae fiant resistentiae, et a copia humorum interiora distendantur, igitur caute adhibenda, potius loco eorum alimenta et medicamenta exhibenda esse. Nec minus tueretur contra frigus caminus, quod et verulae sciunt, sit tamen calor moderatus, et caveatur a fumo carbonum; adhibendus est et potus calidus. Sed non tantum frigidus, verum et humidus est aer Varsoviensis, magis noxius, hinc aer vespertinus et nocturnus vitandus; quo vero a noxiis caveatur, eligatur conclave altum, spargatur in pavimento arena bene sicca, cum sale decrepitate mixta, et pulvis siccus vegetabilium, instituantur suffitus, et ignis in caucio accendatur ex ligno resinoso. Aestate aer Varsoviensis, nullo flante vento, intense calidus est. Calor ab igne elementari in corpus humanum ab aethere oritur, qui pro diversis subiectis diverse tolerari potest. Calor humanus ad 96. gradus, atmosphaericus Varsoviensis summus ad 93. gradus

gradus affurgit. Nocet nimis calidus aer, potissimum magis calentibus, idem vero mitigatur, si eligatur conclave septentrionale, altum, apertum, multis hominibus non repletum, in cuius pavimento spargantur folia, vel aqua fontana, cum aceto aut sale remixa, in eoque ferventur flores grate exhalantes, applicentur quoque aeolipilae, conducunt et vestes albae. Nocet tamen magis aer calidus et humidus; quem vero vel evitare fuga, vel corrigere oportet igne, vento, explosione tormentorum, fumis et vaporibus acidis, vel praecavendum noxiis ipsius effectibus, ientaculo assumto, expuitione salivae, temperantia victus, potu tenui acidulo, et tranquillitate animi. Noxiae pariter sunt vicissitudines aeris, nempe eius mutatio ex calido in frigidum, et sic ex frigido in calidum, quippe inde rheumatismi, quin et subitanea mors; corpora itaque dispendantur eo, ut has mutationes ferre possint. Praeter haec omnia, Varavia, ut tota Polonia, ventis admodum est exposita: hi quidem aërem renovant, et placidi profunt, impetiosi refrigerando, ut et boreas, nec non qui noxia effluvia afferunt, nocent. Vere et autumno ea valent, quae de aeris vicissitudinibus, aestate et hyeme, quae de calido et frigido dici possunt. Horum effectus ex Hippocrate Cl. Auctor allegat. Solstitia et aequinoctia plures morbos producunt. Dietam vero, pro diversis anni temporibus, ex Hippocratis libello de structura hominis; Cl. Auctor repetit, votum religiosum pro Regis salute addit, et totum Opus epilogi brevi sumit.

Groeningae, MDCCLXVII.

Consilium cepit *Heerkenius*, V. Cl. duodecim anni mensis, Poemate latino, quod operas colonorum cuiusque mensis exprimat, proponendi. Dici nequit, quantopere istud nobis consilium placeat: est enim in hoc Viro tanta latini carminis facilitas, elegantia, et ille romanae antiquitatis sensus, ut perfecti quid, atque absoluti, expectare liceat. Cum igitur iam inciderit in manus nostras *Ianuarus*, latinif sine scriptus, cuius neque Virgilium pudeat, non possumus impetrare a nobis, quin carmen hic integrum demus, credamusque, inituros nos ea re gratiam apud Lectores nostros. Ita vero habet:

Ianus adest, riget acris hiems; nostrasque per oras,

Frigidior nullis mensibus annus erit.

Diffugere noti, tenuataque flatibus aura

Non nisi cum glacie lumina Solis habet.

Marmoris iastat humus, quaecumque obnoxia coelo,

Quaeque vitris tegitur, nec calet igne, riget.

Scilicet in vitrea quibus hortulus aede per artem

Aestuat; aestatis commoda praebet hiems.

Sed quia divitibus liceant ea commoda solis,

Pluribus et facili quod licet arte, canam.

Venatus

Venatus leporum, perdicula funera cessant;
 Ianus et his pacem lege favente dedit.
 Quaeque peregrinae veniunt unde unde volucres,
 Rusticula et tundi, iam procul esse solent.
 Chortis aves igitur, gallinas, rustice, cura.
 Ova parent, tostis elicienda cibus.
 Pifa iuvant tostaeque fabae; sed matribus escam
 Divide; quas iuvenes altera cernit hiems.
 Est, ubi gallinis vix tertius incipit annus,
 Sed senior pullos optima mater alit.
 Chortis aves, villae iterum et solatia magna,
 Sint modo, quae metuant pullus et ova, procul.
 Ningat et horribonis aquilonibus infonet imber,
 Altaque sub liquida terra fit uda nive;
 Nec vultum nec ferre foris vestigia possis;
 Area bis centum tunc tua monstrat aves.
 Indicus uxorem gallus circumstrepit alis,
 Quasque trahet in plumis, Pavo levabit opes.
 Anser, et hospes aquae frigentia stagna perosus
 Ut recreet, lectum eum grege quaeret Anas.
 Omnibus, unde iuvent, sua laus, sua gratia datur;
 Sed gallina frequens est mihi chortis honor,

Aspice pascentes, aut corpora pasta scabentes,
 Aspice, quas pugnas dant amor atque fames!
 Quodlibet interea potes exercere diurnum,
 Non omnes oculos, quod sibi poscit, opus.
 Forte domi faber est; simul aspiciatur, et arma
 Quae repares horto ruricolisque tuis.
 Servus et ante oculos tibi tergora peccat equorum,
 Qui modo plus alio tempore pecten amant.
 Sylva die claro te poscit, inutile lignum.
 Displicet immodica quod Tibi fronde, cadat.
 Et cadat apta fabro quaecunque requiritur arbor,
 Sectilis in planças, seu dabit alta trabes.
 Hoc age, seu currant, seu frigore flumina constant;
 Si constant, alia dote placebit hiems.
 Ferrea per glaciem volet adita calcibus ala,
 Sumptibus et nullis grande capeffis iter.
 Non aeftiva dies ciffis te transferet, ullis,
 Qua pede luce brevi nec pede festus eas.
 Saepe puella, tuum faciens iter, ore placebit,
 Porrige de tergo, quam premet illa, manum.
 Bafiolunq̄ue iuuet, tibi quod deducta rependet,
 Triftis hiems multis est recreanda modis.

Tempus et hoc glaciem specubus committit opertis,
 Quasque bibit sicco Iulius ore, nives.
 Sed nihil hic gelido positus in climate prodest
 Luxus in Ausonio forte ferendus agro.
 Si labor et nimios stomacho dat Sirius ignes,
 Plurima carnivoram temperet herba gulam.
 His dapibus laetus Calabros bene Frisus aestus
 Vimque tuli cursus sulphureique foli.
 Quem tamen aestivis hiemem decet addere mensis,
 Nunc nive, nunc glacie si locupletet, opus.
 Sed cave, ne faciens tibi dona superflua frigus,
 Plura brevi spatio damnaque vera ferat.
 Perficus, et muris quaecunque cohaereat arbor,
 Non bene stramineo tegmine nocte carent.
 Claude etiam vites, et quidquid in aede vel hortis
 A nimio tactum frigore funus habet.
 Si ficus et muris non addita morus in agro,
 Truncus veste, fimo iuncta caleseat humus.
 Rara tamen gelidos nostris regionibus annos
 Sic fata de multis forsitan una feret.
 Ut quaedam fervare velis, ut plurima: plura,
 Quae nimium crescunt, perdere iure velis.

238 NOVA ACTA ERUDITORUM

Nam rübus et cätis ubi dñmus inambulat agris,
Ferrum eat et servas, stirps modo caesa perit.
O si formicas sic perdere, perdere posses
Rure tuo talpas si prope regna tenent!
Magnaque perdatur, vicino maior ab horto
Turba redit: mediae traiciuntur aquae.
Teutonas innumeros Latium tumularat et Hunnos;
Turba recens toties dum redit, hausit opes.
Sed tamen haud animum despondet, et omnibus annis
Villicus insidias et nova bella parat.
Qua iacet Armoricae confinis Neustria terrae,
Et rigat immenses Olina parvus agros;
Plurima gens altitur, talpis studiosa necandis:
Quo minus everfas fieret arator opes.
Cum sit hiems, rigeatque solum, nihil officis illis.
Et tua quo fallas otia, praebet hiems.
Piscibus in glacie captandis adice curam,
Praedaque piscinas impleat illa tuas.
Qua lacus aut fluvius toto riget aequore clausus,
Seinditur astrictis grande foramen aquis.
Aëra piscis amat, magnaque cupidine caprat,
Retiaque agminibus, qua patet unda, subit.

Nocte tamen quam luce magis, piscator ad ignem
 Dum sedet, et posita lampade tingit aquas.
 Sed cave, ne simili privum vacuetur ab arte
 Stagnum, praecipue si sit in igne domus.
 Margine fixus aquae piscinam munit haspibus,
 Utque pedes caveant, picta tabella monet.
 Si brevis exiguis piscina gelabitur undis,
 Longaque pisciculos aëre privat hiems,
 Fac ut hiet glacies; aut commorientur ad unum,
 Et sine pisce macri prandia veris erunt.
 Nunc etiam curabis apes, et frigore magno
 Ne penetret ventus cerea texta cave.
 Deque columbinis sit cura penatibus: omnem
 Cottidie per agrum nunc videare, iuvat.
 Nolo, pigro male tradat hiems tua corpora fomno,
 Inque toro iaceas semper ut ante focum.
 Exhilarant animum labor atque exercita cursu
 Corpora, quae pariter frigore stricta vigent.
 Nec coelum, nec terra madens, nec sylvæ pruinis,
 Nec nive candentes res mihi tristis agri.
 Sed cui pigra fugit, cum grandine cumque procellis,
 Cum nive, cum glacie, tota videtur hiems.

Quippe,

240 NOVA ACTA ERUDITORUM

Quippe, simul miseros vitiavit inertia sensus,
Advenit ingratis omnis imago genis.
Vana dapes faciunt, et gaudia vana sodales,
Vana parum vegetis sensibus addit amor.
Fer igitur ventum atque nives, fer rure laborem,
Et facile et tota mente beatus eris.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Iunii Anno MDCCLXVIII.

REFLEXIONEN EINES ITALIAENERS UEBER
die Kirche überhaupt, über die regulare und saeculare
Geistlichkeit, über die Bischöfe und Römischen Päbste,
und über die kirchlichen Rechtsamen der Fürsten.
Aus dem Italiänischen übersetzt.

id est:

ANIMADVERSIONES ITALI CUIUSDAM SU-
per Ecclesia in universum, super Clericis regularibus et saeculari-
bus, super Episcopis et Pontificibus Romanis, et super
juribus Principum ecclesiasticis.

Friburgi Brisgoviae, 1768. Alfab. 2. plagg. 9. in 8.

Egregium indicamus librum, dignum quem omnes, qui
veritatis indagandæ amore ducuntur, diligentissime
cognoscant. In ipsa enim Italia, vir laudabili veritatis studio
inflammatus, multa, quæ per monachorum et clericorum
artes moresque deperditos in ecclesia pontificia rebus publicis
oriuntur damna, demonstrare annifus est. Et quum insi-
gnis hic liber, in Italia, metus enim erat a iudicio Pontificis,
edi non posset, missus fuit Tigurum, ubi Germanicè verteretur.

Hh

Tribus

Tribus omnino absolvitur partibus. Prima pars narrationes quasdam de regno Cumbae continet, quarum consilium est hoc, ut detrimenta a pontificiis, ut vocant, Missionariis, huic regno illata, ostendantur. In altera parte eruditae super his narrationibus continentur animadversiones, quibus ex iis, quae priori parte dicta fuere, aliis etiam regionibus per monachos eandem perniciem imminere, colligitur. Tertiae denique parti insunt ea, quibus totius libri titulus constituitur.

Cumba, de qua in prima parte agi diximus, ad eas pertinet regiones, quae imperium Chinae et Brasiliam Lusitanorum interiacent. Cives Cumbae ante hos centum et quinquaginta annos iis virtutibus praediti erant, quibus populorum salus haud dubie semper firmatur. Erant enim modestiae, labori, temperantiae, iustitiae, fortitudini, aliisque virtutibus quam maxime dediti. Sed magna morum talium sequebatur commutatio, postquam Missionarii id regnum ingressi erant. Hi quidem principio colenda musica, astronomia, arte pingendi et statuaria, medicina, aliisque eiusmodi bonis artibus, fingendis vero etiam miraculis, ita sibi conciliarant omnium animos, ut elapso brevi temporis spatio, omnes fere cives religioni ab istis traditae nomen suum darent. Sed aperiendis scholis, instituendisque societatibus, in quas non nisi magnis ingenii dotibus, largisque divitiis instructi reciperentur, cives a consuetis laboribus detenti, paupertatis incommoda perferentibus. Exstruendis etiam splendidissimis templis, quae certorum sanctorum nomine insignirentur, auram popularem captare studebant isti religionis pontificiae praedones. Iam de amore populi confirmati, eorum religionis suae capitum quae huc usque consulto tacebant, tradendorum, initium faciebant.

Hae vero doctrinae in Cumbanorum animis efficiebant hoc, ut civium quidam divitias suas monachorum manibus traderent, alii coniugium detestarentur, alii agros suos incultos esse paterentur, alii aliter salutem publicam unminuerent.

rent. En tristia doctrinae a missionariis propositae effecta! Quum porro illi novas leges condendi necessitatem demonstrassent, eligebant e societate Iesu decemviros, qui consilio huic satisfacerent. Novis vero legibus a rege receptis, librum quendam adiungi volebant, legibus canonicis repletum. In quo quum rex eorum precibus locum concedere nollet, monachi vehementer commoti, auctores erant civibus, regis vel deiiciendi, vel interficiendi. Nec mora. Rex interficitur. Quam fortunam ut effugeret eius filius, canonicarum legum liber ab eo recipiendus, atroxque inquisitionis tribunal instituendum erat. Neque etiam huius regnum per eos fuit diuturnum. Eo enim malitiae progrediebantur, ut hostia veneno infecta eum interimerent. Huius autem filio, quum fidi cuiusdam aulae suae purpurati suafu, istos e republica vellet eiicere, eadem parabatur pernicies. Quam ut effugeret, regnum reliquit, atque in Siciliam, cum quibusdam aliis, commigravit. Atque hic ipse est, quem harum narrationum auctorem esse, ex fine earum apparet. Ista vero narrationes, quum in manus Itali nostri venissent, hic, perpenſa omnium omnino monachorum conditione, eandem etiam aliis regionibus per monachos imminere perniciem, non sine ratione intellexisse sibi visus est. Hinc animadversiones altera libri parte exhibitae.

In hac vero parte, demonstratis dannis, a monachorum ordinibus profectis, tantorum malorum remedia diligenter enumerantur. Principio iam inter gentiles fuisse quosdam ostendit auctor, qui peculiarem vitam agerent, quod etiam de quibusdam inter Iudaeos dicere potuisset. Postea vero Evangelium, eosque qui illud primo et secundo Saeculo profitebantur, ordines monachales plane ignorasse, ex loco quodam Tertulliani luculenter probat. Saeculo demum tertio Paulus quidam, et post eum Antonius, in locis desertis habitare coeperunt. Et quum horum vestigia multi premerent, monasteria fuisse extructa dicit. Sed ista monasteria, non eiusmodi, quae nos hodie hoc nomine appellamus, fuisse

aedificia, sed domicilia tantum in quibus habitarent eremitae, cum Holstenio crediderimus, qui in dissertatione de originibus vitae monasticae, coenobia serius, circa saeculi nimirum septimi tempora, fuisse aedificata probat. Paullum et Antonium, Ammonium, Pachomium, Hilarion, monachismi in Palaestina auctor, multique alii sequebantur. Athanasium Romanum aliquando profectum, multi comitabantur eremitae et monachi, unde ingens mox oriebatur et in occidente eorum numerus. E legibus Imperatorum, nunc pro monachis, nunc contra eos constitutis, apparet, istos eo tempore potestati civili adhuc fuisse subiectos. Ex ordine dein s. Benedicti, saeculo sexto instituto, multi alii orti sunt monachales ordines — Iam vero circa tempora mediae aetatis pessima facta est monachorum conditio, quum defraudanda plebe ingentes undique corraderent divitias, luxuriaeque et multis aliis sceleribus fores panderent. Quibus malis ut medela afferretur, constituti sunt mendicantium ordines, his vero mala ista non imminuta, immo aucta fuere. Dominicus enim et Franciscus, praecipui mendicantium ordinum auctores, amplificando pessimis artibus pontificis Romani dominio, ingentia orbis damna intulerunt. Omnino autem miseranda horum ordinum facies, tam vividis coloribus ab auctore passim depingitur, ut de iis sine indignatione legi non possit. Ac quum Iesuitae reliquos calliditate superarent, factum etiam est, ut ditissimi omnium fierent.

Quanta vero ex omnibus omnino monachorum ordinibus oriantur noxae, quanta reipublicae ex iis incommoda nascantur, luculentissimis argumentis ab auctore ostenditur. Primo enim in instituendis pueris perniciosi sunt. Docetur quidem ab iis latina lingua, sed multorum barbarismorum fordibus inquinata; docetur historia cum civilis, tum ecclesiastica, at fabulis depravata; docetur eloquentia, sed vero elegantiae sensui noxia; docetur philosophia, sed rixis aequae futilibus quaestionibus mixta. Impediunt porro monachi legitima matrimonia, quorum quanta in reipublicae salute promo-

promovenda vis sit, ostenditur. Corradendis etiam divitiis noxii sunt, quod et civibus facultates eripiuntur, et vectigal, adeoque aerarium principis, imminuitur. Iam, monachi aut principem, aut cives, infenso animo prosequuntur. Aut enim auctoritate principum ad evertenda civium iura, aut concitatis civium animis ad deprimendam principis potestatem, abutuntur. Neque id de iis tantum, qui sunt e societate Iesu, sed et de aliis ordinibus dici posse, peripicuis exemplis declaratur.

Inprimis autem acerrimo in eos odio saeviunt, qui non omnibus ab iis propositis assentiri, sive possint, sive velint. Immo etiam inter ipsos alii se ordines invicem gravissime insectantur. Accedit et hoc, quod plerumque traditionibus, fictis miraculis, inutilibusque quaestionibus religionem, et praecipue morum doctrinam, vehementer corrumpunt. Denique etiam eam ob causam vituperandi sunt, quod privatorum domus tam saepe ingredientes, perniciosas suas sententias spargere student. Tantis autem noxis medela est adhibenda. Quare primum de mutando in melius Clero, qui saecularis vocatur, solliciti sint Principes. Quo facto, de monachis paulatim e republica abigendis cogitent. At quum huic consilio paullo difficilius satisfiat, emendandi saltem sunt eorum ordines. Quod ita fiet, ut ipse ordinum numerus minuatur; ut infcio Principe nemo in monasteria usquam recipiatur; ut parentibus eripiatur facultas liberos suos pro tubitu coenobiorum terrenis cohibendi; ut monachis libertas scholas aperiendi, et munera ecclesiastica obeundi, dematur; ut a privatorum domibus arceantur; ut vectigal ab iis quoque exigatur, atque eiusmodi alia quaedam. Neque vero silentio a nobis praetereundum est, auctorem saepius commemorasse ea, quae ipsi ab adversariis opponi queant, eaque diligenter refutasse.

Venimus ad tertiam libri partem, in qua recensenda breviores esse poterimus, quum pleraque ab auctore hac parte tradita, ex optimis doctorum virorum cum nostrae et

reformatae, tum pontificiae ecclesiae scriptis depromta sint. Neque hoc nomine vituperamus auctorem, imo vehementer laudandum esse putamus, quum sua, ut in veritate inquirenda eo feliciter versaretur, ex purioribus fontibus haurire voluerit. Constituta ecclesiae notione, copiose ostendit auctor, neminem esse vi poenaeque cogendum, ut sincerum se ecclesiae membrum praebet. Progreditur post haec ad doctores ecclesiae, de quibus multa bene, hoc vero non satis accurate disputasse nobis videtur, quod Episcopos ex instituto Apostolorum, adeoque primo iam post Christum natum Saeculo, Presbyteris superiores fuisse contendit. Provo- cat inter alia ad Concilium Tridentinum, cui tamen ipsum non multum tribuere ex iis colligimus, quae infra pag. 275. de iniustis huius Concilii institutis, pravisque artibus tradit. Nihilominus tamen in eo nobis placet auctor, quod indicatis optimis fontibus, e. g. Salmasii et Blondelli libris, sententiam suam lectori examinandam relinquit. — Excommunicationis faciem prioribus Saeculis longe aliam fuisse, quam quidem nunc est in ecclesia pontificia, recte contendit auctor — Quae de iuribus Principum ecclesiasticis differuntur, magna animi laetitia a nobis lecta sunt.

Non minus lectu digna sunt, quae de Conciliis dicuntur: in eo tamen ecclesiae suae placita secutus nobis videtur, quod Concilium Nicaenum secundum ab Irene, et Constantinopolitanum a Basilio Macedone convocatum, pro generalibus habet, utrumque enim ab orientalibus repudiatum fuit. — De *immunitatibus* clericorum in ecclesia pontificia fufe differitur, accurateque confutantur argumenta a Pontificiae ecclesiae doctoribus, pro defendendo harum immunitatum iure divino, prolata. De canonibus decretisque a Dionysio Exiguo, Pseudo Isidoro, Rheginone, Burcardo, Ivone, et Gratiano collectis, iure affirmatur, iis Pontificis Rom. dominium auctum fuisse.

Posteaquam auctor de metropolitanis et patriarchis egit, de origine et incrementis auctoritatis pontificiae disputationem

sationem instituit. In tanta vero, quae ei affulsit veritatis luce, mirati paullulum fuimus, quin eum Pontificis Rom. originem a Petro repetere videremus. Ista enim sententiam iam dudum a viris doctis, e. g. a Blondello (quem auctor saepius laudat) fuisse explosam, cum inter omnes veritatis studiosos confiteretur, nec ipsum fuisse credere possumus. Ceterum de artibus, quibus Pontifices ad tantum paullatim dignitatis fastigium pervenerint, diligentissime nobis dixisse videtur. — Quae de famosa ista Pseudo-Isidori collectione dicuntur, verissima esse putamus. Nolumus tamen cum auctore credere, hanc collectionem a Riculfo ex Hispania fuisse arcessitam, iis nixi argumentis, quibus Blondellus in Pseudo-Isidoro, et fratres Ballerini Tomo tertio operum Leonis M. demonstrarunt, fraudatorem istum Germano-Francum fuisse. — Varias clericorum in coacervandis divitiis artificia, bene ab auctore enumerantur. — De Salviano, ac praecipue de libris adversus avaritiam clericorum, ea pronunciat auctor, quae plerumque non animadvertuntur. Nam hi libri toti pertinent ad artes monachales in divitiis ecclesiasticis augendis, quod plerique, titulo fortasse decepti, ignorant. At quod Salvianum, qui alias propter libros de gubernatione Dei vehementer commendandus sit, a diabolo obsessum vocat, id irae eius fervori condonabimus. Denique de modo, quo civili potestati se subtraxerint clerici, ita agit, ut illum etiam hac de causa laude sua non defraudandum putemus.

Sic paucis adumbravimus libri iucundissimi, utilissimi-que, argumentum. Vehementer vero optamus, ut multi sint in ecclesia pontificia, qui hunc libellum diligenter cognoscant, eiusque lectione errorum vinculis liberari se paciantur. Neque etiam ex nostris legisse hunc librum quemquam poenitebit, quod argumenti a nobis enarrati praesentia atque utilitas spondere videtur.

VETERUM TESTIMONIA DE DIDYMO ALEXANDRINO COECO, ex quibus tres Libri de Trinitate nuper detecti eidem asserantur. FERDINANDUS MINGARELLUS, S. Th. L. Camald. et S. Ind. Congr. Conf. collegit, atque animadversiones adiecit.

Romae 1764. 16 plagg. Quaternis.

Lectio Patrum, priorum maxime Saeculorum, quantum lucis afferat cognoscendae doctrinae veteris ecclesiae orthodoxae, ceremoniis, ritibusque, et refutandis eorum temporum haeresibus, non est quod pluribus hic referamus. Laudanda tamen virorum doctorum opera in eruendis patrum scriptis vel adhuc ineditis, vel pluribus ignotis. Id quod et edendis cum Vers. Latina III. libris de Trinitate, qui Didymo Alexandrino doctore ab Euseb. H. E. VI. et Sozom. IV. 25. V. Cl. Joh. Aloysius Mingarelli, frater auctoris nostri doctissimi, laudabiliter praestandum reip. literariae promissit. Ille etiam, quum ante annos aliquot in MS. Graeco Patris cuiusdam incerti III. libros de Trinitate detexisset, de eorum origine et auctoritate Tractatum iamiam sermone Italico, et separatim, et To. XI. Calogerae Nuova Racolta d' Opuscoli editum, composuit. Quare Doctiss. noster Ferdinandus Mingarellus, fratris vestigia secutus, authenticam illorum librorum III. de Trinitate, ex plerorumque opinione deperditorum, quos celebris ille Didymus Alex. auctore Socrate loc. cit. circa finem Saeculi IV. scripsit, hoc opusculo contendit asserere. Ut autem Didymum lectoribus quibusdam redderet notiozem, collegit p. 5-28. loca veterum de Didymo, inde a Rufino ad fragmentum usque MS. Barocciani, a Dodvello Dissert. in Irenaeum additum, quod ille ad excerpta veterum a Nicephoro Callisti collecta referebat.

Tracta-

Tractatio ipsa copiam animadversionum et illustratio-
num complectitur; in quarum prima Vir Doctiss. multis mo-
mentis docet, hunc Didymum Coecum Alexandriae mona-
chum fuisse: quam rem recentiores obiter tantum tetige-
runt, nec satis evidenter probarunt. Ex veteribus solus Theo-
doretus H. E. IV. 29. ipsum Ascetis affert; contra quem ta-
men multa adhuc dici possunt. Argumentum igitur pal-
marium Auct. doctiss. ex Niceph. Call. H. E. L. XI. c. 47.
depromit, ubi Didymus Alex. utrumque philosophiae genus,
ὁ γὰρ καὶ ἀμφοῖν φιλοσοφῶν, calluisse dicitur. Qua forma lo-
quendi et doctrinam et vitam asceticam exprimi, haud dif-
ficile si intelligant, quibus constat, monachos philosophos
ecclesiae, et monachatum vitam et disciplinam philosophicam,
apud veteres vocari. Praeterea idem testimonio veterum
probat, e quibus Sozomenus maxime hac loquendi formula
utitur, v. c. H. E. I. 12. 13. 14. III. 14. et de Didymo, VI.
1. In Palladii autem Hist. Laus. c. 3. Didymus adeo ipse de
cubiculo suo loquitur, *ἐν τῷ κελύκει*. Denique infra
p. 77. 78. e Victor. Tunnun. Chron. (Cass. Basnag. T. I.
p. 333.) testimonium affert, Didymum Alex. monachum
fuisse.

Animadv. II. Vir doctiss. examinat primum tempus,
quo Didymus doctor scholae Alexandriae factus fuerit? Ni-
mirum, admodum probabiliter demonstrat, illum a. 335. ab
Athanasio praefectum fuisse. Allegat deinde celeberrimos
quosdam ex eius discipulis, Ambrosium Alex. Rufinum, et
Hieronymum; neque locum illum omittit, quo Rufinus
Hieronymum reprehendit, quod non erubescat se discipu-
lum Didymi appellare, cuius tamen lectionibus per 30. dies
non interfuit: cui tamen se Hieronymi defensorem
gerit.

Animadv. III. tractat quaestionem, quamdiu Didy-
mus vixerit? Cuius diem supremum anno 395. tribuit, re-
futans simul Tillemontium, qui annum emortualem 399.
posuit. Etiam vero contra ipsius sententiam multa adhuc
dubia

dubia possent proferri, quippe quod in loco quodam Hieronymi huc pertinente, lib. de Vir. Illustr. MS. Veronense aliaque a vulgari lectione discedunt; eiusmodi tamen animadversiones dubiae sua, ceteroquin gaudent utilitate. Evidenter etiam contra Tillemontium A. demonstrat, verba Palladii in *de vita* haud necessario per decem annos continuos, sed *intra decem annos, interiectis intervallis quibusdam*, verti debere.

Animadv. IV. operam dat demonstrare, Didymi libros III. de Trinitate, ex aliorum opinione deperditos, eosdem esse, quos frater ipsius ab unbris revocasset. Qua in re illi frater iamiam in tractatu supra laudato argumentis quibusdam proluserat, v. c. Auctorem MS. anonymum mortuo Basilio demum vixisse; nullius haereseos Seculi V. aut VI. ab eodem mentionem fieri, sed contra Macedonianos imprimis disputari; et ex Nilo, cuius fiat mentio, cognosci posse, eundem iis in tractibus degisse: quae momenta omnia Didymi ad personam egregie quadrant. Ad eum prae reliquis Macedonianum, contra quem anonymus ille disputat, quod attinet, Vir doctiss. vel Lucium Alexandr. vel Eunomium Cizicenum, intelligi autumat. Ille quidem Arianus; eius tamen secta, uti et Eunomiani maxime, erroribus simul Macedonianis erant imbuti: hic autem, cui teste Hieronymo de V. Illustr. Didymus responderat, iidem Macedonii errores literis defenderat. Vir Doctiss. denique verisimillimum esse existimat, Didymum libros II. contra Arianos Eunomio, et III. de Trinitate Lucio, opposuisse.

Huic characteri, ex quo frater eius auctorem libri anony-
mum vult agnosci, ipse plures addit, inter quos primum stil-
lum seu scripturae genus refert. Hoc enim maxime convenit
Didymo, de quo Hieronymus: *improbitus, ait, sermone est,
sed non scientia.* Frater autem auctoris in Tract. supra lau-
dato 83. vocabula ex opusculo detestato collegit, quae vel lin-
guam graecam medii aevi sapiunt, vel prodigiola quadam
gaudent significatione; quaedam praeterea loca confusa ob-
scuran-

sciantur constructione. Didymus ipse sub finem libri de Sp. S. menda scripturae suae profectur, et Basnagius in Lectt. Canisii T. I. p. 197. ff. eundem de Commentario suo in Epp. Canonicas verborum nundinatorem appellat, quippe qui ex singulis verbis res arcanas vellet eruere. Eiusmodi etiam methodus in libro anonymi huius reperitur, qui verbis, *Spiritus Dei erat motitans in superficie aquarum*, interpretationem fere Cabalisticam protulit.

Accedunt ad haec, vestigia Origenianismi in hoc opusculo latentia, in uno saltem alterove loco, cuius fundamentum Origenis sententia de angelis malis esse videtur; itemque in altero, quo eiusdem doctrina de coniungenda gratia divina cum libero hominis arbitrio proponitur. Omnibus autem constat, qualis in lectando Origene Didymus fuerit; quamquam eiusmodi opiniones in scriptis eius adhuc editis non tantopere animadvertuntur. Scriptor quidem ille nuper de *abusu inferno* *ἀβυσσῶ φλόγα* tribuit; Auctor vero doctiss. Origenem ipsum non omnem prorsus poenarum infernalium aeternitatem negasse, respondet, uti ex ipsius etiam libris, *πῶς ἀεὶ ὄν* ostendit; Didymum vero ea in re eiusdem saltem doctrinam limitibus circumscripsisse.

Verum enim vero primum argumentum, ex quo opusculi de Trinitate Didymus agnoscat auctor, Vir doctiss. deducit ex collatione eiusdem cum Didymi libro de Sp. S. (Hieron. Opp. To. VI.) et cum Interpretationibus Bibliis, in Bibl. PP. I. IV. et in Corderii Catena in Iohannem. E quibus p. 65. 74. copiam locorum profert, quibus alia ex opusculo anonymi ex adverso opponit, quae utraque in doctrina orthodoxa de Sp. S. de processione eiusdem a Filio, de baptismo in nomine P. at. F. et Sp. S. etc. optime consentiunt. De processione Sp. S. uterque auctorum, ut Vir doctiss. animadvertit, non directe loquitur; sed ea tantummodo doctrina uti sunt, ut divinitatem et consubstantialitatem Sp. S. cum Filio doceant. Ex Didymi sententia Filius a Sp. S. missus est, tempore nimirum incarnationis.

Præterea quoque notatu dignum, anonymum p. 71. verbo *αὐτοχότως* de Christo usum esse, quæ tamen vox in refutanda demum hæresi Eutychiana fuit adhibita. Ea vero in se spectata non essent sufficientia, quo minus ipsi tempora recentiora tribuerentur; siquidem scriptor ille hac voce longe alio sensu usus videtur, Christum nobis similem factum fuisse, inquiens, *αὐτοχότως καὶ διὰ πταίσματος*. Præterea etiam Vir Doctiff. animadvertit, a Didymo, eadem ratione, qua ab anonymo illo, librum Sapientiæ et historiam Sufannæ canonica donari auctoritate; uti utriusque etiam consuetudo est, scripturam sacram sensu magis, quam literis allegare. Didymi etiam librum de Trinitate pro eodem Volumine Sectarum, cuius in libro de Sp. S. mentio fit, vult haberi, quoniam omnes in illo antè Macedonianam hæreses ortas memorat.

Respondet deinde obiectioni ex observatione fratris ortæ, qua anonymus ille prolem suscepisse dicitur, quæ tamen Didymus monachus fuerit. Nimirum contendit, non esse quod in locis prioris illius filii revera sint intelligendi, sed quos ipse eduxerit discipulos, aut monachorum, quos docuerit, contubernium. Neque tamen plane persuasum dici potest, an huiusmodi generis loca p. 79. v. c. *πανταυτε, πανταυτε, πανταυτε καὶ πανταυτε*, itemque *τὸν ἑ ἐμὲ, καὶ τὸν αὐτὸν ἑσταυρωτο καὶ ἰσομήτω*, hunc in modum sint explicanda. Præterea Vir Doctiff. p. 82. etiam concedit, Didymum, antequam vestem monachalem induerit, maritatum fortassis fuisse.

Multa etiam quum extant a Damasceno in Parallelis sacris fragmenta Didymi Alex. collecta, inter quæ alia ex dicto opusculo esse videntur, eadem omnia omnino Vir Doct. p. 83-94. libello suo inferuit. Ut vero hoc MS. in bibliothecis viris doctis reddat observatu dignissimum, animadvertit, idem tribus constare libris, communicans simul initium finem-

fineinque suis lectoribus, praeterquam primi, in cuius initio lacuna.

Animadv. V. reliqua Didymi Alex. scripta partim edita, partim inedita adhuc, perlustrat. Excerptis nimirum p. 68-102. animadversiones quasdam, quas in Catena Graeca in Psalmos 104. quae in *Ioh. Nani*, Abbatis et Patricii apud Venetos, manibus est, se reperisse fatetur; quarum plures aut apud Corderium non extare, aut ab iis, quas recensuit, diversas esse, animadvertit. Quae Collectio tota, sedulae diligentiae documentum, insignem prae se fert utilitatem. Sub finem opusculi respondet adhuc in Additamento 10. foliorum, anonymo cuidam Romanensi, qui in *Gazette Litteraire de l'Europe* 1764. operam dederat asserendo, librum illum laudatum non agnoscere Didymum auctorem. Summum, quo ille nititur, argumentum, in eo posuit, quod occurreret in eo dictiones, quae aetati magis Petri Lombardi, quam Didymi Alex. conveniant, quibus v. c. Deus dicatur *ἀμεγέθης καὶ ἀνείδος*, quibus vox *ἀνεθελγησία* adhibeatur, etc. Ad quae Vir Doctiff. admodum eleganter respondet, allegans ex Theologis fere coaetaneis phrasas vel easdem, vel paene similes. Sic cum *ἀνεθελγησία* comparat Cyrilli Alex. *συνεθέλησεν* et *τῶντοβελίαν*, itemque Tertulliani *volentiam* et *involuntatem*. Praeterea notat, MS. anonymi, quod Didymo tribuit, 200. saltem annos Lombardo prius a viris doctis agnitum esse. Ex eodem etiam, sub finem, copiam vocum dictionumque insolitarum, quibus frater ipsius aliorum virorum suffragia expetit, in lucem profert, iisque illustrationem addere molitur: v. c. ubi Deus vocatur *ἀεικίνητος*, id quod ex Theologia Platonica deducit, ex qua τὸ *ἀυτοκινῆν* occurrit etiam apud Cic. Tusc. I. itemque ubi anonymus ille *ἰνκτησίαις* et *μαρτυροίαις* iungit verba: *ὡς ἐν ἄλλοις ἕρμανῶν*, quibus Vir Doctiff. intelligit *Κιβώριον*, tabernacula rotunda (*canopea*) columnis suffulta. Hinc vero Auctor ad refutandum, ut ait, haereticos, qui multos Ecclesiae Rom. ritus faciunt

ciant recentiores, miras derivationes graecarum latinarumque vocum ex hebraicis in medium profert: sic v. c. *Κιβόριον* ex hebr. קבר sepulcrum, et voc. Missae ex hebr. מוסף *oblatio*, derivare studet; in cuius explicatione Hieronymus iamiam inanem egit interpretem.

Ipsa denique eiusdem Tractatio latam doctrinam, artisque criticae peritiam haud imminutam, prodit: quum etiam fratri editoris partes surripere nollet, eius tantummodo excerptis ex dicto MS. usus est, quippe alioquin, si totum opusculum perlustrasset, opinionem suam sine dubio firmiter probasset argumentis, nisi ex eodem quoque obiectiones adhuc potuerint afferri. Quare optandum est, ut totum opusculum proxime in lucem prodeat.

MICHAELIS CONRADI CURTII, PROF. HIST. et Eloquent. in Academ. Marburg. Commentarii de Senatu Romano post tempora reipublicae liberae. Praefatus est CHRISTIANUS ADOLPHUS KLOTZIUS.

Halae, sumptibus et typis Io. Iac. Curt, MDCCLXVIII.
2 Alph. in 8.

Multa sunt, quae hunc librum vehementer commendent: auctoris, alio iam tempore apud viros doctos famam consecuti, nomen: Klotzii, in omni litterarum genere versatissimi, praefatio: argumenti denique, a nemine, eo, quo a Cl. Curtio factum fuit, ordine pertractati, dignitas atque amplitudo. Priusquam vero ipsam insignis huius libri recensionem aggrediamur, quae in eo praecipue laudanda sint, indicabimus. Atque id non accuratius a nobis fieri posse putamus, quam commemorandis Klotzii eam in rem verbis. Quis enim suavissimum elegantissimumque Klotzii sermo-

sermonem non lubenter audiat? „Magnae, inquit vir acutif-
 „simus in praefatione, gratiae habendae sunt eruditissimo
 „Curtio, qui se nulla molestiarum magnitudine, laborum
 „difficili copia nulla, quos superavit feliciter, ab utilissimo
 „opere perficiendo deterreri passus est. Non exiguo pro-
 „fecto studio in unum quasi locum congeffit, quae huic ar-
 „gumento illustrando infervirent, quamplurima diligenter
 „excussit, varios scriptores, eosque, quos, qui paullo delica-
 „tiores sumus, non illubenter aliis relinquimus, libros, cum
 „examinavit, tum comparavit inter se solerter: multa, quae
 „antea dubia essent, firmavit cum testimoniorum auctorita-
 „te, tum coniecturarum subtilitate: alia obscura et abdita in
 „locum protulit: omnia vero ita exposuit explicuitque, ut
 „aliis ex aliis annexis, omnibusque inter se partibus colligatis,
 „luculenta historiae continuatio, rerumque gestarum series
 „exilberet.“ Ingenue vero fatemur, nos acutissimo huic iu-
 „dicio lubentissime calculum adicere nostrum. Ipsum opus
 in octo omnino libros descriptum est, de quibus singulis vi-
 debimus.

In *primo libro* de Imperatore, capite et principe Sena-
 tus, quatuor capitibus exponitur. *Cap. I.* Triplici nomine
 summa potestate praediti apud Romanos appellabantur: Cae-
 saris, Imperatoris, et Augusti. Singulorum nominum vis
 non e vulgarij libellorum rivulis, sed ex optimis auctorum
 idoneorum fontibus derivatur. In explicando Augusti no-
 mine eorum error exploditur, qui nomen semper Augusti
 inde a Friderici I. temporibus originem trahere putant, do-
 cteque e lapide quodam Romano probatur, iam Septimium
 Severum nomine semper Augusti fuisse insignitum. Id ta-
 men non negat auctor, Friderici I. aetate frequentiore huius
 nominis mentionem in monumentis publicis fieri. *Capite*
II. de iuribus et potestate Imperatorum agitur, recteque
 eam in rem copiosus Dionis Cassii locus (lib. III. c. 17.) com-
 memoratur. Imperium proconsulare, Augustis in omnes
 Romani imperii provincias decerni solitum, diversum fuit a
 procon-

proconsulari privatorum potestate, quod his in urbem redeuntibus, dignitas proconsularis abrogabatur, Imperatores vero hanc potestatem nunquam dimittebant. Censoriam dignitatem receperat Caesar ad tres annos, sub nomine praefecturae morum. Augustus magistrum se morum in quinquennium creari passus est. Sed cur, quaerit h. l. auctor, cur Iulius Caesar et Augustus tantopere Censoris nomen reformidarunt? respondet vero, hoc ideo esse factum, ne plebem laederent, externae speciei, et vanis nominibus studentem, aegreque ferentem, si inaudito exemplo Caesari et Augusto solis hic magistratus mandaretur. Postea autem, firmato iam imperio, Imperatores Censoris appellationem receperunt; qua tamen eos Dionis aetate non amplius usus fuisse, dicit auctor. Agitur porro de Pontificatu maximo, et quis Imperatorum primus hac dignitate ornatus fuerit, numque plures simul fuerint pontifices maximi, disquiritur. Non tamen definit auctor, quis primus cum Augusti nomine et potestate pontificatus maximi nomen auctoritatemque coniunxerit. Potuisset vero id certo definire, si hunc Zosimi locum (lib. IV. hist. cap. 36.) commemorare ipsi placuisset: Μετ' ἐπειγὺς Ὀκταβιανὸς τὸ αὐτὸς καὶ οἱ μετ' ἐκείνου τὴν Ῥωμαίων διαδοχόμενοι μοναρχίαν ἄμα γὰρ τῷ παραλαβόντι ἕκαστον τὴν τῶν ὄλων ἀρχὴν, ἢ ἱερατικὴν εὐχὴν παρὰ τῶν παντιφικίων αὐτῷ προσοφέροτο καὶ παρασχεῖμα Ποντιφικῆς Μάξιμος ἀνεγράφετο, ὅπως ἐστὶν ἀρχιερεὺς μέγιστος. Ex hoc loco intelligi posse arbitramur, ab Augusto inde Pontificatum maximum cum imperatoria dignitate arctissimo vinculo fuisse coniunctum. Tribunitiam potestatem asserebant sibi Imperatores, ut potentiam suam firmissimo superstruerent fundamento. Placet h. l. modus, quo auctor duo, Dionis Casii et Taciti, loca, quae inter se pugnare videntur, conciliare studet. Ille scilicet initia tribunitiae potestatis, ab Imperatoribus usurpatae, ad Caesarem, hic ad Augustum refert. Hanc scriptorum discrepantiam ita tollit auctor, ut dicat, Dionem de re ipsa, Tacitum de nomine loqui. *Caput tertium*, in
expli-

explenda lege regia versatur, qua Imperatorum iura sanciebantur. Sunt, quibus haec lex suspecta, Tribonianique commentum videatur. Ac commemorat quidam diligenter Cl. Curtius eorum argumenta, a quibus sententia haec refutata est; ipse tamen ingenue profitetur, subertas sibi esse circa hanc legem dubitationes eas, quibus solvendis se imperatorum iura. *Capit. quarto* enarramus reliqua Imperatorum iura. *VI* tribunitiae potestatis Imperatoribus habendi senatus ius erat. Coacto senatu consul ad senatum referebat. Augusto, tribunitia potestate praedito, permittuntur est, ut quoties senatus haberetur, etiam si Consulatum non gereret, relationis unius iure uti posset, idem successoribus eius usurpatum. Sensim ad res plures extensum est hoc ius, ita ut in quolibet senatus concilio de tribus, quatuor, vel quinque rebus Imperatori referre liceret, quod multis ab auctore exemplis ostenditur. Ad Comititia quod attinet, alia eorum facies sub Caesare, alia sub Augusto, alia sub Tiberio, alia sub Caligula ceterisque Imperatoribus fuit; qualis vero fuerit, id Cl. Curtius accurate demonstrat. Disquirat porro de eo, quomodo Imperatores soluti legibus dicantur, et cum Cuiacio Graevioque monet, eos non ideo ita dici, ac si nullis omnino legibus tenerentur, sed quoniam certis quibusdam legibus non obstricti essent. Gaudebant etiam Imperatores iure belli, pacis, foederum, legumque condendarum. Patris patriae nomen decernebatur eis, monente Dione Cassio, non potestatis, sed honoris gratia. Denique etiam Patricii Senatorisque dignitate ornatos eos fuisse, docetur.

Venimus ad *librum II.* in quo de Dignitatibus Magistratibusque Senatque Romani, ab Augusto ad Constantini M. tempora, differitur. Lectio Senatus, de qua in *primo* huius libri *capite*, alia fuit tempore reipublicae liberae, alia sub Sylla, Caesare, et Triumviris, alia sub Augusto, alia denique sub Tiberio, ceterisque Imperatoribus. Sensum obtinebat mos, ut Imperatores in senatumlegerent, quoscunque vel-

lent sive digni essent, sive non essent. Nulla enim habet Censuræ actæ firmitas, sed eam ab Augusto inde fuisse intermissam, auctorem Suetonium habemus; Vespasianus vero et Titus filius, remotis indignis, dignissimos quosque in senatum legerunt. *Capite secundo* de Consulibus ordinariis, *suffectis*, honorariis, eorumque iuribus traditur. Magnam, mutata republica, Consulatus perperitiam est mutationem. Imperiali enim fastigio in dies maiores vires nato, Consulium potentia ita imminuta est, ut Imperatores paucis tantum mensibus quemvis eo magistratu fungi permetterent. Ortum hinc discrimen inter Consules ordinarios et *suffectos*. Ordinarii erant ii, qui annum inchoaverant, quorumque nomina toto anno actis præfigebantur. *Suffecti* vero, qui per quosdam tantum menses Consulatum administrabant, non vero eum sub initium anni inibant. Hi initio ab iis, quibus toto anno Consulatus mandatus fuerat, constituti, post in Comitibus designati, dein ab Imperatoribus pro lubitu creati. Fuere etiam Consules honorarii, qui Consulibus nomen, non vero magistratum ipsum gerebant. Hanc honoris speciem ideo excogitatum fuisse putat auctor, ut Imperatores plurimum animos sibi devincirent. Negandum vero non est, multa adhuc Consulibus tributa tum fuisse iura: quae illa fuerint, luculenter ostenditur. Sequitur *capite tertio* Praetorum, iuriumque, quae iis tum competebant, descriptio. Praetorum numerus ab Imperatoribus nunc imminutus, nunc auctus est, prout eorum imperio maxime consentaneum videretur. Iura illorum cernebantur in eo, ut ius dicerent, curam aerasii gererent, ludosque procurarent. Erant etiam Praetores qui honorarii dicerentur. Aedilium, de quibus *Capite quarto*, a Caesare auctus est numerus. Dividendo enim inter plebem frumento, atque oleo, duos Aediles proposuit, Cereales ideo dictos; quod ad intelligenda veterum auctorum loca notandum est. Exolevit vero paulatim Aedilitia dignitas, Praefectis urbi omnia fere Aedilium negotia ad se trahentibus.

Errant

Erant tamen, qui sub Claudio et Nerone eos intercidisse perhibent. Imminuta vero etiam fuit, sub Imperatoribus, Tribunorum plebis potestas, de quibus fermo est *Capite quinto*, omnia enim eorum iura Imperatores ad se rapiabant, solo iis relicto nomine. Non minori mutationi Quaestores obnoxii fuere, quorum dignitas et iura *scilicet capite* describuntur. Multa erant tum Quaestorum genera: Quaestores urbani, provinciales, militares, Candidati; illustres praecipue sunt Candidati Quaestores, qui et Caesarum Quaestores vocantur. Hi ab Imperatoribus designati, iis ab epistolis et edictis fuerunt, eorumque libellos in Senatu legerunt. Muneribus Quaestorum Claudius adiunxit hoc, ut spectaculum gladiatorium, per omnes annos celebrandum, eorum sumptibus ederetur. *Capite septimo* de Censoribus, Proconsulibus, Proprætoribus, deque Senatoribus generatim agitur. Censoriam dignitatem, licet plerumque sine nomine Imperatoribus decreta fuerit, Augustus P. Aemilio Lepido, et L. Muratio Plano, tribuit. Post hos non cum privatis communicata, sed arctissimo nexu cum imperatoria dignitate coniuncta fuit. Saeculo vero tertio Decii senatus suffragiis Censorem constituendum censuerunt, quare Valeriano Censura delata fuit. Proconsulum nomine sub Imperatoribus ii fuere insigniti, qui provincias Senatorias seu populi regere iussi essent, nullo discrimine habito, post Consulatumne, an post Præturam, aut denique privati provinciam obtinerent. Eorum potestas latissime patuit. In provinciis enim plenissimam exercere poterant iurisdictionem. Proprætores tum ii vocabantur, qui Imperatoris provinciis regendis praepositi erant, licet e numero Consularium essent. Senatorum quidem auctoritas sub Imperatoribus arctioribus limitibus circumscripta fuit, manente tamen honoris et dignitatis, qua sub libera republica gavisi fuerant, externa specie integra. *Capite octavo* de novis dignitatibus ab Augusto excogitatis, et quidem de Praefectis Praetorio, exponit. Praefectus Praetorio in locum Magistri Equitum surrogatus esse videtur.

Vulgaris est opinio, ad Alexandrum usque solis Equitibus hanc Praefecturam mandatum fuisse. Sed refutat hoc Cl. Curtius, et recte quidem, quam sub primis iam Imperatoribus, ea dignitas cum Senatus consensu fuerit. Auctoritas praefectorum Praetorio in illis iuris limitibus circumscripta fuit, seriusque ad administranda imperii negotia se exseruit. Aperta eorum auctoritas inposita Alexandro legum ferendarum iis concessa potestate. Praefectura urbis, de qua est *Capitulum nono*, sub Regibus iam instituta fuit, aucta eius vis ab Augusto. Ad duplex sub Imperatoribus Praefectura urbis fuit, altera extraordinaria, consulari altera. Illa, feriarum Latinarum tempore, illustri eundem iuveni ante istos honores gestos, commissa; haec a spectatae fidei et virtutis viris administrata fuit. Praecipua Praefecti urbi negotia in criminibus coercendis, in cura politionis, morum, ludarumque versabatur.

Progredimur ad *Librum III*, in quo doctissimus Curtius iura Senatus ab Augusto ad Constantinum relicta, copiose enarrat. Ac *Capitulum primo* de iure Comitiarum, conferendarum dignitatum, et decernendorum honorum, dicit. Licet verò haud paucae dignitates Senatus suffragiis sub Imperatoribus conferrentur; negandum tamen non est, in designandis magistratibus Imperatoria partes paulatim superiores factas esse. Imprimò vitanda sumilia Senatus in imperio conferendo, confirmando, et abrogando, quae diligenter ab auctore recensentur. *Capitulum 2*, Senatam porro potestates vauisse ius dicendi, ipsimisque in Senatores, ius constituendi, legibusque solvendi, probant multa, quae a Tacito, Suetonio, aliisque idoneis auctoribus, huius rei narratur exempla. Competebat etiam Senatus ius provinciarum populi Rom. procurandi, quod *Capitulum tertio* demonstratur. Facta est sub Augusto divisio provinciarum in imperatorias, et Senatorias seu populares. *Capitulum quarto* de Aerario populi Rom. differitur. Sub Imperatoribus, quatuor aeraria fuisse videntur, aerarium publicum, fiscus, aerarium militare, priva-

privatum Imperatoris patrimonium. Disquirat etiam hoc capite auctor, ad quemnam ius percutiendi nummos spectaverit. Ad hanc vero quaestionem ita respondet, ut dicat, nummos aureos et argenteos Imperatore, aeneos autem a Senatu fuisse cufos. Restant alia quaedam Senatus iura, de quibus *quinto Capite* dispensatio instituitur. Senatus curam sacrorum habebat, vel eo adhuc tempore, quo eius auctoritas vilescebat. Habuit porro ius hostes reipublicae iudicandi, ius mundinarum, atque alia quaedam, quae accurate enumerantur. Ex omnibus vero quae de Senatus forma ab Augusto ad Constantinum M. disputata fuerit, exhibetur *Capite sexto* succincta Senatus hac aetate delineatio, quae et diligentia, et brevitate laudabili, vehementer se nobis commendavit.

Transeamus ad *Liberum IV.* de dignitatibus Senatus Rom. a Constante ad Carolum M. exponentem. De lectione Senatus ita tradit auctor, ut alios Senatores ab Imperatore fuisse lectos dicat, alios vero iure nascendi, si scilicet Senatorum filii essent, viam in curiam patuisse. Cuius rei praecipuum argumentum ex Codice Theodesiano profertur. Consules, de quibus *Capite secundo*, hac aetate creati sunt ut olim, Ordinarii, Suffecti, Honorarii. Suffectorum tamen paulo rarius in scriptoribus eius aetatis occurrit mentio. Consulatus etiam sub his Imperatoribus summum dignitatis fastigium fuit, primumque Consules post Imperatores obtinere locum. Eorum vero creandorum penes solos Imperatores hac aetate potestas fuit. Inprimis lectu digna hoc loco sunt ea, quae de mutationibus Consulatus post Constantinum M. narrantur. Hic enim Consulem alterum Romae, alterum Constantino-poli designari iussit. Hinc occidentis, hinc orientis Consules. Post Basilii Consulatum, qui in annum 541. incidit, Consulatus privatorum Iustiniani iussu plane abrogatus fuit, ipsique Imperatores Consules facti. Creati tamen fuere Consules Honorarii. *Caput tertium* Praeturam eius aetatis depingit. Praeturae tum auctoritas valde fuit imminuta,

omnem fere illius potestatem Praefectura urbis sibi vindicante. Reliqui magistratus Imperatorum arbitrio conferebantur, excepta sola Praetura, quam Senatus conferebat. Ceterum, hanc dignitatem sub Ostrogothis evanuisse, verisimilis auctoris coniectura est. Sequitur *Capite quarto* Tribunatus, Quaesturae, Censuraeque descriptio. Tribunos plebis ea aetate adhuc creatos fuisse, vix credibile est, neque eorum unquam, nisi sub Honorio et Theodosio, sit mentio. Quaestorum magna tum erat dignitas. Desierant enim ultimo loco in Senatoribus censeri, creditaque iis erant gravissima ab Imperatoribus negotia. Censura iam dudum exoleverat. Pergit auctor *Capite quinto* ad maximi momenti disputationem, ad historiam scilicet Praefectorum Praetorio et Urbi. Ac Praefectis quidem Praetoric abtulit imperium militare Constantinus M. tradiditque illis, quae administrarent, civilia negotia. Quatuor autem omnino constituit Praefectos Praetorio, ita ut Oriens, sive Asia cum Aegypto, Illyrici maior pars cum Graecia, Italia cum Africa et parte Illyrici, singulis Praefectis parerent. Optaremus vero ut auctori hoc loco placuisset, aliquid monere de Dioecesium, in quas Praefecturae, et de Provinciis, in quas Dioeceses divisae erant, deque singularum magistratibus. Nam hanc distributionem diligenter esse cognoscendam, a Pagio in Critica Baroniana, a Spanhemio in *histor. eccles.* aliisque, luculenter demonstratum est. Praefectura urbis sola fere hac aetate a mutationibus libera fuit. Docte hic Cl. Curtius conciliare studet ea, quibus Contelorius probavit, Praefectum urbi fuisse omnibus magistratibus superiorem, et haec decreti Gratiani, Theodosii, et Valentiniiani verba: Diversa culmina dignitatum Consulatu cedere evidenti auctoritate decernimus. Constitutae etiam sunt a Constantino M. novae dignitates, de quibus *sexto Capite* agitur. Maxima omnium post Imperatoriam dignitas fuit Nobilissimatus; plus tamen honoris, quam dignitatis habens. Ad Patricios quod attinet, eorum nomen cum ipsa urbe Roma fere genitum fuerat, at
dudum

Adum iam tot bella et seditiones Patricias gentes extinxerant. Constantinus vero creavit iterum Patricios, coniuncta tamen cum hoc nomine alia vi. Zosimo enim affirmante, qui hoc titulo ornati fuerant, ipsis Praefectis praetorio superiores erant. Sed quaeritur, utrum Patriciorum dignitas cum munere quodam coniuncta, an vero merum nomen fuerit? Respondet auctor, Patricios nulli certo muneri alligatos, sed pro arbitrio Imperatorum vel exercitibus, vel provinciis, vel aliis civilibus negotiis praefectos fuisse. Prolixa post haec de Patriciatu Caroli M. sequitur disputatio, ex qua si excerpere vellemus, quae inprimis lectu digna putamus, tota ea nobis transcribenda esset. Disquirat etiam auctor, an Pontifex Maximus Patricius fuerit? Negat quidem hoc Pagius, sed docte respondet auctor cum du Cangio, distinguendum esse inter Patriciatum Ravennatensem, quem Pontifices Romani a Regibus Francorum obtinuerint, et inter Patriciatum Romanum, cui urbi Reges Francorum nomine et potestate Patricii imperaverint. *Caput septimum de Magistris militum et officiorum, Praeposito cubiculi, Comitibus aerarii, et Illustribus, generatim agit.* Magistri militum Constantino M. originem debent, qui a Praefectis praetorio ad hos militare imperium transtulit. Praepositi sacri cubiculi iam ante Constantini M. tempora creati sunt; meminit enim eorum Herodianus, eosque thalami curam gessisse ait. Hi etiam inter Senatores referebantur. Magistri officiorum totius Palatii curam gerebant. Quis dignitatem hanc instituerit, difficile dictu est. Nec quando inter Senatores relati fuerint, liquet. Comites aerarii ad Constanti M. aetatem referuntur, et sub Gothis adhuc floruisse dicuntur. Omnes, qui enarratis hucusque honoribus ornati erant, Illustres vocabantur. Post Illustres notandi sunt Spectabiles, de quibus *Capite octavo.* Qui autem hoc nomine insigniti fuerint, diligenter ab auctore recensentur. Copiose etiam hoc capite de Comitibus primi ordinis agit. Originem Comitum Io. Seldenus et Henr. Valefius ab initio imperii Caesarum; Cuiacius

cuis vero et Godofredus a Constantino repetendam esse contendunt. Quam controversiam ita dirimere studet doctissimus Curtius, ut Comitès ante Constantinæ tempora fuisse non neget, sensim tamen eorum conditionem, ac præcipue sub Constantino M. fuisse mutatam, affirmet. Clarissimi, qui ~~non~~ *Capite* describuntur, omnes olim Senatores vocabantur. Solus Clarissimus vero tertius dignitatis gradus fuit. Non tamen defugerunt Clarissimorum nomen Illustres et Spectabiles. At quinam ex tot honoratis Senatores fuerunt? Respondet auctor, a Constantino usque ad tempora everfi imperii occidentalis, tres gradus Senatorum fuisse, aliosque Illustres, Spectabiles alios, alios denique Clarissimos vocatos.

Videamus nunc *de libro V.* qui iura Senatus a Constantino ad Carolum M. complectitur. *Capite primo* ostenditur, Senatum quibusdam adhuc conferendorum honorum reliquiis usum fuisse, in designandis scilicet Praetoribus. Nonne vero in eligendo vel confirmando Imperatore Senatui tum ius quoddam competit? Affirmat hoc Cl. Curtius. In constituendis Gothorum regibus, nullas Senatus partes fuisse certum est. Destructo istorum imperio, Romanisque imperio orientali adiectis, Roma eam Imperatorem revereri coacta est, quem Byzantini hoc honore dignum iudicaverant. Ius porro dixisse et constituisse Senatum, *Capite secundo* probatur. Ius dixit præsertim in eos, qui maiestatis rei, vel salutis publicae perturbatores essent. In constituenda nova lege, Imperatores Senatum consules erant soliti. Atque hanc consuetudinem diu obtinuisse, ex eo probari potest, quod Leo peculiari eam lege abrogavit. Aerarium, de quo est *Capite tertio*, cum publicum, tum privatum, Imperatoris arbitrio administratum fuit; quamquam negandum non sit, Senatui populoque Rom. non omnes omnino reditus ereptos fuisse. *Capite quarto* de cura sacrorum monet auctor, eam, qualiscunque fuerit, Senatum respexisse. Electio Romani Pontificis a clero et populo pependit, habente tamen Senatu primas in hac electione partes. Ceterum, sub Imperatoribus

ribus Graecis auctoritatem Senatus Rom. plane concidisse, et Augustus Senatui Constantinopolitano plus quam Romano tribuisse, per se patet. Conficitur *Capite quinto* ex his, quae hoc et quarto libro dicta fuere, brevis, etque accurata Senatus Romani sub Imperatoribus Occidentis, sub Regibus Gothicis, et sub Imperatoribus Constantinopolitanis, descriptio. *Capite sexto* celebrem, maximaque momenti quaestionem, auctor profert, utrum scilicet pontifex Romanus primas, seu ullas omnino partes, in Senatu Rom. tenuerit? Summa eorum quae auctor respondet huc redit: sub Imperatoribus Occidentis post Constantinum, et sub Regibus Ostrothorum, nulla occurrere auctoritatis pontificiae in rebus civilibus vestigia; ac sub Imperatoribus Graecis coepisse eos civilibus se immiscere negotiis. Quod vero auctor hoc capite dicit, Pipinum, debellato Aistalpo, pontifici Exarchatum, a Longobardis occupatum, tradidisse, id ut paullo accuratius dictum fuisset, vellemus. Traditus quidem fuit Exarchatus pontifici, sed ita, ut tantum dominium utile in eo haberet, summum vero imperium penes reges Graecorum esset. Excessu Imperatorum Graecorum iugo, et Francis in omni Italia dominantibus, penes quem arbitrium rerum Romanarum fuerit non adeo exploratum est. In tanta tamen rerum caligine, haec quatuor auctori veriora videntur. 1) Errat Fontaninus, dum Carolus M. non Domini, sed Advocati tantum ecclesiae personam sustinuisse contendit. 2) Pontifex Rom. neque Exarchus, neque Patricius fuit, licet hanc potestatem Ravennae adeptus sit. 3) Rom. Senatus sponte sua partem iurium suorum cum pontifice communicasse, eoque primas detulisse, videtur. 4) Sub Francis eminentiorem potestatem in Romanos adepti sunt pontifices, etsi summum imperium penes Reges esset.

Liber VI. complectitur res gestas Senatus Rom. a Carolo M. ad tempora restituti Senatus Anno MCXXXIV. Ac primo quidem *Capite* enarrantur ea, quae inter Imperatores et Senatum populumque Rom. Saeculo nono acta fuerunt.

runt. Fuit, viginti Senatus, sub Imperatoribus Carolin-
gicis, sibiq; imperii dandi ius vindicavit. Describitur etiam
hoc capite Senatus conditio sub Guidone, Arnulpho, Lam-
berto. Post Lamberti mortem, administrandae reipublicae
molem soli Romani sustinerunt, ita tamen, ut pontifices
primarum partium essent. *Capitulum secundum* explicatur ea,
quae inter pontificem Senatumque Saeculo nono acta sunt.
Parvise dicit auctor urbem pontifici, pontificem Imperatori.
Nec tamen omnino iuris pontificii factus est Senatus, sed in
eligendo pontifice magna auctoritate gavitus est, et iura sua
contra pontificum molimina masculè defendit. Reliqua Se-
natus Rom. hoc Saeculo conditio non adeo manifeste appa-
ret. *Hoc tertium Caput* ostenditur. Nulla Praetorum, Aedi-
lium, Tribunorum plebis, occurrit mentio, obscura tantum
Patriciatu super sunt vestigia, Consulatum paullo certiora.
Istorum vero tum longe alia fuit ratio quam olim. Ipsi
Imperatores sibi hanc dignitatem vindicabant, adeo, ut non
tam nos imperii, sed consulatus numerarent. Privatis tamen
etiam Consulatum nomen tributum, atque imprimis Comites
eo insigniti fuere, imo tum Consul et Ducis nomen acqui-
pollere coepit. *Capitulum quartum* copiosam et doctam de do-
minatione Theodoraë, Maroziae, Alberici Senatoris et Pa-
tricii ab anno 900. ad annum 954. disputationem continet.
Ex quo capite, propter rerum multitudinem, pauca tantum
delibabimus. Sunt qui Adalbertum, cuius ope imperiali fa-
stigio potius erat Ludovicus, Senatorem Rom. vocent, e. g.
Gundlingius, Loescherus; sed veretur Cl. Curtius, ne docti
hi viri, similitudine nominum decepti, Albertum Patricium
et Consulem Rom. cum Adalberto divite, Marchione et du-
ce Tusciae, confuderint. Theodora, famosa illa femina,
quo iure, quave via, ad tantam dignitatem pervenerit, non
constare dicit auctor, satiusque esse, ducis ignorantiam hic
fateri, quam coniecturas, certo fundamento destitutas, pro-
ferre. Albericus, filius comitis Tusculani cognominis, et
Maroziae, quam principatum urbis Romae obtinisset, Si-
gonio

gonio narrante, novam reipublicae formam constituit. Monet tamen doctissimus Curtius contra eundem Sigonium, Consulium nomen tum non renovatum fuisse, sed semper in republica Rom. viguisse. — Albericus, et successores eius, nullo discrimine habito, principes, Senatores, Patricii dicti sunt. Iussu Alberici pontifex maximus Patriarchis Constantinopolitans perpetuum pallii usum, absque praevia sedis Romanae venia, indulgit. *Caput quintum* describit res gestas Ioannis XII. pontificis, ac Ottonis Magni. Multa sunt quae hic laudari merentur, praecipue vero placent argumenta, quibus auctor utitur ad refutandos eos, qui celebre illud Ottonis M. diploma, quo pontifici maximo immensa dona contulisse fertur Imperator, pro genuino venditant. Cuius diplomatis falsitate demonstrata, concidit simul, ut auctor bene monet, pontificum eius temporis potestas in urbem Ducatumque Romanum. — Duplex Senatusconsultum hac aetate conditum occurrit apud Scriptores: alterum, quo Romano imperio cuncta restituantur, quae a Regibus et Imperatoribus Romanae ecclesiae collata fuerant; alterum, quo pontifex eum Senatu populoque Rom. Ottoni omnem potestatem conferunt, simulque pontificis ordinandi arbitrium ei et successoribus permittunt. Utriusque documenti fidem dubiam suspectamque reddit auctor, argumentis quidem iis, quae non contemnenda videantur. Scite porro exposuit auctor, *Capita sexto*, res Romanas sub Ottone II. et III. gestas. Placet etiam, quod perspicuitatis gratia stemma Marozianum apposuit. — Crescentii Patricii, in istius temporis historia celeberrimi, conatus, dominatio, et mores, accurate depinguntur ab auctore. — Post mortem Crescentii Senatoriam et Patriariam dignitatem coniunxit Otto, recenti exemplo adolentis, quamos motus Romanorum princeps eicere possit. Magna tamen fuit Senatus exultatio: quod ex constitutione quadam Ottonis apparet, in qua Consules Senatusque populi Rom. ante Archiepiscopos collocantur, qui magnis magnarum gentium ducibus praeferrri solebant. *Caput septimum*

inscribitur: Roma sub Patriciis, usque ad mortem Henrici III. Imperatoris et Patricii. Descripto Ioannis Patricii, qui erat Crescentii filius, dominio, propositoque Crescentii et Benedicti stemmate, progreditur ad comites Tusculanos, quos diu Crescentiis parere coactos fuisse, sed sibi tandem sacros et civiles urbis honores vindicare annisos fuisse, dicit. Docte hic observat auctor, a Muratorio Crescentii filium, Ioannem Patricium, cum Ioanne Duce et Marchione, Benedicti filio, permutari. Inde de Henrico II, rege Germaniae, Patricio et Imperatore creato, agit. Quas proferunt pontificii Henrici II. tabulas, ut demonstrent, pontifici Rom. civitatem Rom. cum ducatu fuisse concessam, eas rite ut spurias explodit. Hinc Romanum Senatorem, Pontificem, sub nomine Ioannis XIX, coemtis cleri popularique suffragiis, fuisse creatum monstrat. Deinde Conradi II. imperium describit, sub quo Senatus Rom. et auctoritatem, et nomen mansisse, docet. Neque etiam omittit turbidum Benedicti noni pontificatum, et res sub eo gestas. Denique Henrici III. imperium depingit. Res Romanae tempore Henrici quarti *Capite octavo* enarrantur. Celeberrima nobis videntur ista tempora, quoniam in ea incidit pontificatus Gregorii VII. Optaremus vero, doctissimus auctor in describendo Gregorii VII. pontificatu paulo prolixior fuisset, quum tantam hic pontifex potestatem sibi arrogaverit. Cupiebamus inprimis intelligentissimi Curtii sententiam de famosis istis pontificis huius dictatibus, ut vocantur, audire; qui, si genuini sunt, ad deprimendam etiam Senatus auctoritatem pertinebant. *Caput nonum* res Rom. sub Henrico V. et Lothario II. gestas exponit. Celebris erat iis temporibus Ptolomaeus II. Consul, hunc dicunt a stirpe Octaviana originem duxisse. Sed Cf. Curtius, in tanta Saeculorum istorum barbarie, nexum sanguinis inter Octaviam et Ptolomaei gentem teneri haud potuisse, arbitratur. Neque etiam assentitur vir acutissimi iudicii iis, qui negant, Bertham, Henrici V. filiam, Ptolomaeo nupsisse, quum Scriptores quidem tradant, Henricum sine liberis

beris obisse. Istos enim scriptores loqui putat auctor de si-
beris legitimo matrimonio procreatis, quibus caruit Henri-
cus. Quare Bertha ista, quae Ptolomaeo nupsit, illegitimo
matrimonio progenita videtur. Oportet autem ista tempo-
ra fuisse ea tradis auctor, quibus pontifices, potentissimis fa-
miliis oriundi, multa de iuribus Senatus detraherent.

Sequitur *Liber VII*, qui versatur in enarrandis rebus ge-
stis Senatus Rom. a restituto Senatu ad Tribunatum Nie-
Laurentii anno MCCCXLVI. *Caput primum* inscriptum
est sic: Romani epocham restituti Senatus condunt. Romani
a pontifice Innocentio II. iniuria affecti, ruperunt vincu-
la, quibus Roma pontifici obstricta fuerat, abrogant pontifi-
ci potestatem civilem, mutant formam reipublicae, novum
Senatum constituunt, novamque epocham condunt, ut an-
ni post restitutum Senatum numerentur. Non exiguam ha-
rum turbarum causam, in sparsa Arnoldi Brixienfis doctri-
na quaerendam esse, docet auctor. Agitur porro de litteris
Senatus ad Conradum regem scriptis, prudenterque indagat
causas, ob quas vindicandae tum sibi Romae Conradi occa-
sionem neglexerit. Tum etiam Senatum ius eudendae mo-
netae habuisse, ostendit. *Caput secundum* continet res Ro-
manas usque ad ancipitem electionem Alexandri et Victoris
MCLIX. Eugenius III. initio quidem Senatum confirmare
recusat, at tandem pacem cum Romanis init, ita, ut Sena-
torum auctoritas ilibata maneret quidem, sed ut pontifici di-
cto audientes essent. Successit Eugenio Anastasius, huic Ha-
drianus, atque sub his Senatus auctoritatem suam retinuit.
Quae inter Fridericum I. et Senatum Rom. gesta fuere, di-
ligenter ab auctore exposita sunt. *Caput tertium* comple-
ctitur res Romanas ab electione Alexandri et Victoris usque
ad mortem Alexandri MCLXXXI. Fuse hic narratur bel-
lum Romanorum cum Albanensibus Tusculanis, ipsoque
Imperatore Friderico I. gestum, quod, quum multis con-
versionibus in civitate Romana tam celebre sit, iure hic tam
copiose narratum est. *Caput quartum* habet res gestas ab
obitu

obitu Alexandri III. ad annum MCXCVIII. quo potestas imperatoria in urbe ad Pontificem translata est. In tanta rerum hoc tempore gestarum celebritate, haec praecipue notabimus: Friderici I. successor, Henricus, Romanum imperium a Pontifice et Senatoribus petit, manifesto indicio, tantum fuisse Senatus Rom. dignitatem, ut, invito Pontifice et Rex Imperatoris nomen dare et accipere non ausi sint — Nivius Senatorum numerus offendebat Romanos, quare unum tantum Senatorem constituunt Benedictum, anno MCXCI. et biennio post Ioannem Capucium. At quum iterum displiceret penes unum tantum rerum esse arbitrium, constituunt denique quinquaginta sex Senatores. Sed etiam hic Senatorum numerus non fuit diurnus. Sub Innocentio III. enim, Romanis ita cupientibus, Senatores magistratu abire iubentur: arbitrum, ut Saeculo isto vocabatur, Medianum constituit Pontifex. Tum Senator pariter ac Praefectus urbi, ceterisque proceres et cives, Sacramentum dicunt Pontifici. Quo factum est, ut summa ad Pontificem maximum pedetentim potestas transiret. In *Capite quinto* insunt res gestae ab anno MCXCVIII. usque ad pacem cum pontifice anno MCCXXXV. constitutam. Prolixe hic narrantur variae inter Innocentium III. et Romanos dissensiones. Innocentio III. successit Honorius tertius. Ac quum etiam huic cum Romanis dissidium esset, hortatus est Fridericus II. Romanos ad reverentiam pontifici praestandam. Romani, ut Friderico Regi obsequium monstrarent suum, litteras ad eum dederunt, quas subiecit auctor. Post Honorium creatus est Pontifex Gregorius IX, cuius pontificatus bene ab auctore depingitur. Huic ut se Senatus probaret, haereticos persecutus est. — Sequuntur *Capite sexto* res Romanae ab anno MCCXXXV. usque ad constitutum Senatorem alienigenam MCCCLII. Gratosus apud Romanos erat Fridericus, hinc Romani eius consilio, loco unius Senatoris, duos elegerunt, quorum alter alterum coereret. Refert id Ducangius ex Matthaeo Parisiensi: negat vero hunc locum in Mat.

Matthaeo Parisiensi legi S. R. Christ. Willh. Franc. Wachius. At extare haec verba dicit Cl. Curtius in edit. Willh. Wats p. 291. Conatus Frederici vehementer se opposuit pontifex, et quum huius factio in urbe praevaleret, asperissimas Fredericus ad S. P. Q. R. dedit litteras; Romani vero bellarunt adversus Imperatorem. Haec omnia copiose a Cl. Curtio narrata sunt. Prosequitur auctor *Capite septimo* res gestas Romanorum ab anno MCCLII. ad annum MCCCLXXVIII. quo alienigenae Senatores esse vetiti sunt. Insignis mutatio facta est Romae anno MCCLII. Hactenus enim civibus suis administrationem urbis permiserant Romani: iam vero alienigenam constituerunt Senatorem, Brancaleonem, civem Bononiensem, qui Frederico II. strenuam in bello Italico operam navaverat. Huius varia in regimine urbis facta diligenter enarrat auctor. Post eius mortem Romani Castellani ab Andalo, Bononiensem, inconsulto pontifice, Senatorem creant. Atque etiam post hunc varii Senatores alienigenae electi sunt, inter quos praecipue notandus est Carolus, Comes Provinciae, Ludovici IX. Regis Galliae frater, de quo Cl. Curtius bene exposuit. *Capite octavo* complectitur res Romanas ab anno MCCCLXXVIII. usque ad Senatoriam dignitatem Roberti Regis anno MCCCXIII. Indagatis causis potentiae Nicolai Pontificis, progreditur auctor ad describendam Martini IV. pontificis Rom. dominationem. Post haec de Honorio IV. Nicolao IV. Coelestino V. Bonifacio VIII. Benedicto X. Clemente V. pontificibus, deque rebus sub iis gestis, dicit. Inde ea narrat, quae de Ludovico Sabauda, Senatore Rom. et Henrico VII. notanda ipsi hoc loco videbantur; quae omnia, propter diligentiam ab auctore adhibitam, lubenter legimus. Nec minus diligens fuit auctor *Capite nono*, in enarrandis rebus Rom. a Senatoria dignitate Regis Roberti anno MCCCXIII. usque ad Tribunatum Nicolai Laurentii anno MCCCLXVIII. Inprimis vero lectu dignam hoc loco putamus narrationem auctoris de Ludovico V. Imperatore; item et de Carolo IV. deque

deque rebus Romae sub iis gestis. Ingeque tamen fatamur, nos vehementer optasse, ut auctor in commemorandis Pontificum vel Imperatorum nominibus paullo accuratior interdum fuisset, eosque, quibus cum uno pluribusve antecessorum suorum unum idemque nomen est, numero 3 se invicem distinxisset.

Restat Liber VIII. ex quo cognosci possunt res gestae Senatus Rom. a Tribunatu Nicolai Laurentii ad nostra tempora. *Capite primo*, res Rom. sub Tribunatu Nicolai Laurentii, usque ad mortem eius MCCCLIV. narrantur, eo quidem ordine eaque diligentia, ut lectu dignissimum hoc caput putemus. *Caput secundum* est de rebus Rom. a morte Nicolai MCCCLIV. usque ad mortem Bonifacii IX. anno MCCCCIV. Innocentius VI. Senatores alienigenas creat; et quoniam isti Senatores non omnis urbis curam haberent, administrarunt praeter eos urbem, secundo ab iis dignitatis gradu constituti, delecti ex qualibet urbis regione viri, qui capita Regionum atque Banderesii vocabantur. Anno MCCCLXII. infima plebs rerum potitur, nullaque Pontificis habita ratione, summum urbis rectorem constituit Letulum Pocadotum. Innocentii VII. successor Urbanus V. Romanis semestres Senatores dedit nobiles externos. — Erudite dein differit auctor de Gregorii XI. dominio, deque Urbano VI. et Bonifacio IX. *Caput tertium* continet res gestas a morte Bonifacii IX. ad Nicolaum V. anno MCCCCXLVII. Luculenter descripsit hoc capite auctor ea, quae Innocentium VII. inter, Romanosque et Ladislaum gesta fuere. Bene porro agit de Pontificatu Gregorii XII, sub quo Ladislaus Rex urbis Dominus est factus. Ladislaus sub Alexandro V. urbe expulsus, ea denuo potitur. Post haec describitur Martini V. dominium urbis. Huius successor Eugenius (IV.) non iis viribus valuisse dicitur, quae ad coercentes proceres Romanos sufficerent. Hinc Romani urbis regimen sibi arrogabant. Sed qui huic succedebat Nicolaus V. auctoritatem pontificiam, summamque in urbe potesta-

testatem, ita stabilivit, ut S. P. Q. R. ex hoc tempore ne tentaverit quidem iugum excutere. Perginus ad *Caput quartum*, in quo est brevis recensio rerum gestarum Senatus Rom. ab anno MCCCCXLVII. ad nostra tempora, Atque etiam hic persequitur auctor ea, quae sub singulis Pontificibus praecipue digna videantur. Superest *Caput quintum*, quod praesentem Senatus Rom. formam depingit. Magnum inter Senatores mediae aetatis, eumque, qui nunc eo nomine Romae appellatur, intercedit discrimen. Ex quo electionem Senatoris sibi vindicare pontifices, alium sibi magistratum constituerunt Romani, vocaveruntque eo fungentes urbis Conservatores, qui urbanas res curent, sola iuris dicendi potestate Senatori relicta. Sub Senatoribus tres Iudices ius dicunt, ex quibus duo vocantur primus et secundus Collateralis, causasque civiles tractant, tertius est Iudex maleficorum seu latrunculator, qui in crimina inquirat. Praesides Senatus sunt Conservatores urbis, tres numero, quorum munia auctor recenset. Excipiunt Conservatores Capita Regionum. Defensores Decretorum sunt quatuor Nobiles, qui a publico consilio eliguntur, annum magistratum gerunt, et curant ne quid detrimenti respublica patiatur. Consilium Secretum omnia populi Rom. negotia administrat, hisque quolibet mense a Conservatoribus convocatur. Publicum Consilium quolibet mense congregatur, et graviora negotia conficit, quae secreto consilio nimis ardua visa sunt. Quod vero in enarranda recentiorum temporum historia paullo brevior est auctor, id culpa eius factum non esse, testantur haec eius in praefatione verba: „Ea, qua decuit, eruditos Romanos adii observantia, adminicula rogavi, quae doceri vellem exposui. Quin „Romae enim plura lateant monumenta, quae lucem nondum „adspexerunt, non est dubium, quorum mihi quidem copiam „factum iri sperabam: at spes ista me frustrata est.“ Ex iis vero quae hucusque de virtutibus huius libri diximus, colligi posse arbitramur, maximis eum laudibus dignum, historiaeque studiosis vehementer commendandum esse.


CHRIST. ADOLPHI KLOTZII HISTORIA NUMERUM CONTUMELIOSORUM ET SATYRICORUM.

Altenburgi ex Officina Richteriana MDCCLXV.
plagg. 15. in 8.


Magnam habet res numaria, cum veterum, tum recentiorum temporum, commendationem suavitatis: praesertim si eius scientia tradatur ab iis, qui insigni doctrina ingenioque instructi, ad hoc studium se contulerunt. Quantae igitur gratiae illustri Klotzio habendae sunt, qui et exquisitae doctrinae, et acutissimi iudicii, ingenique elegantissimi praesidiis suffultus, hoc libro eam rei numariae partem illustravit, de qua neminem adhuc ex instituto exposuisse scimus. Non enim quemquam adeo invenustum et inhumanum fore putamus, quin, numerum contumeliosorum et satyricorum cognitionem maxima cum iucunditate utilitateque coniunctam esse, ingenue fateatur.

Principio neminem, cum antiqua, tum nostra aetate fuisse dicit auctor, qui sibi hanc rei numariae partem illustrandam sanserit, aut in talium numerum originem inquisiverit. Atque id eo magis miratur, quam hocce studium historiae multum lucis affundat. Nam exemplis ostendi potest, ipsos principes iniurias, quas numis contumeliosis sibi illatas esse putarent, aegerrime tulisse, atque etiam illas causis belli adnumerasse. Iam in ipsam numerum contumeliosorum originem inquirat. Ac pictores aliquot, petulantibus et ignominiosis operibus claros, Plinius commemorat. Cuiusmodi operibus notos etiam fuisse sculptores quosdam, Suidas auctor est. Habuit igitur antiqua aetas picturas famosas, quas e tabulis in alia monumenta migrasse, cur quis negat? Progreditur elegantissimus operum antiquorum interpres ad gemmas antiquas, in quibus perspicua satyrae vestigia

gia invenisse sibi visus est, ac ut res eo clarior fiat, quasdam ex hoc genere gemmas diligenter indagat. Inde ad numos ipsos transit. Ac primum scite monet, in iudicio de iis pronunciando cavendum esse, ne varias figuras, quae insoliti aliquid habeant, et novitate sua nos aliquantum turbent, ideo contumeliosos censeamus. Res duobus exemplis perspicue demonstratur. Omnino vero in perlustrandis his numis ita versatur auctor, ut et afferat ea, quae viris doctis super quibusdam numis in mentem venerint, et quae illius de illorum opinione sit sententia indicet, atque etiam, quae ipse in numis primus observasse sibi visus sit, exponat. Sunt Agrigentini numi, quorum altera pars habet aquilam leporena unguibus prehendentem, petentemque rostro, altera cancrum marinum. Hos numos Satyricos censet Begerus. Ac docte ostendit illustr. Klotzius, istiusmodi in his numis apparentia indicare copiam et abundantiam talium animalium in iis locis. Nec Satyricus est Phocacensium numus, qui habet Delphinum, cui a lupo vis infertur, conculcante illum aut fauce appetente. Faliscorum numo, ubi aquila ore vel unguibus leporem discerpit, symbolum venationis exhiberi censet. Ita etiam statuendum putat de numo Velientium, ubi leo cervum prosternit. Facillima sane, et simplicissima interpretatio! Omnino non putat auctor aliquid in Graecis numis inveniri, quod contumeliosum aut satyricum videatur. Videamus an forte in Latio tales numos invenerit. Ac multos sane profert, qui nonnullis contumeliosi visi sunt. Primum sunt quidam, qui numos, Spintriarum nomine appellatos, et altera parte numerum aliquem, altera monstruosas libidines exhibentes, ad irridendam Tiberii libidinem cusos fuisse, existiment. Negat id illustr. Klotzius, eosque numos ipsius Tiberii iussu cusos fuisse ostendit; multos autem Spintrias non esse, qui tamen pro iis habeantur, docet. Neque assentitur Io. Georg. Eccardo, qui in numo Vipsaniae Agrippae, Tiberium Iuliae scelestos amores exprobrare voluisse, sibi persuadet. Erudite porro disserit de illo numo, quem



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM

LEIPZIG 1768

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG. IX.88.

quem Seguinus edidit, satyricumque censuit. Est is numus plumbeus, in altera parte corona conspicitur; in altera digamma, cui insertus est palmae ramus cum hisce notis: IO. SAT. IO. Non vero putat Illustr. Klotzius hunc numum ad contumeliam cuiusquam cūsum fuisse, quum ea, quae in illo est exclamatio, Saturnaliorum hilaritatis propria fuisse videatur. Id hoc Martialis versu egregie illustratur:

Clamant ecce mei, io Saturnalia! versus,
Et libet, et sub te praefide, Nerva, licet.

Et, data hoc loco de numis Saturnalibus sententiam suam explicandi occasione, monstrat auctor, plumbeos numos Romae haud incognitos fuisse, sed praestitisse eandem Romanis in festis diebus Saturnalibus operam, quam nostra aetate aenei iis, qui non lucri, sed temporis fallendi causa, ludunt. Erat etiam mos Saturnalibus, ut sibi varii generis munera mitterent amici. Hoc perspicuis auctorum exemplis probatur. Donatos vero etiam fuisse numos, Martialis et Suetonius confirmant. Eos igitur numos, qui figuras, aut ridiculas, aut quae alias non conspiciuntur, habent, eos item, quos non ad historiam pertinere clarum est, omnes Saturnalios esse censet Illustr. Klotzius, i. e. Saturnalibus, cum ad hilaritatem augendam, tum ad ludum, tum ad donanda munuscula, atque etiam ut tesserae essent in ludis spectandis, e variis metallis confectos. Plures eiusmodi numi proferuntur, examinantur, feliciterque explicantur. Non vero tam facile explicari possent, reiecta Cl. Klotzii de iis sententia. At exstant numi, qui ad contumeliam Iudaeorum cūsi esse videntur? Exstant sane. Sed doctè refutat auctor eos, qui, quum in his numis porcus appareat, Satyrā in iis vident; multisque antiquitatis monumentis adiutus existimat, talibus numis Romanorum primordia indicari, et felix omen Aeneae oblatum. Est porro numus plinae singularis, a Chamillardo inventus, explicatusque in Trivultinis ephemeridibus, atque ad Faustinae matrem relatus.

Habet

Habet ille caput Faustinae matris, cum epigraphe: DIVA FAVSTINA. In averfa est Ceres globo insilens, quavis manu taedam tenens, cum verbo: SOVSTI. In hoc numo explicando mirifice se torserunt viri docti, et pleraeque eorum interpretationes meris coniecturis nituntur, nulloque argumento firmanur. Sed monetarii peccatum deprehendit Illustr. Klotzius. Enimvero talia peccata aut stupore, aut negligentia, saepius fuisse commissa, exemplis comprobatur. Videtur vero sibi vir doctissimus numum reperisse, cuius ope ille optime possit explicari. In altera parte est epigraphe DIVA FAVSTINA; in altera Ceres cum duabus facibus, et verbum AVGVSTA, apparet. Illum igitur numum a Chanillardo exhibitum, nullum esse alium dicit, quam hunc, sed recusum, talique modo corruptum. Neque etiam satyricus est numus ille Faustinae iunioris, qui habet altera parte caput Faustinae, altera militem nudum cum clypeo tantum et galea, quem feminuda femina brachio retinere velle videtur. Epigraphe est VENERI VICTRICI. Commemoratis variis doctorum virorum de hoc numo sententiis, profert suam Illustr. Klotzius, atque ex Gemmis aliisque monumentis antiquis monstrat, exhiberi Faustinae sub Veneris figura, Aurelio, cui Martis persona per adulationem tributa, blandientem, suisque illecebris eum demulcentem. Quemadmodum vero hunc numum satyricorum numero exemit: ita ingenue fatetur, parum abfuisse, quin alium Faustinae numum iis accenseret. Exhibetur is a Patino in Numism. Imp. p. 252. Re vero diligenter pensata, existimat probatque auctor, populum quemdam, aut urbem aliquam, cultum Priapo exhibere voluisse, sine Faustinae irrisione. Ostendit simul exemplis, veteres saepe paulo obsceniora in suis monumentis proposuisse, in quibus tamen nihil satyrici effert. Sequitur copiosa disputatio de illo Gallieni numo, cuius inscriptio est: GALLIENAE AVGVSTAE. Ac primum virorum doctorum de hoc numo sententiae recensentur examinanturque: omnia, quae in eo ap-

parent, diligenter indagantur: tandem hunc numum monetarii errore corruptum, et in honorem Gallieni cufum fuisse, probabiliter ostenditur. Perspicue igitur demonstravit Illustr. Klotzius, inter eos, quos nunc habemus, numos antiquos, nullos esse satyricos, nullos contumeliosos.

Progreditur deinceps ad recentiora tempora. Si hic fabellis quibusdam fides habenda esset, non diu nobis quaerendi essent numi satyrici primi. Numulos enim quosdam, manum extensam habentes, ab Imperatore Henrico IV. in contumeliam Rudolphi, cui in praelio prope Merseburgum a. 1080. manus abscissa, cufos esse putant. Sed horum numorum patria est Hala Suevorum: fuere illi deinde in aliis urbibus cusi: ille cum rosa debetur urbi Altenburgo, cum et manus sit urbis, et rosa olim fuerit Burggraviorum Altenburgensium insigne. Neque satyricus est numus a magna illa Septentrionis Regina, Margaretha, cufus, qui datur a Koehlero (in libro: *historische Münz. Belustig.* P. VII. p. 241.) aliisque. Tradit et auctor quaedam de picturis ignominiosis, quas iis et paulo post seculis temporibus non ignotas fuisse dicit. Ingreditur Saeculum XVI. cuius primo anno numus satyricus tribuitur hic:

A. Facies viri cum mitra coronata. FERDINANDVS. R. AR. VETVS. VVLVES. ORBIS.

B. Lupus agnum rapiens et mordens. IVGVV. MEVM. SVAVE. EST. ET. ONVS. MEVM. LEVE. Verosimile videtur auctori, hunc numum non a Friderico II. Sicil. et Neap. Rege, sed ab aliis, qui Ferdinando non fauerent, percussum fuisse.

Nullum vero, qui huc pertineret, numum antiquiorem, invenit illo, quem Ludovicus XII, Galliae Rex, odio erga Iulium II. pontificem Rom. ductus, a. 1512. cudit, cum his verbis: PERDAM BABILONIS NOMEN. Omnino, alii

alii numi eo tempore cusi testantur, non pepercisse homines pontificis maiestati. Memorantur duo huius rei exempla. Maxima vero eiusmodi numorum copia provenit eo tempore, quo de religionis purioris doctrina restauranda, pontificisque Rom. auctoritate minuenda, summa inter principes discordia orta fuit. Utraque enim pars alteram satyris, imprimisque picturis contumeliosis, cum ad pontificem, tum ad Lutherum irridendum factis, perstringere et exacerbare studuit. Plures huius generis numi recensentur, doctèque examinantur. Non exiguum etiam horum numorum numerum protulit bellum inter foederatos Belgas, et Hispanos, turbæque in illis regionibus ortæ inde ab a. 1566. usque ad a. 1609. Confirmatur hoc ab auctore exemplis iis, quibus historia illorum temporum non parum illustrari potest. Pertinent porro ad hoc Sæculum duo numi maxime memorabiles: alterum, nobiles de Saldern, ab Henrico Iulio, duce Brunsvicensi, in sui ignominiam culum fuisse, conquesti sunt; alter est is, qui in contumeliam uxoris Io. Casimiri, ducis Coburgensis, cusus fuisse dicitur.

Iam Sæculo XVII. maximus satyricorum numorum numerus editus fuit. Ex his præcipui tantum afferuntur. Omnium enim si auctor dare voluisset indicem, illud solum Sæculum totum librum postulasset. Commemoratur igitur numus in Belgio, in caedem Regis Galliae Henr. IV. cusus: porro numus, qui memoriam belli inter Hispanos et Belgas a. 1621. iterum orti conservat: post hæc afferuntur numi ad historiam Cromwelli pertinentes. Facete numo quodam irrisit Regina Sueciæ, Christina, eruditos quosdam viros. In hoc numo est verbum: ΜΑΚΡΑΩΣ, quod in lingua Suecica significat *excellenter*. Hoc verbo torfit Regina eruditorum ingenia, qui, quum id Græcum putarent, frustra eius significatum quaerebant. Sed non sunt numi toto hoc Sæculo magis memorabiles iis, qui post pacem Aquisgranensem cusi sunt, et complurium animos exacerbant. De his numis

Illustr.

Illustr. Klotzius eleganter praecipit, ac praecipue explicat eum, quem Galli aegerrime ferebant, cuiusque inscriptio est: STA SOL, aut: STARE FECIT SOLEM. Nec minorem altera huius Saeculi pars numorum satyricorum numerum protulit. Ex his praecipue affertur, solerterque explicatur ille, quo Episcopus Monasteriensis, Bernardus de Galen, tantopere se laesum putabat. Dedit etiam eo tempore Dania numos quosdam, quorum nonnulli ab auctore describuntur. Anglia varios numos satyricos dedit, certe illorum eudendorum occasionem praebuit. Inprimis annus 1688. quo Iacobo filius natus erat, et sequentes, quibus et regno exutus, et illud ope Gallica recuperare studuit, feraces fuerunt numorum satyricorum, ex quibus quidam commemorantur. Causa etiam multorum talium numorum fuit bellum, quod a. 1688. Ludovicus cum Anglis, Hispanis, Belgis et Germanis gessit.

Restant numi satyrici Saeculo XVIII. cusi, quorum ingens est numerus. Ne vero totum Saeculum silentio praeteriisse videretur auctor, e primo decennio numos maxime memorabiles ita indicat, et explicat, ut iis varia historiae huius Saeculi momenta illustrari queant. Fuere etiam tales numi nostra aetate cusi, sed ab his commemorandis abstinere satius duxit. Non denique silendum est hoc, auctorem in praefatione dixisse, se historiam tantum numorum contumeliosorum scribere, non omnes omnino commemorare voluisse. Ceterum, quod auctor in eadem praefatione dicit, se lubentissime emendare ea, quae ipse non satis accurate scripserit videatur, id cum in appendice, ubi sunt quaedam addenda et emendanda, tum alio loco *), luculenter demonstravit. Edito enim iam hocce libro monuit p. 227. lin. 18. emendari debere verba sic: *Cuius a tergore Costor:* et pag. 228. lin. 2. pro VII IAR legendum esse VIIVIR.

Ex

*) In actis litterariis, Vol. II. parte II. p. 218

Ex iis igitur, quae de argumento huius libri diximus, apparere arbitramur, Illustr. Klotzium, cum eam rei numariae partem, de qua antea nemo exposuerat, feliciter explicuisse, tum variis veterum monumentis insignem hoc libro lucem affudisse.

CAROLI FERDINANDI HOMMELII PALINGENESIA librorum Iuris veterum, seu Pandectarum loca integra, ad modum indicis Labitti et Wielingii oculis exposita, et ab exemplari Tauralli Florentino accuratissime descripta.

Lipsiae, impensis Theoph. Georgi. Tom. I. 1767. pag. 619. Tom. II. 1767. pag. 349. Tom. III. 1768. p. 622. 8.

Quantum utilitatis bonus iuris civilis interpres ex diligenti fragmentorum veterum ICorum in Pandectae hinc inde disperforum comparatione capiat, non opus est dicere, cum nemo fere sit nostrorum iurisperitorum, (quod quidem speramus,) qui hac de re dubitet. Sane ex quo tempore primum *Labittus*, deinde alii, (inque his novissime *Wielingus*;) iustos et accuratos indices contexuerunt, quibus egregia loca divulgata coniungendi ars maxime iuvatur, extiterunt quamplurimi interpretes melioris notae, qui his instructi subsidiis, legum scientiae, veras earum rationes indagantes, magnam lucem attulerunt. Unum tamen post *Labitti*, *Augustini*, *Freynonii*, atque *Wielingii* labores supererat incommodum, idque gravissimum, ut singula loca, quae coniungenda index tantum significabat, in ipso corpore iuris viginti aut pluribus titulis dispersa, sigillatim essent evolvenda, quod, sicut remoram iniiciebat diligentiae lectoris, ita eiusdem patientiam valde exercebat. Hoc vero impedimentum etiam *Brenemannus*, et post eum *Brunquellus*, remove tentaverant, neuter tamen perfecit. Uterque enim praematura morte extinctus est. Quod igitur diu multumque desideratum fuit ab omnibus solidioris iurisprudenticae studiosis, opus, in quo singula Pandectarum loca, secundum seriem librorum ICorum,

ex quibus ea defuncta sunt, ad modum indicis Labitti congruo ordine disposita appareant, tandem adgressus est illustr. *Hommelius*, vir ad Iurisprudentiam ornandam et amplificandam natus, tribusque voluminibus, quorum titulum indicavimus, veterum prudentum oracula, hac, qua diximus, ratione congestit, praestititque id, in quo summum meritum ponendum esse omnes uno ore affirmant. Certe, si nec aliis egregiis libris editis de nominis immortalitate auctor sibi iam prospexisset, hoc unum incomparabile et ingentis laboris opus, ad perennem gloriam consequendam sufficeret. Ut autem praestantia huius instituti magis innotescat nostris lectoribus, singulas virtutes breviter recensēbimus. Non contentus fuit *Hommelius* digereendis iis Ictorum reliquiis, quae in Pandectarum corpore tamquam e naufragio servatae sunt; sed omnia, quaecunque extant, et apud *Schultingium* occurrunt, fragmenta eorum iurisperitorum, ex quorum scriptis Digesta compilata fuerunt, suis libris restituit, iustisque inseruit locis. Sic v. c. quae de Cui et Ulpiani libris extra Pandecten supersunt, etiam hic reperimus ex *Schultingio* adiecta. Fragmentum quoque *Regularum veteris Icti*, a *Dositheo* servatum, quod *Ulpiano* tribui solet, non quidem ex *Schultingii*, apud quem tantum latine deprehenditur, sed ex eleganti graeca *Roevri* editione, graece ac latine addidit. Ut adeo omnia, quae ex cuiusvis veteris Icti scriptis ad nos pervenerunt, secundum iustam seriem collecta, uno quasi momento intueri possis. In assignandis vero cuilibet Icto locis, ordinem tenuit literarum, ita ut primo Tomo Africani, Alfeni, Anthiani, Aquilae, Arcadii, Cui, Callistrati, Celsi, Florentini, Galli, Hermogeniani, Iavoleni, Iuliani, Labeonis, Maeri, Maeciani, Marcelli, Marciani, Mauriciani, Maximi, Menandri, Modestini, Mucii, Neratii, Papiniani, atque Papii reliquiae appareant: altero Paulus, Pomponius, Proculus, Rufinus, Sabinus, Saturninus, Scaevola, Tarruntinus, Terentius, Tertullianus, Tryphoninus, Valens, et Venuleius sistantur: tertium denique volumen solius *Ulpiani* monumenta contineat. Ad haec insignia merita accessit etiam hoc, ut lectio Florentina ex Taurelli editione quam accuratissime exprimeretur. Qua in re illustris *Hommelius* omnes superavit,

qui

qui ante eum id tentarunt, ne *Contio* quidem ac *Charonda* exceptis. Quod beneficium agnituros esse credimus omnes, qui non ignorant, quantum praestet veram ac genuinam legis explicandae lectionem nosse, quibusve de raritate ac summa caritate editionis *Taurelliae* constat. Unum restat a doctissimo editore absolvendum, ut easdem manus obstetricias singulis constitutionibus in Codice Iustiniani dispersis, ad seriem Principum, a quibus datae sunt, eas disponendo, adhibeat. Sane se hoc facturum esse, interiecto simul Codice Theodosiano, nec non Gregoriano atque Hermogeniani particulis insertis, in praefatione promisit. Quod ut proxime fiat, iurisprudentiae causa optabile est.

*ACTA ECCLESIAE GRAECAE ANNORUM
MDCCLXII et LXIII, sive de Schismate recentissimo
in Ecclesia graeca subnato, commentatio: Auctore M.
IOANNE FRIDERICO LE BRET, Ill. Gymn. Stutg.
Professore Geographiae Ord. Acad. Robor. et
Florent. Socio.*

Stuttgartiae, apud Io. Bened. Mezler, MDCCLXIV.
pl. 8. octonis.

Schismatis in Ecclesia graeca nuper orti accurata descriptio, quam *Auct.* hoc suppeditavit libello, historiae ecclesiasticae amicis non nisi gratissima esse potest, quoniam omnia ad hanc rem spectantia e genuinis fontibus sunt deducta. Duobus vero capitibus haec tractatio absolvitur. *Primo argumenta curiae Romanae ex Actis pertractantur, cum anaerisi.* Quae capita Venetis obiciantur, ex Brevi in hac causa tunc a Papa Clemente XIII. ad ipsos misso, statim ab initio libelli proposito, conspeximus. Primam objectionem, *de antiquae Venetae pietatis et studii erga ecclesiam catholicam, diminutio*, sic diluit, ut ex consensu cum catholicis in fidei capitibus et morum doctrina, impietatis crimine Venetos liberet, eosque auctoritatem Papae non tantam, quanta iactatur, agnoscere, principis ecclesiae gallicae clam favere, et a Brevibus,

Bullis, Sanctisque, v. g. Gregorio VII, si ullo unquam modo Principis auctoritas petatur, abstinere dicat. Studium contra in catholicam religionem ex concilio Florentino Tridentinoque probatum dedit; obiter tamen monuit, studio Venerorum nequaquam, id, quod dissentientes, Lutheranos, Calvinianos, et Graecos tolerant, et antiquas leges in ipsa forma reipublicae fundatas retineant, obesse, quoniam haec ad iura principis maiestatica pertineant. Alteram de *episcopo, cuius eligendi potestas graecis facta, cum schismaticum esse, illicito ordinatum, manuumque impositionem extra ecclesiam suscepisset*, sic refutavit: ecclesiam graecam semper a romana avulsum fuisse, quare *schismatis* definitionem ad illam non applicari posse, quae et inter Pontificios arbitraria sit; deinde, an *Facea* sit *Schismaticus*, hoc pertinere ad rem singularem. *Illicitam* autem *ordinationem* *Faceae* fuisse, hoc modo refutavit, quia *canonice* electus, et a Senatu, cum Patriarcha Constantinopolitanus quibusdam de causis id recusasset, *confirmatus* est. *Examen* vero, quod subire debent ordinandi, multi vel ob dignitatem reipublicae, vel ob iura nationis et ecclesiae orientalis, subire non tenentur. Ergo hac quoque ex causa *Facea* eximendus, qui praeterea ordine legitimo, tum ratione subordinationis, tum ratione consecrationis, *Coreyrae* inauguratus est, quam propterea non illegitimam nominandam existimavit, quia, etiamsi nullius penes Latinos, at penes Graecos tamen haud exigui sit valoris. Tertium momentum versatur in declaratione propensae Papae voluntatis, qua omnem conferre operam promisit, ut *Cirae* *eorum res iam diu confusae ac perturbatae ad pristinam sinceram doctrinae sanitatem reducantur*. Auct. ratione reddita de causis confusionis, inter quas temporum iniuria, mutata imperii forma, abusus varii, et exercitii religionis publici in quibusdam regionibus denegatio, facile eminent, ostendit, fieri plane non posse, ut voluntati Papae exitus respondeat, cum ipsi vires desint, graecaque natio a tali abhorreat Medico. Quare et *Benedicti XIV.* conatus irriti facti sunt, et fortasse *Clementis XIII.* tentamina parem exitum habitura sunt. Quartum

tum caput est ignominia, quam Papa in Venetos redundaturam suspicatur, ex inquinata pietate et religione. Adversus quod A. bene monuit, religionem dominantem tolerantia civili non inquinari, nec illius iura infringi. Conatus perverforum contra legem Dei, ad quos dissentientes provocant, de Venetis Senatoribus, qui de Capite Graecis praeponendo cogitarunt, interpretatus est, et nullam in universum dari legem Dei scriptam, de non tolerandis secus sentientibus, docuit. *Lausam esse unitatem ecclesiarum* ex eo refutat, quia stilo Romano non nisi illi unitatem convellere dicuntur, qui ab ea se avellunt; Graeci autem eam nunquam acceperunt, igitur nec hoc argumentum eos ferit. Tandem monitum Papae de apostolica auctoritate ex eo retundit, quia haec non eius fori sint, sed ad iura Principum maiestatica pertineant. Quinto: *provocare Papam ad falsa historica, v. c. a) a Leone X. impetrasse Venetos et Graecos, ut S. Georgii aedes immediate Sedi Rom. subiceretur.* Testimonio hoc nititur Flaminius Cornelii, qui ex monumentis ecclesiae Venetae probavit, templum istud, at alio profus sine, subiectum fuisse Sedi Rom. Item Petri Antonii Murzzi apologia MS. pro graecis, negat, fundatores huius ecclesiae unquam fuisse Graecos Unitos; constat quoque inter omnes, neque Graecorum huius coetus aliquem Inquisitionis tribunali esse obnoxium, neque reliquas se eidem potestati submittere ecclesias. *b) Sanctiones Decemvires proflare A. 1534. et 1542. de Catholicis Presbyteris regendae ecclesiae praeponendis, qui se catholico Patriarchae probassent.* Notari meretur, Graecos sano sensu vocari Catholicos, eosque nunquam Romano-catholicos dictos. Princeps quoque Venetus, minus ac obiurgationibus Archiepiscopi Candiae, A. 1578. Graecos ad professionem fidei Rom. impendentem, ne Graecorum libertatem conscientiae turbaret, ad obsequium revocavit; quid? quod Veneti eandem libertatem lege A. 1569. lata iam Graecis concesserant. *c) Sanctiones has hominum pravitate lapsas, A. 1720. renovatas fuisse, remoto sacerorum ministro, Schismatis opinione infecto, Sexto queritur Pontifex Max. invalere Schismaticos, gemere Catho-*

Catholicos, et afflictos iacere, schismaticam perfidiam religioni infidias struxisse, lupum in ovile dominicum induci, altare profanum erigi, cathedram erroris et pestilentias constitui. Septimo, esse se Speculatorem in domum Israel, agi de fide et de servanda illa incorrupta. Querelas Papae duobus Brevibus contentas, ea inferendo suae tractationi, nobis A. ante oculos posuit, quorum alterum d. 22. Ian. 1763. alterum d. 30. April. datum est. Totius vero rei summam observationibus doctis non proposuit solum, sed et illustravit, non iura Graecorum tantum vindicavit, sed etiam confirmavit. Tandem ab A. 1722. usque ad 62. de capite Graecis dando fuit deliberatum, quod cum concessum esset, Schisma inter Graecos denuo exortum est.

Secundo iam capite Acta Patriarchae Constantinopolitani proponuntur. Summam eorum A. quae Constantinopoli acta fuerunt, ex epistola Patriarchae graeci, *Ioannichii*, throno suo iam detrudi, ad Patriarcham Corcyrensem data, quam inferuit, exhibet. Ex hac epistola colligit: 1) Patriarcham novae Romae Patriarcham veteris in formula benedicendi, qua remissionem peccatorum offerat, imitari, quam formulam, optative si interpretis, non esse reprehendendam ait. 2) Sese nominare Patriarcham ex misericordia divina, id notare, cum a sede romana quoad electionem non pendere. 3) Eum subiectioni, quam ipsi praestant reliqui episcopi, gratiam tribuere, appellari ab eo dignitatem Patriarchalem fontem, principium, et caput huius gratiae, coniungere cum eadem gratiam Sp. S. efficacem. 4) Inquisivit A. in sensum verborum: *annexam esse vim Sp. S. efficacem.* 5) Ex mente Patriarchae hanc gratiam per consecrationem sive ordinationem aliis communicari, fufius declaravit. Deinde Patriarcha de obsequio ab inferioribus praestando disserit; quae omnia selectioribus observationibus ex historia ecclesiastica depromtis ab A. illustrata sunt. Reliqua autem epistolae verba ad casum praesentem accedere docuit, nam notavit: primo Patriarcham ad usum antiquum provocare, quo Graeci Veneti Metro-

Metropolitam Philadelpniae Episcopum seu caput ecclesiasticum venerabantur. Secundo nos de disciplina ecclesiastica illorum fieri certiores, quae a) Principi committat decidere, an sit e republica, ferre eiusmodi caput, (quale fuit Gregorius,) an vero minus; quae, b) ne Princeps offendar, orthodoxis Christianis, (ex epistola Patriarchali,) potestatem concedit, eligendi sibi Archiepiscopum, accedente tum clero, tum populo, in partes suffragiorum; quod vero c) Metropolitanum titulum Faecae, sive cuius a natione graeca electo tribuant, id dignitati reipublicae Venetae respondere; quod autem d) Patriarcha de Synodo sua dicit, (in ea videlicet esse proponendum, si quid obstaculi in electione esset,) id institutis antiquae ecclesiae quam maxime convenire. e) Patriarcha praeterea urget, ad consilium in Synodo ineundum pertinere professionem fidei, ab Areliepiscopo et orthodoxis graecis subscribendam, quam ipse cum Synodo mature conceptam, ipsi eorum ecclesiae recitandam, suaque manu confirmandam miserat, tum demum Bulla patriarchali et Synodali perfectam iri electionem. Dies sequentibus epistolae verbis Faecae dicitur, provocando ad can. VI. Conc. Nicaeni I. et secundum conc. II. quibus Faecae repugnat inauguratio, cum valor antiquarum consuetudinum, ibi commendatus, sit laesus. Removit igitur eum Patriarcha ab Episcopali dignitate, et effectus huius degradationis in eum caluros esse, ut divina gratia omnique beneficio privaretur, pronuntiavit, et potestate vestibus sacris, relato quippe iam inter Laicos, utendi, ei interdixit. Haec sunt capita prioris epistolae, Mense Septembri 1762. datae. Alterum documentum est de d. XI. eiusd. anni, quo declaravit, Episcopum Leucadis et S. Maurae, Chrysanthum, itemque Cephaloniae Episcopum, Sophronium, propter consecrationem Faecae factam, quia legitima non esset, esse deponendos. Haec A. erudite examinavit, simulque evicit, Philadelpniae Metropolitanam, ecclesiae graecae Venetae Metropolitanam esse *αὐτοκράτορα*, sed a nexu tamen cum Patriarcha Constantinopolitano immunem se gerere non posse. Tertium denique documentum huc redit, ut ecclesiam Venetorum

torum graecam a Facea removeat, dat. a. d. 8. Novembr. eiusd. anni. Infertis his epistolis, succinctam facti speciem A. suppeditavit, hunc fere in modum: *Georgius Facea*, Sacerdos ecclesiae Graecae Venetorum, variis artibus Archiepiscopus Philadelphienfis electus; *Milia* autem, eousque vicibus Episcopi per septennium functus, reprobatus est. Facea igitur consecrationis causa se Corcyram contulit; Patriarcha vero Constantinopolitanus certior ea de re factus, ne ordinationem, antequam quibusdam abusibus, iuribus ecclesiae Orientis adversis, medelam parasset, fulciperet, monuit. Fautores Faceae nihilominus, ut consecraretur, Sedique Episcopali immitteretur, urgebant. Princeps contra, Bullis patriarchalibus destituto, omnibus Episcoporum iuribus interdixit. Tempore electionis et consecrationis, per bina Brevia Papae uterque actus irritus declaratus est. At ecclesia Orientalis, praerogativam dignitatis, non auctoritatis, Papae concedens, Concilio eum voluit subiici. Fautores Faceae epistola falsa de proxime expectandis bullis Patr. Graecos deluserunt, ut sacris immitteretur. Die 45. post Bullae Constantinopol. Venetias perlatae, sacro charactere Faceam privandum, omnesque, qui sacra cum ipso facere audent, puniendos declararunt. Facea aliquot diebus post in templo comparuit: omnes fugiunt, ita ut solus fere relinqueretur. Recusavit tamen ipsius nomen ex Diptychis, Missa etc. deleri. Quare, cum commemoratio Faceae omnes in templo profanaret, nemo hanc aedem adiit. Accessit denique tertium Breve Romanum, quod aequae sine effectu fuit. Tandem evenit, ut, consecratus et consecrantes Constantinopolim de consecratione scriberent: quo facto Patriarcha Synodum convocavit, qua omnes in Faceae depositionem consenserunt. Patriarcha *Ioannichius* autem throno detrusus est. Brevem hic habes totius rei narrationem.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Iulii Anno MDCCLXVIII.

ΠΟΡΦΥΡΙΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΟΥ ΠΕΡΙ ΑΠΟΧΗΣ ΕΜΨΥΧΩΝ
ΒΙΒΛΙΑ ΤΕΣΣΑΡΑ :

*PORPHYRII PHILOSOPHI DE ABSTINENTIA
ab esu animalium Libri IV. cum notis integris PETRI
VICTORII et IOANNIS VALENTINI, et interpre-
tatione latina IO. BERNARDI FELICIANI: Editio-
nem curavit, et suas itemque IO. IAC. REISKII notas
adiiecit IACOBUS DE RHOER. Accedunt IV.
Epistolae de apostasia Porphyrii.*

Traiecti ad Rhenum apud Abrah. a Paddenburg
MDCCLXVII. Alph. 2. plagg. 10. quaternis.

Quanto maiore, cum doctrinae et ingenii praestantia, tum
usu ad cognoscenda accuratius recentiorum imprimis
Platoniorum placita, sed multorum quoque in anti-
qua Ecclesia rituum naturam et originem, eruditis sese omni-
um temporum libri commendaverint, quos *περί αποχής ἐμ-
ψυχῶν* Porphyrius scripserat: tanto melius haud dubie de
orbe erudito merebitur is, qui his libris, iis quidem ad in-
telligendum haud ita facilibus, eam explicandis impenderit
operam, quae raro, aut nunquam, lectorem curiosum destituat.

Ο ο

Cui

Cui operae praestandae cum Cl. *Jacobus de Rhorr* viribus sufficeret, nec tanti laboris molestia deterrere sese passus est, quo minus litterarum elegantiorum progressum, quem eo suscipiendo egregie adiuvari posse videbat, otio suo anteponeret. In quo consilio capiendo ut laudari omnino meretur, ita in eo perficiendo, cum nusquam, quantum nos vidimus, per negligentiam aut incogitantiam id commiserit, ut quidquam, quod iure et merito desiderari posset, deficeret, magnam haud dubie gloriam consecutus est. Neque enim in locis depravatis farciendis eam secutus est rationem, qua multi hodie delectari solent, qui cum aliter se expedire nesciunt, illico in verba Autoris, atque adeo sententias, rescindendo, obliterando, interferendo, temere grassantur. Existimavit enim, in tuenda magis, dextreque explicanda, quam mutilanda pervertendaque Autoris sententia, positum esse boni Interpretis officium. Quod ut aequitati magis consentaneum est, ita maiorem haud raro ingenii vim, laborem saltem et diligentiam, desiderare videtur. Quocirca ad emendandum quoque tum primum accessit, cum nihil in verbis ipsis aut contextu superesset praesidii, quo defendi possent; idque ita effecit, ut signis, quibus oratio distingueretur, loco suo movendis, atque adeo sine verborum ipsorum iniuria: aut litteris, quae, cum simili modo pingerentur, in figuras alienas deflexerant, restituendis: aut vocabulo denique, quod Autori similibus in rebus exprimendis usurpatum fuerat, assumendo: difficultatibus, quibus sensus impediretur, subveniret. Coniecturis ceteroquin virorum doctorum, imprimis Cl. Reiskii, si aliquid esse viderentur, minime quidem ita repudiatis, quin multo magis, cum exemplis, tum, si quid duri inesset, molliendo, maximam saepenumero vim iis adiceret. Tum in vocabulis explicandis sic versatus est, ut in quibus iam a Viris longe eruditissimis, *Wesselingio*, *Hemsterhusio*, *Reiskio*, *Valkenario*, aliis, laboratum fuerat, hoc modo leviter tangeret, sensu, qui subesset, brevius exponendo, ceteris, quae ad stabiliendum et amplificandum pertinerent, in

eum

oim locum relictis, ex quo copiosissima eorum cognitio re-
ctissimaque hauriri debet: in quo tironibus ad veram eru-
ditionem comparandam, fontibus eius detegendis, operam
fanc haud leuem praestitisse videtur; quae vero diligentiam
eruditorum expectare adhuc viderentur, haec ipse ita tracta-
ret, ut exemplis, si non multis, at idoneis saltem et perspi-
cuis, veram eorum significationem constitueret. Nec vero
historiae, ceterisque eruditionis partibus, quatum magna in
Porphyrio varietas et copia deprehenditur, ita defuit, ut
quidquam, quod accuratius et copiosius diceretur, temere
aliis relinqueret. Eruditionem denique, nescimus, an inge-
nium maius et solertiam prodiderit in locis investigandis in-
veniendisque, quae vel ex Scriptoribus sacris, tum Iosepho,
Platone, Plutarcho, Porphyrio, vel ex ipso Scriptoribus Ec-
clesiastici, Hieronymus, Eusebius, Cyrillus, Theodoretus,
alii, transtulisse, et in usum suum convertisse videntur. Qui-
bus omnibus magnam inesse doctrinae Cl. Viri commendatio-
nem existimamus. Quae, ne soli iudicio nostro lectores con-
fidant, exemplis, quae infra subiungemus, ut putamus, factis
superque declarabitur.

Operi autem praefatus docuit, saepius a Viris doctissi-
mis, Casaubono, Galeo, Davilio, aliis, eius edendi consilium
fuisse agitatam, nec tamen ad finem perductum esse, ne ab
ipso quidem Io. Fr. Thoma, Gymnasii Suidnicensis in Silesia
Rectore, quo tamen nemo pluribus adiumentis, cum et Va-
ticanium exemplar antiquum, et lectiones Codicis regii Pa-
risiensis, nec non animadversiones et emendationes Galei, la
Crozi, Petiti, ipsi praesto essent, usus fuerat. Quibus omni-
bus, quod nec Exemplar Vaticanum, nec Codex Parisiensis,
cum inquirerentur, reperiri possent, animadversionum autem
istarum nulla spes esset, Noster destitutus fuit. Itaque hac
inopia laboranti subvenere Viri docti in Hollandia et Germa-
nia, qui vel ipsi lectiones Codicum, a se collatorum, com-
municarunt: quod, praeter Cl. de Vries, qui in itinere Bri-
tanni-

tannico ante aliquot annos duos Bibliothecae Bodleianae Codices cum editis libris comparaverat, imprimis fecit Cl. noster Reiskius, ille quidem haud contentus, Codicem Bibliothecae Paulinae Lipsiensis ad lectionum varietatem animadvertendam percurrissse, nisi simul, quod corrigi debere videretur, aut verbis melius intelligendis ferviret, ingeniose admodum et erudite singulis fere in locis monuisset: in quo similem fere operam Cl. F. L. Abreschius praestitit; vel quos ipsi possidebant Codices utendos miserunt, in quo Cel. G. Meermannus benevolum se praebuit. Adiectam deinde Graeco textui monet Versionem latinam Io. Bernardi Feliciani, quod eam, ut omnium, quae haberentur, optimam, ita emendandis Graecis, aut stabiliendis, aptissimam, cum Cl. la Crozio iudicaret. Tum varias, quae prodierunt, operis huius Porphyriani Editiones, P. Victorii, F. de Fogerolles, Io. Valentini, describit, quam ultimam, erroribus prius Codicum autoritate emendatis, textui exprimendo subiecit. Pergit in genere scribendi, quo usus est Porphyrius, diiudicando, quod Attico quidem accedere, nec elegantiae expers, at durius tamen esse, et nimia traiectionum frequentia offendere, censet. Modice deinde de suo labore loquitur, atque usum, qui ad ritus Christianorum antiquorum intelligendos hisce libris legendis manabit, tum studium Porphyrii in imitandis Christianae religionis praeceptis, breviter attingit. Atque haec Praefatio habet. Huic subiecta est vita Porphyrii e Commentariis Eunapii et Suidae, cum interpretatione Feliciani. Totum vero opus claudunt 4 Epistolae, in quibus mutuo scriptis Io. Fr. Thomas et L. Urb. Siberus quaestionem disceptarunt, qua quaeri solet, an Porphyrius, relicto Christianis, cum quibus aliquando vixerat, ad castra Platoniorum transferret.

Exempla eruditionis et ingenii Autoris nostri, quorum tamen multo plura aciem oculorum festinanter legentis haud dubie fugerunt, pauca haec sunt: Lib. I. §. 7. n. 5. et §. 8. n. 1. duo loca Paulina illustrantur: quorum alterum 1 Tim.

4, 6. ἢ (διδασκαλία) παρακολυθηκας, confertur cum loco Porphyrii, quem in manibus habemus: οἱ παρακολυθησαντες τῷ συμφεροντι τῆ διατριμματος — et Strab. L. I. p. 5. τῷ πολιτικῷ παρακολυθειν, ad ostendendum, in verbo παρακολυθειν apud Paulum nihil esse aliud, nisi animo consequi et percipere, quod docearis. Alteri 1 Tim. I, 8. εἰαν τις αὐτῷ (νομῷ) νομιμῶς χρῆται — lux affunditur ex Porphyrio, Plat. in Min. p. 565. et Thuc. L. 5. c. 105, quibus χρῆσθαι νομῷ peculiari locutione de iis dicitur, qui legem observant, vel quibus ad observandum lata est. §. 10. Locus ad bene intelligendum aliquanto difficilior occurrit, dicit enim Porphyrius: ἐξεωσμενων των ἀλλοφυλων ζωων και της παρασπασσεως, ἐπιλογισμον ἔλαβον τινες τῆ συμφεροντος ἐν ταις προς ἀλληλων τροφαις, ὅ μνον ἀλογον μνημην. Cui Cl. Reiskius subvenire volebat, legendo περισπασσεως, quasi cum animantibus extirpatis simul sublata esset laborum molestia, quibus animus in varia distraheretur; vel της παρ' αὐτων περισπασσεως, cum homines aegre, et non sine multis negotiis, beluas exterminare potuissent. Editor vero nolter difficultatem sustulisse sibi videbatur, si, mutata interpunctiōne, hoc modo legisset: και της παρασπασσεως ἐπιλογισμον ἐλ. τ. ὅ μνον ἀ μνημην τῆ συμφ. ἐν τ. π. ἀ. τ. In quo fateamur nos aliquantum haesisse, cum sententiae quidem initium §. sequentis vim aliquam addere, nec tamen vocabulum παρασπασσεως satis convenire videretur. Nec vero a nobis impetrare potuimus, ut in hanc Autoris sententiam, cetera ingeniosam, discederemus, cum paulo infra legebamus: παρὰ το μᾶλλον ἤδη τῆ συμφεροντος ἐν τῇ μετ' ἀλληλων ἀθροισσει λαμβανειν αἰσθησει — quibus verbis cum nihil fere aliud, nisi quod in istis superioribus, dicatur, ut ἐπιλογισμος ad τὸ συμφερον referretur, necessarium duximus. Itaque Reiskius hoc in loco magis placebat. Cuius Viri excellentissimum ingenium aequè mirabamur, cum §. 12. n. 4. videbamus, cum legere maluisse: ἔ γὰρ ἐστιν αὐτῷ (ὁπως) ἰχρον (ἰχρῆ) τυτῶ, ἀλλ' ὕπερ (ἀλλουπερ) τρεπον ἢ (, ἢ) ἐπι των λοιπων —; et §. 13. lacunam, quae praecedat verba: πινακας παρεθήμεν ἀεικας

παντοίων — hisce verbis inferendis: ἐπι τῆ τῆς παλλαδος ὑποδοχῆ παρὰ τῆ τηλεμαχῆ ὁ δαίτρος κρειῶν πινακῆς — sic explere vult, ut nihil faltem melius nobis occurrat. Neque tamen ea eius admiratio nos ceperat, ut non videremus, melius §. 17. n. 3. egisse Editorem nostrum in retinendis verbis λοιμῆτε κατασχόντες, quam ipsum, cum λιμῆ mallet, quod nihil istam habere locutionem, quod insolens esset, vel ex commemoratis ab illo exemplis intelligeremus. §. 31. n. 4. Egregie exemplis docet, non solum corpus ipsum, sed affectus quoque, pravosque habitus, Graecis, atque adeo Scripturibus Ecclesiasticis, χιτωνῆς fuisse appellatos, atque hos esse χιτωνῆς, ἄυς, quod Porphyrius vult, ἰσῶθεν ἡμφισομεθα, sicut contra, ὁ χιτων ὄψος τῆτος καὶ σαρκίνος, ut idem loquitur, sit corpus ipsum. Iustinus quidem Dialog. cum Tryphone pag. 385. vocat τὰς ἀμαρτίας ῥυτῆρα ἱματῆα. §. 34. n. 10. illustratur vox λυγίζειν, quod proprium sit eorum, qui in palaestra ictus adversarii, caput aliamve corporis partem subito inflectendo, cludebant. Hinc dici de athleticis, qui saltando corpus in molles quoscunque motus frangebant; ac tandem a flectendo et torquendo in significatum eruciandi transiisse, quem Porphyrius ipse L. 1. §. 13. adhibet. §. 42. n. 1. Quaeritur: quinam sint οἱ βεβηκοί, quos Porphyrius dicit τοῦ ὑπερβαίνειν κατὰ τὴν αἰσθησὶν πᾶλαινομενον, πρὸς τοῖς νηπτοῖς ἰεργεῖν, ἐκτραχηλισαί, quiq̄ ἐπι παν εἶδος ἡδονῆς προελθόν ἐκ καταφρονήσεως —? Merito exploditur sententia Petiti, qui Salomonem se hic reperisse existimabat. Nec vero de Epicureis, quod Thomasio placebat, Porphyrius cogitasse videtur, quos, cum ex Graecia oriundi essent, nec tantum, ut Editor vult, quod mitius de iis loqui solet, si recte coniecimus, vix βεβηκοί fuisset appellaturus. At vero, cur ampla illa significatione vox hoc in loco capienda sit, ut Iudaeos et Christianos etiam in univēsum comprehendat? Ergone hi, et eo quidem tempore, imprimis posteriores, ἐπι παν εἶδος ἡδονῆς profusi erant? et num ἐκ καταφρονήσεως, quod nullam voluptatibus corporis ad animum corrumpendum vim inesse cense-

bant,

bant, adeoque indifferentes esse existimabant? Haec enim vocabulo *καταφρονησεως* significari, et quae praecedunt, et quae sequuntur, declarare videntur. Quidni de Gnosticis cogitemus? quos Platonicis recentioribus invisos fuisse constat, quique, si non omnes, attamen haud pauci, nominatim Carpocratiani, hunc errorem fovebant, quo nihil voluptates habere, quod animo noceret, crederetur. Ceterum locum, qui in sequentibus Reiskio videbatur corruptus, eleganter concedimus ab Editore vindicatum, verbis hoc ordine construendis: — *ἐκ καταφρονησεως, λεγοντες, και τον προς αλλοις οντα δυνασθαι τη αλογια επιτρεπειν χρησθαι ταυταις.* §. 54. n. 9. Locum difficilem: *δει δε και το σωμα απεβιζειν ως ειεν τε, της τε κορυ ηδοις, ου της κατω την πειναν πλησμονης, και γευσσασθαι. ινα δια παντων διαβη,* quem ipse Reiskius, nisi multis interponendis, scire nesciebat, Editor sic explicat: corpus esse avocandum ab illa voluptate, quae e nimia ciborum copia nascitur, *ου της* — (sublata distinctione maxima,) non ab satietate, quae est *κατω τ. πειναν*, quae ad famis tantum depulsionem pertinet, (vel *κατω τ. πεινας*, quae minimis est contenta, ut naturae paupertati succurratur; conf. L. 3. §. 27.) Haec bene se habent. At reliqua vix commode intelliguntur. Pergit enim sic: et sic experiri, ut vera illa voluptas (*ηδονη ακραιφινος*) per omnia se extendat, totamque mentem ac corpus permeet. Nos ex coniectura Foggerolli *μη* (non *αισθησιν*) post *ινα* assumimus, nihil praeterea in verbis postremis, nisi quae in superioribus commendata erat, temperantiam, quaerentes, cum sensus hic subesse videatur: oportere cibo tam parce frui, ut tantillum modo eius, quod praesto sit, quod apponatur, nedum totum absumatur; aut forte *δια παντων* ad genera ciborum pertinebit, ut adeo non quolibet cibo, v. c. carnibus, vesci liceat. §. 57. n. 1. nota quidem occurrit observatio de verbo *υποελλισθαι*, qua docetur, esse in eo eiusmodi dissimulationem, quae ex metu proficiscatur; at vero vel exemplorum causa, quae afferuntur, si qui legerit, haud eum poenitebit. Lib. 2. §. 6. Locum difficillimum ingeniosa

con-

coniectura sanare tentabat Cl. Reiskius, quam heic adscribere placet, ceteris, quae ibi habentur, lecturo relicta. Nimirum in libris legi solet: *πομπυει γαρ ειλυσποα αιγρωσις επι πυρητων ηγρηιας, οσπρω δους — — ηγρηια* — Is vero putat, in *ειλυσποα* latere Scholium, illud quidem, cum in textum irreperet, depravatam; nam vocabulo *αιγρωσις* adscripsisse aliquem in suo Codice *ιδος ποας*, quo doceret, esse herbae quoddam genus: *ηγρηιας* esse tollendum, *ηγρηια* autem sic emendandum, ut legatur *ιτα* (sc. *ιπομπυειν*) *ηγρηια*. §. 21. Ceteris palmam in verbis: *μαρτυρειται δε ταυτα ε μονον υπο των εν κυβειων σηλων* — Nostrum pene dixerim praeripuisse, legentem *υπο των* (sc. *θυσιαν*) *εν κυβειων και σηλων*, quae duo vocabula, quemadmodum exemplis docet, Platoni et Eusebio iungi solent, consentientem habens Cl. Abreschium, qui aliud ex Themistio exemplum adiecerat. Referuntur eodem in loco litterae Cl. Rhunkenii ad Nostrum scriptae, in quibus docet, librum *περι ιουσειβιας*, quem Vossius, alii, per errorem Theopompo Historico tribuerant, habere Theophrastum autorem. §. 29. n. 8. ostenditur, proprie eos dici *ιπρωτων τον θεον*, qui oraculum consulunt: Thuc. 1, 118. *πιμψατες ες Δελφους ιπρωτων τον θεον*. §. 32. n. 3. insigne occurrit exemplum ingenii et solertiae Editoris in locis pene desperatis ita explicandis, ut nulla tamen verbis ipsis fiat iniuria, modo a consueto construendi ordine paululum discedatur. Nimirum scripserat Porphyrius: *παλιν αξιωθειμεν αν εις ηρανον και το συμπαν γηος των εν ουρανω θεων, ους νυν ορωντας τιμαν τουτοις*, (sic enim Fogeroll. et Valent. pro *ταυτας*) *αν συναιτιοι καρπων ημιν ισιν* etc. Reiskius hic multa interferebat; at nosster locum tuetur, legendo: *αξιωθ. αν. εις ηρανον* (pro *εν ηρανω*) *και τιμαν παλιν το συμπ.* — *δυσ* (pro *τους*) *νυν ορωντας τουτοις* (sc. *ημας τιμαν, αν καρπ. συν.* — *απαρχομ:* *μην και παντας* etc. Similem ingenii viam Lib. 3. §. 6. n. 4. adhibuisse videtur, quem Lectoribus legendum relinquimus. Idemque facit §. 12. n. 2. tollenda, ut saepius, interpunctione, verbisque in construendo aliter disponendis. Nec certe displicebit

cebit §. 13. n. 1. levis mutatio τε ἐπιτω in ἐπι, cum sensus inde, quemadmodum explicat, commodus nascatur. Sed haec haëtenus.

PSALTERIUM SYRIACUM. RECENSUIT ET Latine vertit THOMAS ERPENIUS, Notas Philologicas et Criticas addidit IOANNES AUGUSTUS DATHE, Professor Linguae Hebr. Ordin. in Academ. Lips.

Halae, sumtibus Orphanotrophei, MDCCLXVIII,
1 Alph. 8. mai.

Non est quod vereatur doct. *Dathius*, ne labor, molestus sane, et perdifficilis, in hac Psalterii editione susceptus, viris doctis et linguarum orientalium peritis displiceat, aut inutilis videatur. Etenim dudum ab ipsis desiderata fuit peculiaris V. T. Syriaci editio, quae cum faciliorem copiam daret, de pretio versionis Syr. accuratius iudicandi, tum apud alios, in primis S. literarum studiosos, uberiorem linguarum Orientis cognitionem acmulantes, et supra vulgus sapere cupientes, studium excitaret, totius versionis legendae, et ad crisin V. T. accuratiorumque linguae Hebr. scientiam diligentius adhibendae. Cui desiderio ex parte hoc libello satisfecit Cl. *Dathius*, vir acutissimi iudicii, plurimae industriae, quodque in primis V. T. interpretem decet, praeclarae et non vulgaris linguarum orientalium omnium eruditionis; atque ita quidem satisfecit, ut spem facere possimus certissimam, fore, ut studium, in hoc labore collocatum, et viris doctis sit iucundissimum, et adeognitionem linguae Syr. atque adeo accuratiorum V. T. interpretationem fructuosissimum. Quod ut eo luculentius intelligatur, virorumque doctorum ipsius libri legendi cupiditas incendatur, paullo accuratius totius libri argumentum indicabimus, et quam in

eo edendo rationem, quodque consilium, et quomodo secutus sit, paulo copiosius exponemus.

Ac primum quidem praefatio, cum, ut omne id, quod in hoc libro praestitit, plena sit varia eruditione, quae se utilitatis, et novitatis etiam gratia commendet, digna nobis visa est, in qua diutius moraremur. Absolvitur autem quatuor omnino partibus: prima agit de aetate versionis Syr. altera de auctore, de usu critico tertia, consilium denique, quod in Pfalterii editione secutus sit, enarrat ultima.

Antequam vero de priori parte exponat, ipse quid sentiat, profert, laudabili, quae ei propria est, modestia, dubitationes, easque, ut nobis quidem videtur, valde graves, contra coniecturam, novam sane, et eleganti ingenio S. R. Semleri dignam, qui nuper P. I. Praeparationis ad Theol. Hermeneut. pag. 382. sq. repudiatis narrationibus Syrorum, ad Salomonis usque tempora, aut ad Christi aetatem Versionis Syr. antiquitatem referentium, tempus ei assignavit longe posterius, existimavitque, eam probabiliter factam esse ex Origenis Hexaplis, adeoque non longe post eorum editionem, ex latereulo, in quo textus hebraicus literis hebraicis scriptus fuerit. Cuius coniecturae tres attulit rationes, quarum prima nititur versione Syriaca loci Gen. I, 1. *initio creavit Deus* ܐܘܪܝܢ ܕܥܘܠܡ ܕܥܘܠܡ *caelum et terram*, quae versio ad Aquilae ἀνεβραυν formata sit, vertentis: σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν. Sed egregie monet Dath. primo, Syrum interpretem admodum raro, scilicet praeter hunc locum septies tantum, isto ܕܥܘܠܡ ad exprimendum hebr. עוֹלָם usum esse, sed potius alias, ut statim in versibus sequentibus huius ipsius cap. non ita hebraice, aut potius chaldaice (nam est Chaldaeorum paraphrastarum ܕܥܘܠܡ) vertisse, seque in ceteris linguae Syr. bene peritum probasse. Hanc igitur illius formae raritatem per totam versionem simplicem haud obscure indicare, illam in paucis his locis invito quasi auctori excidisse.

disse. Fecisse etiam interpretem, quia genae Iudaeus fuit, illud N° patriae linguae proprium, non omnino ignotum Syrorum linguae existimasse. Deinde non intelligi posse, si Syrus interpres istam nimiam Aquilae *אֵלֶּיךָ שָׂוִי* ante oculos habuerit, cur omnis ista imitatio tantum intra voculam N° subliterit, cur non etymologias vocabulorum hebr. ut ille constanter fecit, in sua versione indicaverit, sed potius textum hebr. eiusque verum sensum secutus sit, quod multis exemplis probavit Cl. D. in his Pf. II, 12. V, 5. 11. reliquis, in quibus Aquila etymologiam, Syrus genium linguae secutus est. Ex his locis, et longe pluribus, luculenter patet, hunc versionem suam non ad vitiositatem illius composuisse.

Sequitur altera ratio Semleri, eaque inde ducta, quod Gregorius Bar-Hebraeus, alique scriptores Syri, Origenis Hexaplis cum notis eius criticis semper usi sint, immo MSS. exemplaria Syriaca et Arabica cum illis notis et signis Origenianis extant, ex quibus magna illa textus graeci confusio non infeliciter possit corrigi. Id verissimum quidem putat Dath. sed negat inde colligi posse, versionem simplicem ex Origenis Hexaplis esse factam. Usus enim versionis graecae notarumque Origenis toto caelo differt ab aetate versionis simplicis, de qua quaeritur. Praeterea ex eodem Gregorio, quem locum affert D. luculenter patet, usum versionis graecae fuisse tantum inter Syros occidentales doctiores, eundemque non attingisse aetatem usus atque auctoritatis versionis simplicis, cuius aetas antiquitas potius ex hoc ipso usu atque auctoritate, quam tuta est, postquam nova versio Syriaca ex septuaginta virali facta, innotuerat, huic, atque adeo operi Hexapli Origenis ipsi, praeposenda videtur.

Huic argumento Semleriano simile est ultimum, scilicet, fieri vix potuisse, ut interpres Christianus textum hebr. Iudaeorum, de quibus Christiani multas ob causas male sentiebant, praeferreret Hexaplis Origenis, viri summi, et maxi-

mae auctoritatis, cuius opus postea quoque ab interpretibus Syris saepissime sit adhibitum. Cui Dath. ita respondet: *Primo, quis non videt, Virum Cl. sumere in hac ratiocinatione id ipsum, quod est in quaestione, nempe aetatem versionis simplicis posteriorein esse Hexaplis Origenis. Etenim interpreti Syro optionem tantum relinquit inter textum hebr. qui in Hexaplis Origenis legabatur, et inter Codd. hebr. Iudaeorum eiusdem aetatis. Deinde, quid impedit, quo minus interpretes ipse fuerit Ex-Iudaeus, qui vel non haberet copiam Cod. Hexaplaris, vel malebat uti Codice et textu cui erat adfuetus. In eo quidem assentitur Semlero, ex fragmentis, quae apud doctores, veteris ecclesiae ex Hexaplis Origenis sub nomine του Συρου commemorantur, nihil posse tuto ad aetatem versionis simplicis colligi. Etenim ut certo dici nequit, utrum Origenes ipse illam notam in opere posuerit, an Patres sequioris aetatis lectiones versionis Syriacae, quaecumque illa fuerit, margini Hexaplorum adscripserint; ita certissimum est, istas lectiones non pertinere ad versionem Syrorum simplicem. Quod ut pateret, recensuit p. XVI. sq. lectiones του Συρου, quas hoc nomine Patres ex Psalmis laudant, eas certe, quae a Montefalconio collectae in Hexaplis extant, indicata sunt lectione versionis simplicis. Atque hic tanta varietas conspicitur, ex qua facile quisque possit intelligere, non esse versionem Syrorum simplicem, quae Syri nomine in Hexaplorum fragmentis laudatur.*

His praeclare demonstratis, suam profert de aetate versionis simplicis sententiam. Tantam quidem eam non esse putat, quantam ei Scriptores Syri tribuunt, neque etiam Origene iuniorem: sed media via incedit, atque ei tempus assignat sub finem Sec. I. aut initium II. Quod quidem tempus discrete non determinat, sed tamen ex iis, quae dixit, id potest satis perspicue colligi. Non omnino repudianda ipsi videntur testimonia Syrorum de aetate versionis simplicis, non ut plane iis assentiantur, sed ut eam eius aetatem, quae quidem ei per reliqua facta historica tribui potest, his testibus non temere

temere negat. Etenim de origine versionis simplicis aeque inter eos constare debuit, ac de alterius ex graeco factae, si utraque communem fontem, Hexapla Origenis, habuisset. Quum vero huic non maiorem, quam vere habet, aetatem tribuant, causa patet nulla, cur illam ad remotiorem aetatem retulerint, ut ei maiorem auctoritatem conciliarent? Ea iam tum fuit maxima; quod ipsum antiquiorem aetatem prodit. Quod vero Syri ei originem adeo remotam tribuunt, id videtur factum esse ex defectu testimoniorum historicorum, quibus tamen non prorsus destituuntur ii, qui aetatem eius ad finem Sec. I. aut initia II. referunt, ut Pocockius et Waltonus, apud quos haec testimonia, qui velit, poterit legere.

Pergimus ad alteram quaestionem, aeque difficilem, de auctore huius versionis, utrum Iudaeus fuerit, an Christianus, utrum unius, an plurium in ea conscientia partes fuerint? In qua quidem tractanda ita versatur Dath. ut, breviter commemoratis Syrorum testimoniis, diversis illis, aeque adeo incertis, ea argumenta proferat, quae, cum historica extent nulla, ex ipsius versionis indole petita sint. Interpretem igitur fuisse putat gente Iudaeum, patria Syriae partis incolam, religione Christianum. Ac primum quidem maxime probabiliter inde colligit, quia interpret, ut facile intelligi potest, si versio Syr. una continuatione legatur, linguae hebr. fuit peritissimus, qui ut sensum verborum hebr. ipse vidit, ita eundem non quidem semper, (nam interdum etiam erravit, quorum errorum alias, quam ignorantiam, causas esse patet, sed tamen ut plurimum, clare indicare conatus est; quae peritia non Syrum arguit, nam cur Syri operam darent linguae iam dudum mortuae? sed potius interpretem ex Iudaeis, qui a prima pueritia imbuere solebant liberos lingua maiorum. Quoniam vero usus est dialecto Aramaea, i. Antiochena vel Comagena, inter reliquas elegantissima, eum partis illius incolam fuisse, cum magna veri specie colligitur. Nec probabilitate caret, quod Christianus fuerit. Solet enim

saepe tropos verbis propriis exprimere, aut cum aliis facilioribus mutare, ut Pf. XVIII, 3. et fere semper in eiusmodi nominibus, quae Davidis Deo tribuit ad spem suam indicandam, v. c. petra, et reliqua; quae breviter dicta sunt, uberius explicare, ut Pf. XLIX, 15. interrogationes affirmantes in propositiones affirmantes mutare. Quid? quod Pf. CX, 3. fidem suam de aeterna filii Dei generatione a patre testatur; quae omnia non facile expectes ab homine Iudaicae religioni adhuc dedito. Alteram huius quaestionis partem, pluresne, an unus tantum huius versionis sit auctor, ita tractat Cl. D. ut non quidem simpliciter neget, versionem Psalmorum admodum discrepare a versione Pentateuchi, ceterorumque librorum, quod quisque harum rerum peritus facile potest intelligere, si leviter modo hanc versionem inspexerit. Neque enim ullus versionis Syr. liber, praeter unum Psalmorum, tot habet verborum tropicorum difficiliumque explicationes, tot errores scribarum, magnum a recepta lectione dissensum efficientes, tot denique hallucinationes interpretis, aut vitia codicis, quo usus est, ex literarum similibus confusione orta. Atque haec diversitas potest sane suspicionem movere, uno plures fuisse interpretes. Verum non ita est. Aliunde enim, quam ab auctoribus diversis, originem trahere potuit haec diversitas, ut ex coniectura ostendit Vir Cl. non improbabili, et valde ingeniosa. Non quidem assentitur Rich. Simonio, qui Syros accusat auctores inaequalitatis obviae in versione simplici, quippe qui eam passim correxerint ad versiones alias, ipsis usitatas, et ex versione τὸν ὁ factas. Quam quidem correctionem, sive interpolationem, non prorsus negat D. nec tamen eam factam esse putat in huius generis lectionibus, de quibus iam quaeritur, nimirum, quarum ratio ex diversa lectione peti nequit, et quae a versione graeca differunt. Deinde, cur plures in Psalmis occurrunt eiusmodi mutationes, quam in reliquis libris, atque etiam in quibusdam Psalmis plures, quam in aliis, si Syri versionem simplicem septuagintavirali conformem reddere voluerunt? Causam

fam igitur infoliti huius dissensus repetendam esse putat ex frequentiori usu Psalmodum, in sacris publicis praelectorum, ac propterea peculiaribus voluminibus a Syris Christianis decriptorum: quo factum sit, ut partim in parvos hosce Psalmodum libellos plures scribarum aberrationes irreperent, quod frequentius descripti fuerint; partim ii, qui eos sibi describendos curarint, margini explicationes vocum phrasiumque difficilium adscriberent, quae deinde, ut factum est in aliis libris, textui ipsius versionis sint insertae. Quae coniectura ut est in se probabilis, fit tamen probabilior ex eo, quoniam, cum in descriptionibus rituum observandorum a Syris in ordinandis ecclesiae ministris, saepe mentio fit Lektionariorum et Psalteriorum, satis tuto colligi potest, ecclesiasticos huius generis libros vere apud Syros fuisse in usu. Atque ex eiusmodi Psalteriis edita est versio simplex in Polyglottis Paris. et Anglicanis. Ex his igitur colligit, in Codd. integris versionis simplicis, qui Psalmos non in hunc usum ecclesiasticum scriptos contineant, neque ex eiusmodi libello descripti sint, cuiusmodi Codd. aliquos commemorat le Long, librum Psalmodum fortasse multo cum minoribus mutationibus legi, adeoque hanc partem huius versionis non magis, quam reliquas, a textu hebr. dissentire.

Veniamus ad tertiam quaestionem, de usu critico huius versionis. Ac neque in hac assentiri potuit Simonio, qui exiguam omnino huius versionis utilitatem esse iudicat, ob vitia scribarum, passim obvia, interpolationesque ad versiones Syriacas et Arabicas, factas ex graeca. Quod si enim propter has causas versio aliqua sua destituatur ad rem criticam utilitate, sane nulla superest ex universa antiquitate, ex qua fructum aliquem sperare possis. Nam omnes eiusmodi mutationibus et vitiis scatent. Immo vero plura deprehendi dicit in versione τὸν ε', quam in versione simplici Syrorum, quod luculenter patet ex collatione utriusque versionis, si modo in uno Iesaiæ libro instituat, in quo Syrus interpres
plerum-

plerumque cum in universum, tum praecipue in locis c. IX. XXV. XXIV, 3. in quibus, ut in toto Iesaiæ libro, *ô ô* tantopere hallucinati sunt, cum textu hebr. consentit, et sensum dat planum et perspicuum. Ac propter has ipsas causas plane non audiendus est Gregorius Bar-Hebraeus, qui parum honorifice iudicat de hac versione, eamque *concuissimum fundamentum* vocat, permotus, ut haud obscure intelligitur, nimio erga versionem graecam favore. Longe aliter sentiunt alii, iique celeberrimi Syrorum doctores, qui maximo-pere laudant hanc versionem, eiusque dotem praecipuam commemorant hanc, quod textui hebr. bene respondeat. Id quidem negari nequit, neque etiam a doct. D. negatur, passim eam ex aliis versionibus esse interpolatam, nec tamen ita interpolatam, ut omnem ipsi denegare possimus auctoritatem criticam. Quodsi enim interdum consentit cum versione graeca, id ex Codicum diversorum consensu habere potest originem; ad quod recte dignoscendum iudicio critico opus est, sine quo omnino parum in his rebus proficitur. Et profecto requiritur adhuc, quod valde probat Cl. Dathius, Semleri iudicium, criticum huius versionis examen; idque, quam quidem factum est, accuratius, antequam usus eius ad collationem cum textu hebraei, tum reliquarum versionum antiquarum, tutus esse et fructuosus possit. Quem laborem, quantum quidem possit, in se susciperet D. doct. vehementer optandum esset, in primis cum iam in hac Psalterii editione laudabile fecerit initium. In qua quid praestiterit, nunc restat dicendum.

In textu Syr. describendo, et versione lat. adicienda, fecutus est exemplum editionis Erpenianae Psalmorum, quae quaternis Lugd. Bat. prodit MDCXXV. cui tamen plane novam dedit speciem. Primum enim vocalium notas adscripsit, quibus editio Erpen. caret, ut neque tirones, neque magis exercitati, primo statim adspectu molestiae fuga a lectione deterrerentur. In quo quidem labore, taediofo sane et valde molesto,

molesto, secutus est lectionem, quam Angli in Bibliis Polyglottis vocalibus adiectis indicarunt, quamque b. Michaelis in Syriaco regulis comprehendit. Propter hanc causam puncta diacritica, quibus instructus est textus Erpenianus, et quae Syri, cum sine vocalibus scribunt, literis quibusdam adiacere solent, ad genera et personas in verbis facilius dignoscendas, delevit, relictis tantum punctis Ribbui et subscripta literis, ubi regulae grammaticae requirunt, linea occultante. Tertio literis Estrangulo, quibus numerus Psalmorum in editione Erpen. indicatur, mutavit cum usitatioribus, versusque numeros ex ordine Syrorum omisit. Sphalmata denique, quae in Erpenianum textum irrepserant, non multa quidem, sed nonnulla tamen, correxit. Observavit in transcribendis vocalium notis ex textu Anglorum ad Erpenii textum frequentem dissensum Codicum, quibus Angli usi sunt, scilicet unius Usseriani, et duorum Pocockianorum, ab Erpenianis valde discrepantium. Igitur ab initio libri usque ad finem omnes lectiones diversas diligenter annotavit; quae, etsi non sunt semper maximi, nec tamen nullius momenti. Contulit etiam quosdam ex Psalmis cum Cod. MS. Bibliothecae Orphanotrophei Hal. (nam quo minus omnes conferret, impedit eum nimis fera eiusdem oblatio,) sed nullas observavit varias lectiones, nisi leviores, attamen inscriptiones alias, quam quae in Polyglottis Lond. leguntur, easque ut plurimum breviores. Ceterum inscriptiones, sicut etiam Erpenius fecit, plane omisit, quia sunt nimis longae, nec magnae utilitatis, sed versionem addidit Erpenianam, tenacem eam quidem verborum Syriacorum, et parum latinam, sed tamen ad significatum vocabulorum cognoscendum non inutilem, quippe quae est instar indicis, quem iustis de causis doct. D. non placuit addere. Nec tamen prorsus immutatam adiciendam curavit versionem Erpenii, quin potius in multis locis correctam et emendatam, cuius rei specimen quaedam infra dabimus. Ac propter has mutationes, quas experta est editio Erpeniana, magnum profecto huic Psalterio

rio Syr. statuendum est pretium, maximum tamen propter notas, quas D. addidit, quarum nunc quasdam afferemus, ut de iis iudicare possint lectores.

Sunt autem duplicis generis, vel criticae, vel philologicae, in quarum priori deseruit Auctor morem plurimorum Criticorum, res minutas et nullius utilitatis anxia cura enarrantium, aut sterilem quendam coniecturarum indicem exhibentium. Ampla sane ipsi data fuisset observationum materia. Sed praecipuas tantum commemoravit, *quae fortasse non cuius lectori statim in mentem venirent, aut attentionem eius dirigerent, aut viam ostenderent ad alia loca relictius diiudicanda.* In his igitur vel emendat loca vitiosa versionis Syr. et quid legerit interpret in textu hebr. et unde vitiositas orta sit, plerumque coniectura indicat, quae ingenium Auctoris et acumen prodit; vel lectiones Syri faciliores receptisque meliores commendat, ea tamen, quam iam in ipso laudavimus, modestia, et quae decet Criticum, in primis librorum S. vel in locis memorabilioribus consensum Syri ad vindicandam receptae lectionis integritatem commemorat; vel denique, ut paulo ante diximus, dissensum, qui est inter textum Erpenianum et Anglicanum, diligenter observat, adhibitis semper ceteris V. T. interpretibus antiquioribus. Ac prioris quidem generis sunt: Pf. II, 9. ubi pro **תִּרְעָם**, confringes eos, Syrus legit: **תִּרְעָם**, pascas eos, ut et *is o* et Arabs, sed Chaldaeus cum nostra lectione consentit. Pf. IV, 7. secundam personam Syrus mutavit in tertiam: *expandet super nos lumen faciei suae*, quae mutatio inde orta est, quod cum ultimo huius versus vocabulo, *lova*, sequentem versum incepit, atque haec verba, sicut proxime antecedentia, pro verbis optantium salutem habuit. VII, 7. loco **בְּעֵבְרֵי**, literis transpositis, et **ב** cum **פ** mutato, legit: **בְּעַרְפֵּי**, vertitque: super cervicibus. Male! nam *עַרְף* est mascul. XV, 3. loco **וְחָרְפָה** legit: **וְשָׁחַד**, quae lectio, haud dubie ex v. 5. orta, non est probanda, cum ob

con.

consensum interpretum omnium in nostra lectione, tum ob contextum. XVIII, 46. יחרגו vertit: claudicarunt, ut $\acute{o} \acute{o}$ et Arabs, literis transpositis legit יחרגו, quod Chaldaice et Syriace est claudicare. XXXI, 4. male Syrus תבחרבי confudit cum תבחרמבי et praeterea ultimum verbum תבחרלבי prorsus omisit. Utrumque recte legerunt $\acute{o} \acute{o}$ et quoad sensum bene verterunt. XXXVIII, 20. pro חייט legit: חייט. XXXIX, 2. pro מחסוב legit: מחשא, literarum non magno discrimine, aliisque punctis subiectis. Non melius $\acute{o} \acute{o}$. Interdum deceptus fuit interpres noster, aut Codex, quo usus est, vitia multa habuit, ex sono simili vocabulorum orta: v. c. Pf. XXXVIII, 19. omnes interpretes נדננ vertunt: sollicitus ero, sed ille: mundabor. Scilicet non multum differt quoad sonum ab נדנכ, cui hebr. נדנכ respondet. Hoc igitur Syrus in textu hebr. legit, aut legere sibi visus est, quanquam נדנכ in linguis chald. et syr tantum est in usu. XXXIX, 12. loco עש, tinea, legit קש, stipula. XLIX, 9. pro חדל legisse videtur עמל, quae lectio ex confusione duarum literarum gutturalium ח et ע, gutture rauciori ex more Orientalium pronunciatarum, facile oriri potuit, et ח cum מ mutata. Confudit Syrus etiam verba, suae linguae propria, cum verbis hebr. ut Pf. XXXIX, 3. verbum Syr. חש doluit, cum hebr. חשה, siluit. LXX, 4. loco עמוריה legite עמוריה, vertitque: incolae eius, ex significatione Syriaca, quam lingua hebr. ignorat. LXXXIX, 48. חלית vertit: fovea, quae significatio linguae Syr. propria est, hebraeae inutilata. Alias recte vertit; hl. autem error ortus est ex eo, quod loco מה legit מן. Interdum addit interpres noster quaedam, ut Pf. CVI, 29. integrum comma, quod tamen apud nullum interpretem antiquum reperitur; continet autem explicationem praecedentis. Idem fecit CXIX, 48. ubi tamen $\acute{o} \acute{o}$ etiam eiusmodi additamentum videntur legisse, quamquam non omnino idem. Pf. CXLV, qui est alphabeticus, omisa est in textu hebr. una litera \acute{o} . Sed Syrus hunc defectum

supplet, et v. 13. substituit integrum comma, in quo consentientes habet omnes interpretes veteres, uno Chaldaeo excepto. Nec tamen in ullo Cod. reperitur. Sumtum autem est prius eius membrum ex Deut. VII, 9. posterius ex v. 17 huius ipsius Psalmi. XLV, 13. explicationis causa ex v. antec. repetit: supplicabit tibi; quae explicatio, sive lecta fuerit in Cod. sive non, placet D. Eadem ratione *ó ó*, modo in Plur. Omisit etiam nonnulla, interdum singula verba, ut Pf. X, 9. *נחשה עבי*, male! quia hoc modo magna vis et elegantia sermonis periret. XXVII, 11. *למען שררי*, quae verba *ó ó* bene exprimunt. In eodem Pf. v. 13. omittit verbum notabile *לול*, ut omnes interpretes, praeter Chaldaeum; interdum vero etiam versus integros, ut Pf. LX. ult. et CIX, 10. quem tamen, ut et illum, reliqui interpretes omnes habent, quanquam hunc cum aliqua mutatione. Interdum in uno eodemque versu omittit quaedam, et substitit alia, ut XXXV, 7. in quo ceteri interpretes cum textu hebr. consentiunt.

Haec ad notas, in quibus textum versionis Syr. correxit. Veniamus ad eas, in quibus lectiones Syri probat, receptisque praefendas, vel faciliores esse ostendit. Pf. XI, 1. legit *נורי* et *הרי* pro *הרכ*, quo sensus communis efficitur, scilicet: fuge in montes sicut avis, i. e. quam celerissime. Eodem modo *ó ó* et Aquila. Originem lectionis receptae inde repetit, quod lectum fuerit: *כורי הר כמו צמור*, et scribae vitio duae literae particulae *כמ* substantivae *הר* iunctae sint. XXII, 6. *יפח* aliter legit, fortasse: *אפי*, aut: *הן פי*, ita et *ó ó* et Symmachus, quo sane sensus facilius efficitur. XXVIII, 8. pro *למו*, cum *מו ó*, Arabe, et Vulgato legit: *לעמו*, quod contextus et locus parallelus Pf. seq. v. 11. requirere videtur. XXX, 13. *כבוד* vertit in accusat. cum in hebr. textu sit nominat. hoc modo: *psallam tibi gloriam*, ex versione Erpenii. Ad hunc versum egregiam observationem reperies de significato poetico
voci

vocis ככח, pro anima, quam tamen non hl. sed tum tantum obtinere putat, quando affixum habet pronomen primae personae. LXXIX, 7. cum reliquis interpretibus antiquioribus omnibus, loco: אכל legiti: אכלו, quam lectionem praeter contextum, et allegationem huius ipsius loci Ier. X, 25. confirmant etiam duo Codd. MSS. a Kennicotto laudati. LVI, 9. *Ponis lacrimam meam* בכננה, *in utraque*. Phrasis plane inusitata! Sed Syrus cum ceteris, praeter Chaldaeam, levissima mutatione facta, legerunt: בכנה, aut: לנה. CIV, 11. *Unagri sitim suam* ישברו, *frangunt*. Syrus: ישבעו, *fatiantur*, s. sitim explent. O. o paulo aliter, sed non ad Syri facilitatem. Nec tamen ubique varias lectiones sibi vilis est reperire D. sed admonet potius lectores saepius, ut discant sibi cavere a *periculis* temeraria. Ita XXXVII, 31. putares, Syrum et ceteros pro חמער legisse: חמער, aut ita legendum esse, propter sequens Substantivum pl. num. אשירו. Sed non ita. Elegans enim est apud Arabes constructio nominis pl. cum singulari foem. gen. ut Schulkenus probavit, et clarum est ex multis locis. XCVII, 1. lectio textus hebr. אור זרע Cappello ob metaphoram inusitatum dura videtur. Syrus sane et ceteri clarius: orta est lux. Sed recepta lectio non est sollicitanda, modo teneatur, verbi זרע ut et cognatorum זרה et זרה significationem primariam esse in *spargendo*. Insunt etiam in hac versione lectiones quaedam, quibus uti potest Criticus in lectionibus textus hebr. dubiis diiudicandis vindicandisque, ut Pf. 10. ubi in notabili illa voce Singularem Syrus expressit. XXII, 7. Itat pro lectione כרו s. כארו. LV, 22. et aliae eiusmodi, de quibus diligenter admonuit Cl. D. In primis digna est observatio ad Pf. CV, 28. quae in hanc rem legatur.

Observationes Philologicae, quarum nunc quoque specimen quaedam dabimus, pertinent vel ad integra loca, vel ad singula verba, cum hebr. tum Syriaca. Prioris generis sunt: ad Pf. XVII, 4. ubi probat explicationem Geieri: *mente*

fere alienatus ad Deum clamavi, cum ob initium v. 7. quod manifeste refertur ad v. 4. tum ob similem phrasin Pf. LXI, 3. ad eundem Pf. XVIII, 34. admodum probabiliter ex parallelismo sententiarum, et loco Hab. III, 19. colligit, כַּמֹּתָי, esse synonymum רִבְנֵי טוֹב. v. 35. בְּחַתָּהּ, in quo valde se torquent interpretes, deducit a כַּחַת, et construit cum זָרַעְתִּי nomine plur. num. ex Arabismo et Hebr. atque ita sensus efficitur commodus, atque adeo elegans: *validissime attrahunt et incurvant brachia meo arcum aeneum*. Ad v. 41. prius membrum, quod Syrus non male explicat, ita vertit: *hostes meos mihi neci dos tradit*. coll. Exod. XXIII, 37. et parallelismo seq. membri. XXII, 30. defendit in ultimis verbis, in quibus Syrus et *ὁ δὲ* legerunt: כַּפְשִׁי, integritatem lectionis receptae, explicatque per ellypsin אֲשֶׁר, hoc modo: *qui animam suam n. r. se ipsum servare non potest*, sensu plano et facili. CXXXVII, 5. probat explicationem, quam interpres noster dat verborum hebr. תִּשְׁכַּח יְמֵי בִי, adiecto affixo primae personae: *obliscatur mei dextra mea*, i. e. non amplius munere suo fungatur, luxetur, aut torpore corripitur. Nam versus seq. manifeste hanc interpretationem confirmat, et similis quoque phrasin est Iob. XXVIII, 4.

Haec de interpretationibus integrorum locorum et phrasium; venimus ad verba singula. Pl. XIX, 4. vocem valde vexatam קָרַע cum Pocockio interpretatur per clamorem, ex ling. Arab. in qua verbum קָרַע signif. clamare. Hinc veteres interpretes, hanc significationem non ignorantes, ut *ὁ δὲ*, per *ἄσπετος* exprimunt, ex quibus et Paulus ita Rom. X, 15. Symmachus per *ἄσπετος*, Hieronymus et Vulgatus per sonum. XXXVII, 3. אֲמַרְנָה intelligit de *securitate*, hoc modo: *tunc terram inhabitabis, et secura quiete fruereis*. XCI, 4. סָחַר significare *clitrum*, cum ex voce צָחַר, cui ut synonymum iungitur, tum ex etymologia ostendit. Nam סָחַר in primaria significatione est: *circumivit*, hinc secundariae, *negotii* in lingua hebr. et *mendicandi* in Syriaca: de qua ad Pf. CXXI, 7. latius egit. CXXXVII, 3. diligenter egit de voce admodum

dum difficili ללח, cuius significationem primariam ex lingua Chald. vel Syr. repetit, in qua est: *exaltavit*, affertque fragmentum graeci cuiusdam interpretis anonymi, quod Drulius exhibet: *οι καταλαζενόμενοι ημων, qui arroganter se gerant adversus nos*. Atque haec versio nostri loci bene conciliari potest cum significatione exaltandi, si dicamus, hanc primariam significationem translata esse in lingua hebr. ad factum et elationem animi, eodem modo, quo Hebraei נבה usurpant. Addere potuisset Vir Cl. etiam in lingua hebr. ut nobis quidem videtur, primariam significationem non plane esse inusitatam; occurrit enim Ezech. XVII, 22. ubi de monte dicitur, et נבה נף ut synonymum additur. Quod si ita est, multum sane facit ad ipsius explicationem probandam. CXXXIX, 5. protulit eruditam observationem Schultensii de verbo נרה, quod hl. ex lingua Arab. sit: *cognoscere*, ut etiam Syrus vertit; idque probat partim ex phrasi, Arabibus valde usitata, qua *cingere aliquid scientia* dicunt pro: *accurate aliquid nosse*, sive simpliciter *cingere* pro *cognoscere*, partim ex collatione verbi Arabici نره, scire. CXI, 11. vocem ἀπαξ λεγ. בטרה, quam Syrus omisit, erudite illustrat ex lingua Arab. Scilicet a verbo טרה est substant. טרה, quod omni ex parte respondet hebr. טרה et significat effusionem et impulsionem vehementiorem aquae, et speciatim pluviae; atque haec significatio, ut facile quisque ex contextu potest intelligere, aptissima est huic loco. His observationibus similes sunt, quibus dictionem Syriacam illustravit. Pl. X, 17. doctè agit de vocabulo לוט, quod respondere monet graeco ιτοιμασις, omnemque apparatus ad alacriter aliquid agendum indicare, a quo deinde traductum sit ad alias quoque res vitae communis. Igitur Syrus interpres non inepte *prætes piorum* vocat *præparati nem s. potius approbationem cordis eorum* atque etiam *οι δ* eodem modo, quanquam a textu hebr. alieno, hunc locum verterunt: *ην ιτοιμασιαν της καρδιας αυτων*. Eodem verbo Pl. XXI, 3. Syrus exprimit vocem hebr. ἀπαξ λεγομενην

μίσσην ἢ ἰσχυρὰν quam ὁ ὁ per δεικνύει verterunt, et Arabs
 שׁוֹמְלִים, petitionem. LXVIII, 14. explicat vocem **سَمَل**,
 quae est a **سَم**, polire, limare, sicut chald. **שׁוֹמְלִים** terere,
 atterere; hinc Substantivum in lingua Syr. significat stimu-
 lum, f. spinam pungentem, quo nomine Orientales in stilo
 sublimiori hostes solent insignire, ut 1 Sam. XXIX, 4. In
 N. T. legitur 2 Cor. XII, 7. de stimulo Paulum pungente.

Restat, ut emendationum, quas experta est versio la-
 tina Erpenii, pauca quaedam exempla afferamus. Pf. V, 13.
 verba: **שׁוֹמְלִים** verterat Erpenius: scutum com-
 placentiae. Parum accurate! Nam nomen non est in statu
 constructo, neque **שׁוֹמְלִים** est nomen, sed participium
 in Pael, quod in eadem forma legitur Luc. IV, 19. et in
 masc. Pf. XXII, 6. Igitur vertendum erat: scutum acce-
 ptum. XXI, 7. Erpenius, ut antecedentem versum, interro-
 gative verterat. Non bene! Nam **שׁוֹמְלִים** sequente? ut
 aliae particulae, ita constructae, amittit vim interrogandi.
 CXXIX, 3. **שׁוֹמְלִים** non bene verterat: flagellantes, quia tum
 esse deberet Particip. in Pael, in qua coniugatione verbum
 ipsum hanc significationem tantum habet. Sed hl. est no-
 men, flagellatio, plaga, cuius pluralis etiam in N. T. le-
 gitur. Deinde **שׁוֹמְלִים** active verterat, cum contextus si-
 gnificationem passivam requirat, quam etiam in quibusdam
 locis habet, quorum nonnulla hic allata sunt. CXXXIX, 17.
 versionem textumque ipsum mutavit doct. D. scilicet locum
וְיִשְׁמְרֵם, misericordiae tuae, substituit **וְיִשְׁמְרֵם**, amici tui,
 quae lectio est in Bibliis Angl. et textui hebraico conveniens.
 Sed haec sufficiant.

ONOSANDRI STRATEGICUS AD CODD. MSS.
 fidem expressus, et ex antiquorum Tacitorum potissimum
 collatione, notis perpetuis criticis emendatus, nec
 non figuris aeri incisus illustratus, cura et studio
 M. NIC. SCHWEDELII.

Norib. 1762. fol.

Paullo serius indicamus librum, de cuius accessione gratulandum est reipublicae litterariae, potissimum criticae, sed nihil speramus, tarditate nostri iudicii pretio eius ac laudibus decessurum. Nos quidem, qua in aliis iam usi sumus fide atque industria, eadem in hoc quoque recensendo utemur. Partemur autem rem omnem sic, ut primum de universo Cl. *Schwedeli* consilio aliquid disputemus, deinde vero de singulis aliquot locis sententiam nostram dicamus.

Ante multos iam annos laudabile consilium ceperat vfr doctissimus, edendi huius Strategici; sed deficiente, (ut sit,) bibliopola candido et liberali (quor enim sunt talium?) perfici res diu non poterat. Interim tamen, quum Scriptores, huic instituto necessarios, cum cura iam pervolutasset, haberetque in promptu non modo excerpta e variis lectionibus quatuor codicum MSS. quos iam *Rigaltius* contulerat, verum etiam duo alios, Bavaricum et Nagelianum, et Florentini cuiusdam lectiones, praeterea accepisset ab Cl. *Oudemdorpio*, Iof. Scaligeri et H. Vossii in Onosandrum emendationes criticas: tandem adduci se passus est *Lichtenstegerus*, Chaleographus Norimbergensis, ut, suscipiendis in se huius novae editionis sumptibus, operis utilissimi evulgationem promoveret. In quo quidem Cl. *Schwedelius* versatus est sic, ut textum vulgarem, h. e. Rigaltianum, secutus, suam de locis corruptis, (qui in hoc libro saepe multi sunt,) sententiam, in notis subiectis diceret. Ac negandum non est, has

R r

notas

notas esse longe doctissimas; et Cl. Schwebelium multa loca corrupta, partim codicum ope, partim ingenii acuminis, integritati suae restituisse. In quo non parum adiutus est, conferendis scriptoribus reliquis Tactici, Arriano, Aeliano, Mauricio, Constantino Porphyrogeneta, sed et aliis cognatis, ut Xenophonte, Polybio, Polytaeno, Frontino, et Vegetio, quos omnes instituti huius causa, cum diligenter legisset, non modo ipsius verba, (ut interdum in aliis vidimus,) sed et ipsa res, et aspectus libri docent. Maximum vero usum ei praestitit Leonis Imperatoris liber argumenti eiusdem, cuius loca permulta ad verbum exscripta sunt ex Onofandro. Atque utinam multi essent e veteribus, in quibus haec ratio locum haberet, quam in paucis quibusdam tam felici cum successu a viris doctis adhibitam constat, velut in Paulo Orosio, et aliis sequioris aevi scriptoribus, ad emendandos antiquiores, Livium v. c. quos illi suo quidem dedecore, sed magno posteritatis criticae commodo, ad verbum saepe exscriperunt. Est enim ea ratio tutissima, ac tantum non codicum ipsorum vicaria, ut vel ex ipsa hac Onofandri editione legentibus apparebit. Quod ad ipsas Cl. Schwebelii notas attinet, maxima pars earum sunt e genere critico, caeque, ut iam diximus, eruditissimae; pauciores e grammatico, quod sensum auctoris breviter declarat, et aliis exemplis illustrat; paucissimae reales, ut vocant, h. e. ad rem militarem aut prudentiam spectantes. Atque haec ipsae quoque, sine ullo lectorum dispendio, poterant abesse. Qui enim Onofandrum graece legunt, profecto non sunt ipsi milites aut duces bellici; qui vero huius generis sunt, non legunt textum Graecum et notas, sed versionem Francicam. Nos optaremus potius, ut eorum loco maior esset copia grammaticarum, qui vere est campus, et quasi fundus boni veterum editoris atque interpretis. Iam etsi Cl. Schwebelium diffiteri non possumus, multa verba singula Onofandri bene explicasse, et locis parallelis copiose illustrasse, quod vel index Graecus, operi adiunctus, (quem confecit Cl. Gottleberus,

rus; scholae Annaemontanae nunc Rector dexterrimus) abunde docet; tamen non adeo frequens est in eo genere, quod nos h. l. per grammaticum maxime intelligimus, h. e. quod SENSU LOCORVM explanando, et παραφρασεως vertendo, indicandis constructionibus raris ac difficilibus, συγχύσεις, συνίσεις, idiotismis, et huiusmodi aliis continetur. Ac profecto, si usquam alibi, certe in hac editione genus hoc erat necessarium, propterea, quod placuit Cl. Editori versionem latinam omittere. De criticis denique notis, quae sunt et numerosissimae, ut iam diximus, et optima, hoc tantum monerimus, Schwebelium doctissimum saepius videri sine causa operosum fuisse, partim in demonstrando modo, quo duae voces cognatae figurae a librariis ineptis permutatae sint, partim in confirmandis lectionibus. Nam illud prius hodie ab omnibus facile conceditur, nec, in singulis locis, demonstratione nunc eget, postquam a tot viris doctis, in tot locis, demonstratum est. In posteriori vero, quanquam accuratissime versatus est; tamen nimis interdum copiosus fuit. Nam etiam tum, cum incidit in lectionem manifeste absurdam, cui refragetur non modo aliquis codex, sed et ipse Leo, aliquot subinde loca ex auctoribus aliis citat, quibus vera lectio confirmatur. Cui bono? Reperimus huius rei exempla multa, v. c. p. 43. n. 6. *ἰών* pro corrupto *ἰτῶν*: p. 63. *ἀνακρίπτεν* pro corrupto *ἀνακρίπτεω*: p. 111. *ἀδικήσαι* pro *ἀδικήσας*, quod sensui repugnat: p. 124. *τοιαῦτα* pro *ποιαῖτα* etc. In his et similibus locis pro vera lectione stat: 1) sensus ipse et ratio, 2) consentit unus codex aut plures, 3) favet denique Leo; quid pluribus opus est testibus? Cur citantur loca aliorum, duo vel tria, in quibus quidem pariter illa vera lectio occurrit, sed longe alia de re sermo est? An sequitur inde, quod v. c. apud Polybium alicubi legitur: *ἔσιν* — *ἔσθον*, ideo etiam h. l. legendum esse: *μὴτ' ἀγῶν ἰών*, non *ἰτῶν*? Nullo modo. — At haec vera huius loci lectio est, *ἰών*. — Recte; sed non propter illum locum Polybii, verum propter sensum, propter codicem, propter Leonem. Ita-
Rr 2
que

que hæc copia nihil aliud, nisi ad augendam sine causa libri molem ac pretium pertinet. Ac volebamus etiam Cl. Schwebelium propter formam libri et figuras aeneas, quæ sine necessitate adiectæ sunt, reprehendere, nisi opportune incidissemus in *Harlesii Vitas Philologorum ætatis nostræ*, e quibus didicimus, Vol. II. p. 126. non solere Noribergæ ullum chalcographum ullius libri furtus in se suscipere, nisi auctor addat figuras, vel nummos, vel alias imagines quascunque, si eae conveniant libro, siue minus. Egregiam vero consuetudinem, et nostro ævo dignam! Quid prius doleamus? An virorum doctissimorum vicem, quibus tales librarii accidunt? An ævi nostri barbariem, quæ in media litterarum luce tam enormis est, ut ne ab stultissimis quidem consuetudinibus, magno reip. litterariæ malo, latum anguem recedatur?

Sed nunc veniendum est ad singula, ac de aliquot locis separatim dicendum, ut ante promissimus. — Pag. 4 - 5. de loco: „Καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς φρονήσεως, εὐὶ ὑχάμν τ' αἶν, εἰ Ἄ Δ' Η ΡΩΜ ΑΙ-
; ΟΙΕ δυνάμει καὶ δι' ἐργον πράξαι, τὰντ' ἐγὼ λόγῳ περιλα-
; βεῖν ἰκανὸς εἶναι δόξαιμι, habet coniecturam duplicem: alteram, ut pro δὴ reponatur δέ; alteram, ut pro Ρωμαίους legatur Ρωμαίος; et, utra melior sit, videtur dubitare. Nos quidem, sine dubitatione omni, posteriorem prætulimus: primum, quia est simplicissima, et planissima, tollit enim, sublata una littera σ, omnem difficultatem; deinde, quia prior, est quidem et ipsa plana, sed tamen sensum non satis commodum efficit. Sermo enim h. l. non est de necessitate officii morali, quasi dicat Onofander, *quæ Romanis faciendæ sunt*, sed de physica potius, qua effectus quantitate respondent suis causis, ac tales cognoscuntur, q. d. *quas consentaneum est, Romanos pro instâ et ubique cognita sua virtute fecisse.* Sed hoc sensu dicendum fuisset εἰ ΕΙΚΟΣ (sc. εἰς) Ρωμαίους — πράξαι, quod est verbum hæc in re ordinarium, δὴ autem hoc sensu, quantum quidem scimus, non facile occurrit;

currit; neque id exempla a Cl. Schwebelio allata efficiunt; quippe quae omnia moralem necessitatem officii indicant, non illam, quam nos h. l. diximus. — P. 8. in verbis: *ἂν ἀπόγονοι ἀπαρχῆς Ῥωμαίων ἅπαν τῷ γένει*, praefert lectionem alteram *τῷ γένει*, sed perperam, nostro quidem iudicio. Nam primum in vulgata plerique libri consentiunt, qui consensus plurimum valet; deinde altera illa, quam exquisitiorem putat, ne satis Graeca quidem est. Quanquam enim concedimus, Neutrū apud Graecos saepissime poni pro Masculino, ut *πάν τῷ ἐναντιούμενῳ* pro πάντες οἱ ἐναντιούμενοι; tamen haec forma plane non similis est alteri, *Ῥωμαίων ἅπαν*, ut putat Vir Cl. deest enim hinc primum articulus, qui in illa semper adiicitur; itaque debebat esse *τῷ ἅπαν*. Deinde in illa altera Substantivum cum Adiectivo semper casu convenit, non ponitur in Genitivo; itaque nec debebat esse *Ῥωμαίων ἅπαν* sed *Ῥωμαίων ἅπαν*. Porro in illa forma Substantivum semper postponitur; itaque debebat esse *ἅπαν τῷ Ῥωμαίων*, non *Ῥωμαίων ἅπαν*. Denique neutiquam Graecum est: *ἀπόγονοι τίνος ὑπαρχοῦν τῷ γένει*; et exempla, quae Vir Cl. hanc in rem citat, *προσπίον τῷ γένει*, *Βασιλεὺς τῷ γένει*, iterum huc non quadrant. Non enim quaeritur, an regatur bene graece Dativus *τῷ γένει* ab alia voce quacunque; id nemo negat, et exempla citata abunde docent; sed an hic Dativus *τῷ γένει* recte regatur a suo coniugato *ἀπόγονοι*? hoc negamus, ac propterea lectionem vulgatam retinendam arbitramur. Fatemur, has minutias esse, sed eas tamen ad *ἀκρίβειαν* pertinent, quae summa esse in Criticis et Grammaticis debet. — P. 8. nobis valde placere observationes de verbis: *διὰ πλείους ἔργων εἰδέναι*: p. 9. de *ἀληθῶς ἀγῶνι* ibid. de verbo *μυχανῶσθαι*: pag. 13. de his: *πολυπραγῶδες θαλασπῆλαι*: pag. 16. de verbo *θεῶς συναγωνιστῆς*: ibid. ad verba *ὡς ἀρχοῦν*. Sunt enim ex eo genere notiorum, e quo maiorem in hoc libro frequentiam supra desiderabamus. — P. 28. habet coniecturam elegantissimam, ubi pro *ἐπιτελεῖν χεῖρ τῆ τύχης* legit: *ἐπιτελεῖν — τῆ τύχης*, eamque, cum auctoritate

Leonis, tum argumentis grammaticis, egregie confirmat. Cui adeo subscribere nulli dubitamus. — Par est ratio p. 34. ubi pro *πάλιν*, quod ibi vix sensum habet, *πάνιν*; et p. 35. ubi pro *καθ' ἡμέραν*, quod ineptum erat, quanquam refragantibus plerisque codicibus, reposuit *μεθ' ἡμέραν*. Item p. 38. ubi contra omnes libros, pro *τροφήν* posuit *τροφήν*, postulantem sensu. — Egregia est etiam Obs. quam p. 39. exhibuit, et eadem de causa in textum recepit, *αἶψ' ἢ λαμπραῖς*, pro *αἶψ' λαμπραῖς*; nisi quod hoc fortasse sic defendi potest, ut dicamus, τὰ πλεονεκτήματα regionis *λαμπραῖς* opponi nuda *τροφή*; et *εὐθρονία*, de qua modo Onofander dixerat. Sed tamen Cl. Schwebelii coniectura nobis unice vera videtur. — P. 61. utilissimam notam adiecit verbo *ζωγείω*; collegit enim ibi verba Onofandri rariora, ita ut uno obtutu percurrere aliquis possit. — P. 66. habet iterum coniecturam elegantem, cum pro vulgato *διαπίπρακται φόβω* legit *διατίτραπται*, eamque lectionem exemplis Polybianis bene confirmat.

De versione Francica, cuius auctor est *Gen. Baro de Zur-Lauben*, nihil est quod dicamus, nisi, eam, (et fit plerumque in versionibus Francicis,) paullo liberiores esse, ita tamen, ut sensum auctoris satis feliciter exprimat, quod locis quibusdam percurrendis vidimus. Ac fortasse ea ipsa versio plures huic libro, et lectores, et emtores conciliabit, cupientibus belli ducibus cognoscere, quid veteres de re militari sciverint ac scripserint.

Atque haec sunt, quae de viri doctissimi labore in praesenti dicenda esse putavimus; quae ab illo aequi ac boni consultum iri speramus. Facile enim ille cognoscet, ea, quae contra monuimus, non a livore, sed a candido veritatis studio profecta, nec tam ipsius, quam lectorum causa scripta fuisse. Nam, ut initio diximus, vehementer laudamus eius consilium, nec modo ipsi propter exantlatum tam difficilem laborem, verum etiam reipublicae litterariae, de novo
hoc

hoc munere accepto, impense gratulamur. Neque etiam sine gaudio vidimus, eum, in, exsequendo proposito strenue perrexisse, ac paucis post annis Vegetium, curis suis emendatum, denuo edidisse. De quo libro, in his ipsis Actis, fors brevi tempore, pariter nonnulla dicemus.

*MISCELLANEA PHILOSOPHICO MATHEMATICA
Societatis privatae Taurinensis. TOM. I.*

Aug. Taurinorum, ex Typogr. Reg. 1759. in 4.
140. f. acc. 4. tabb. aeneae.

Postquam Virorum perspicacissimorum studio, Scholasticorum monstra ex Physica profligata, vera philosophandi methodus introducta, experimentis ac observationibus opera insignis impensa, et Mathesis ad solutionem quaestionum Physicarum adhibita: dici vix potest, quanta Philosophia naturalis incrementa fecerit. Nunquam vero ingentes illos quotidie progressus Philosophia fecisset, nisi praeterito aequae ac praesente Seculo, summorum Principum munificentia, Scientiarum Academiae ad eam excolendam institutae fuissent: et nisi ad earum exemplum, laudabili aemulatione, eodem instituto selectissima ingenia in privatas Societates convissent, laboresque suos cum orbe erudito communicassent, atque ita Saeculum nostrum illustrassent. Ingentia commoda, quae ex his in omnem Philosophiam redundant, a multis iam satis comprobata sunt, et facile comprobari possunt vel ex scriptis unius Societatis privatae Taurinensis, quorum Tomum I. in scenam producimus. Tributis is est, perinde ac reliqui omnes, quos ordine recensemus, in duas partes: quarum prima continet Commentarios de iis, quae in Societate acta sunt, a Io. Francisc. Cigna V. Cl. conscriptos; altera vero dissertationes ac opuscula illustrium Virorum, ex quibus saltem nonnulla, notatu digna nobis visa, exhibebimus, caete-

caeterorum, quae non facile in compendium redigi possunt, indices describemus, ut praestantem totius laudatissimi instituti indolem lectores exinde perspicere possint. Commentarii continent sequentia capita: 1) Problema Bellinianum, seu, de ovorum elixatorum cicatricula. Tradiderat Bellinus: cicatriculam, dum ova elixantur, e superficie vitelli in centrum abire, atque in ovis incubatis rem aliter se habere, et cicatriculam post elixationem remanere in superficie. Mirabile id Societati visum, ac post varias observationes et experimenta, quae cum Cl. Balbi dissertatione de eadem materia, Bononiensibus Comm. Tom. II. part. 2. inserta, contulerant, tandem haec eae verissima comperta sunt: in iis ovis, quae decem vel ultra minuta in ebulliente aqua elixata fuerant, repertam cicatriculam ad vitelli superficiem positam, quae comparata cum illa, quam in ovis, quae quinque tantum minuta elixata fuerant, Balbi deprehenderat; cumque omnino similis esse cerneretur, iam nullam superesse dubitationem, cicatriculam, post quodcumque ebullitionis tempus, numquam a vitelli superficie recedere. Ad albidum corpus vero quod spectat, in centro vitelli positum, tum in ovis non incubatis, quod Balbi observaverat, tum in incubatis, quod propriae observationes docuerunt, non reperiri, aut obscurius cerni, quando vel diutius, quam par esset, vel per brevius tempus, in ebulliente aqua ova detenta fuerunt.

II) De varia Barometrorum diversae diametri altitudine Cl. Balbi in Comm. Bonon. T. II p. 1. obvia experimenta examinantur, ac refellitur novis experimentis, indeque deductis rationibus, sententia eius, censentis, minorem angustiorum Barometrorum altitudinem, a maiori tuborum, quibus constant, vi repellente, tuborum capillarum exemplo, esse repetendam; ita tamen, ut repellens vis in superiori vacua barometrorum parte in primis sedem habeat, et, quemadmodum experiundo invenit, frigore ad eam partem admoto imminui possit, restituto calore iterum adaugeri.

III)

III) Cum iam diu Physicis innotuerit, Barometrorum mutationes non solum ex variata atmosphaerae pressione ortum ducere, verum etiam ex vario caloris gradu, qui mercurii densitatem immutat. Quare factum est, ut de corrigendis eorum erroribus, ex calore et frigore natis, sedulo cogitarent; sed plerasque correctiones eiusmodi proposuerunt, quae pro unaquaque barometri observatione experimenta requirerent, aut computationes: quorum alterum difficile erat, alterum incommodum. Iobus Ludolfus V. Cl. in monumentis Ac. Sc. Berol. anni 1749. talem excogitavit correctionem, ut absque experimentis et computis, ex solius scalae barometricae observatione, vera atmosphaerae pressio quocunque tempore cognosceretur; id solum in ea correctione incommodi, quod scalae constructio, quam exhibuit, non admodum expedita videatur, et thermometri comparisonem perpetuo postulet. Alia itaque, ex consilio Cl. de la Grange, proponitur, et quidem eiusmodi, ut nihil in ea re amplius desiderari posse videatur. Nititur ea hoc fundamento: incrementum altitudinis mercurii ex dato caloris gradu natum, est ut altitudo columnae mercurii, quae eidem calori exponeretur, ac proinde, si barometra ex unico inflexo tubo conficerentur, ita ut in crure altero altitudo mercurii unius tantum aut duorum pollicum esset, rarefactionem mercurii et condensationem in eo crure tam exiguam altitudinis differentiam esse effecturam, ut negligi tuto posset; nil igitur aliud esse faciendum, nisi ut scala altitudinum breviori barometri cruri apponatur, sic enim ascensus ac descensus, ex mutata aeris gravitate nati, aeque percipi poterunt, interea dum mutationes ex calore productae sensibilem errorem non pariunt. Quod consilium uberius declaratur, et ad computum revocatur.

IV) Fallacia methodi dimetiendi quantitatem attractionis, a Taylora aliisque traditae, demonstratur.

V) De ascensu ac descensu Thermometr. variis liquoribus madentium ex inflato vento. Ill. Muschenbroeckius notavit in genere, Academici vero rem eandem variis liquoribus tentarunt, atque deprehenderunt: aquam, spiritum vini, lac, acetum,

eremorem lactis, descensum thermometri praestabant: petroleum, essentia caryophyllorum, oleum olivarum, oleum lini, ascensum efficiebant, ac demum oleum tartari per deliquium, ad aeris temperaturam redactum, nihil mutabat, adeo, ut inflato aere thermometer immobile maneret.

VI) In causam extinctionis flammae in clauso aere, prolatis variis ea de re Physicorum sententiis, inquiritur, idque agitur, ut si fieri posset potissima et veritati proxima eruatur: quo in capite curiosissima occurrunt experimenta, quibus variae sententiae refelluntur. Inter dissertationes et varia opuscula primum locum occupat Equitis *Saluti*, de natura fluidi elastici, orti ex incenso pulvere pyrio. Duae, ex quo usus pulveris pyrii invaluit, inter Physicos receptae sunt sententiae, ex quibus ingens illa vis pulveris pyrii explicari solet. Prima est Isaaci Newtoni, statuentis, pulverem tormentarium, quum ignem concipit, abire in fumum flammantem. Explosio itaque ex eius sententia pulveris pyrii oritur ex celeri ac violenta actione, qua tota permixtio subito et vehementer calefacta, rarefit, vel convertit se in fumum sive vaporem, qui denique vapor actionis istius violentia eodem tempore candefactus, flammae speciem exhibet. Eiusdem sententiae est Wolfius, Muschenbrockius, alique. Secunda vero opinio derivat omnem vim pulveris tormentarii a fluido, quod ex incenso eo oritur, et cuius elasticitas cum ante incensionem erat fixa, ac speciem solidi corporis referebat, per vim ignis evolvitur. Quam posteriorem sententiam, etsi Boyleus, Papinus, Io. Bernoulli, de la Hire, Belidor, ac plures Viri illustres amplectantur: in exponenda tamen ratione, qua id fluidum agat, diversam ineunt viam. Illustris auctor, ex institutis summa cura experimentis, docet: Newtoni sententiam ad explicanda phaenomena esse ineptam; deinde analysi fluidi ex incenso pulvere tormentario methodo Hällesii instituta, ad obiectiones Muschenbrockii respondet; atque eam rem uberius dissertatione super hanc materiam sequenti, quae est in ordine septima, declarat.

Secunda

Secunda dissertatione illustr. *de la Grange*, supposita elementari de maximis et minimis doctrina, ex libro Maclaurini, cui titulus: *Traité des Fluxions* p. 238. et 857. docet regulas, ex functione algebraica plurium variarum eruere maxima vel minima. Idem Vir illustris, sequenti dissertatione, ex integratione differentialis aequationis $dy + y X dx = Z dx$, deducit theoriam serierum recurrentium.

Tertia Dissertatione Cl. *Cigni* de Analogia Magnetismi et Electricitatis, ostendit in quibus conveniant aeque ac in quibus illa identitas dubia videatur. Idem sequenti dissert. experimenta de colore sanguinis nonnulla exhibet: quae in 4ta excipit Specimen experimentorum circa putrefactionem humorum animalium, a Cl. Io. Baptista *Gader* conscriptum. Sequenti dein dissertatione Mich. Ant. *Plazze*, chirurgi Taurinensis, fasciculum stirpium Sardiniae in Dioecesi Calaris lectarum, recenset Carolus Allionus. Inde Ambrosius *Bertrandus* V. Cl. observationes de glanduloso Ovarii corpore, de utero gravido, et placenta, a se factas, describit. Mox illustris *de la Grange* meditationes de natura et propagatione Soni exhibet, accuratiori consideratione dignas, atque inter ornamenta huius Tomi merito referendas. Prima Sectio septem capitibus, posterior vero tribus absolvitur. Neutonus, primus mortalium, celeritatem soni complexus est formula algebraica, quae parum experientiae, ac observationibus institutis, re accurate considerata, ablutunt. Quaequodmodum haec Theoria a Physicis quamplurimis recepta, ita a Geometris accuratius examinata inter eas relata est, quae parum solidis fundamentis nituntur, quarumque demonstrationes non sunt in ea luce constitutae, qua radiare debent demonstrationes geometricae. Nemo adhuc exumen propositionum Neutonianarum, demonstrationem theorematum de celeritate soni ingredientium, neque rigore geometrico probatarum, instituit, etsi omnes post illustrem Cramerum multa in his desiderarint. Quare illustris auctor luculentam Prop. XLVII. Lib. II. Princip. Phil. Nat. atque XLIX, quibus tota immedificata est Theoria Neutonia

niana de celeritate soni, analysin instituit, in eaque deprehendit principia, quae partim deducendae theoriae non sufficiunt, partim a vero longe remota sunt. Quibus uberrime demonstratis, Problema: dato numero indefinito particularum elasticarum, quae cum in recta linea constitutae, se in aequilibrio viribus mutuis repellentibus conservent, determinare motum, quo eae, quomodocunque concitatae fuerint, in eo casu, in quo eas ex recta ea recedere non oportet, ferri debeant. Cumque Vir illustr. hoc problema ad aequationes reductum attentius consideraret, illico animadvertit, illud apprime convenire cum Problemate de chordis vibrantibus. Multus itaque Auctor est in declarandis Theoriis, quas summi Viri, Alembert et Eulerus, de Chordis Vibrantibus dederunt; atque in controversia diiudicanda, quam iis Daniel Bernoulli, Taylori defendens theoriam, movit, probeque ponderatis utriusque sententiae momentis, concludit, decisionem controversiae pendere a solutione generali Problematis supra notati; quam generalissimam solutionem exhibet, ex eiusque formulis non solum Danielis Bernoulli, sed et Euleri ac Alemberti constructiones deducit, ac illud generalissime construit: ad Chordas musicas applicat: Theorias sonorum harmonicorum, a Sauverio ac Eulero traditas, novis artificiis eruit, et legem propagationis soni tradit. Agmen tandem claudunt meditationes Equitis Daviet de Fontcenex de quantitibus imaginariis: in quibus primum notantur ea, quae ad declarandam naturam harum quantitatum pertinent; deinde demonstratio ab illustr. Bougainville, in introd. sua ad calculum integralem, de dignoscendis imaginariis a realibus, examinat, una cum demonstratione illius propositionis de dividenda quavis aequatione in factores secundi gradus, traditisque praeceptis ac methodo, de ea rigorose demonstranda multa afferuntur, quae ad dirimendam litem Bernoullium inter ac Leibnitium, de logarithmis quantitatum negativarum agitatam, ac ab illustri Eulero decifam, pertinent.

CHRIST.

CHRIST. ADOLPHI KLOTZII HISTORIA NUMERORUM Obsidionalium: cum Figuris Aeri incis.

Altenburgi, ex Officina Richteriana, MDCCLXV, plagg. 8. in 8.

Pergimus in laudando, quod ill. Klotzcius ad illustranda varia rei numariae capita contulit, studio. Etenim virum doctissimum in contexenda numerorum obsidionalium historia, non minus laudabiliter versatum fuisse, quam in describendis, de quibus nuper diximus, numis contumeliosis satyricisque, ex his apparere arbitramur, quae iam de argumento libri, cuius titulum supra posuimus, in medium a nobis proferentur. Ac primum tria omnino dicit esse numerorum genera, quos viliori, quam constitutum esset, valore interno, publice, ut loco honorum usurparent cives, magistratus aut princeps edixerit. Nam et incidere possunt tempora, quae diminutionem monetae in tota ditione necessariam faciant: et belli tempore duplicem ob causam, cum ad stipendia militibus solvenda in castris, tum in urbe obsidione clausa, pecuniaeque penuria pressa, recepta moneta: forma deferenda est. Quare tria Auctor totius libelli fecit capita. *Capite primo* de numis necessitatis causa cufis agit. *Capite altero* de castris tradit. *Capite denique tertio* Obsidionalium historiam enarrat. Gratias vero agimus elegantissimo Auctori, qui plura dedit, quam se daturum esse in fronte libelli promiserat. Primum enim de numis necessitatis causa cufis tam docte, tam diligenter egit, ut istam disputationem lubentissime legeremus. Satis autem antiquum rei exemplum dedit ei respublica Romana, quae triplicem imminutionem pecuniae, his necessitate coacta, semel libera, vidit. Recte hic insignis Plinii locus (Hist. Natur. Lib. XXXIII. c. 3.) affertur, quaeque in eo

explicando viros doctos torserunt difficultates, feliciter tolluntur. Neque etiam omittuntur Festi Gellique eam in rem loca. Quum porro Wachterus aliam monetae imminutionem deprehendisse sibi visus sit in eo, quod Alexander Severus in numis aereis Restitutor monetae appelletur: id non ita certum esse probat Klotzius, ut nihil contra dici possit. Nihil porro huc pertinere dicit, quod homines erant inter Romanos, qui non necessitate coacti, sed aut avaritia, aut luxuria numos imminuerent. Ad necessitatem vero referendum esse putat, quod Zonaras narrat: ex multis Hieronis muneribus Romanos frumentum tantum et Victoriae signum accepisse, quanquam adeo pecuniae inopes fuerint, ut *argenteum numum, impermissum antea et purum, aere admixto adulterarent*. Progreditur Auctor ad alios populos. A numi sunt quidam, plerumque scutulati, quorum altera parte Constantini M. et Helenae, altera Servatoris imago deprehenditur. Hos ad numos necessitatis causa percussos, relaturum se fuisse dicit Klotzius, si vera esset fabula, quam Wagenfilius ex aliis auctoribus de iis narrat, in libro *de re monetali veterum Rom.* Quare pergit Auctor ad certiora. In Gallia vario tempore monetae imminutionem necessitatis causa fuisse factam, ex idoneis auctoribus probat, doctaque simul contra Car. Molinaeum disputat, qui, numos ullo modo pecuniae vim obtinere posse, nisi internum habeant pretium, negat. Transit dein in Belgium, quod ipsi duo talium numorum exempla dedit. Plura praebuit Suecia. Non pauca Silesia. Et omnino Germania nostra, cheu quam saepe illud fatum experta est, ut numis eiusmodi obrueretur! Praecipue commemoratur hic moneta, a Iulio, Duce Brunsvicensi, cusa, et appellata *Iulius-Losfer*, de qua quae Tenzelius aliique exposuerunt diligenter repetit Klotzius.

Videamus nunc de numis Castrensibus, quo nomine Auctor appellat eos, quos belli tempus, pecuniaeque inopia produ-

produxit, quibusque militibus in castris stipendia soluta sunt. Complures eiusmodi numos exhibet Io. Iacobus Luckius in Sylloge Numismatum elegantiorum. Sed Klorzio Luckius non recte distinxisse videtur numos necessitatis causa cufos ab iis, qui tempore belli ad memoriam rerum servandam prodierunt. Quare ipse non nisi eos commemoravit, quos vere Caltrenses esse existimaret. Primi vero, quos hoc loco dedit, numi, sunt ii, qui anno 1241. et 1247. ab Imperatore Friderico cusi sunt. Sequuntur varii numi Caltrenses in Dania cusi. Post exhibetur numus a Guilielmo, Iuliaci duce, a. 1542. aut sequenti cusus. Inde describuntur tres numi, tempore belli Schmalcaldici percussi. Hinc alii, a. 1552. ab Alberto, Marchione Brandeburgo-Culmbacensi, e raptis templorum vasis, praecipue ex iis quae civitati Schweinfurtensi extorferat, conflatis. Neque omittuntur numi in Ungaria a Ferdinando Ungariae Rege eo anno cusi, qui huic regioni propter Turcas satis infestus fuit. Datur etiam numus, quem Ordinis Teutonici Magister, Gotthardus de Kettler, a. 1559. ad solvenda militibus Germanis stipendia cudit. Lepidus est numus ab Heraclide e candelabro solidi argenti, quod Alexander, Moldaviae princeps, monasterio cuidam donaverat, anno 1562. conflatus. Iam proferuntur duo numi, quorum alter originem suam Sueciae Regi, Erico XIV, alter Friderico II. Dano, debet. Est porro Thalerus rotundus, sed una tantum parte cusus. In clypeo vulpes, infra 1565. supra IO. SE. REX VNG. Quorum verborum quae vis sit, illustr. Klorzius bene demonstrat. Nec desunt hoc loco numi, quos dedit a. 1576. Seelandia, et Groninga a. 1577. Memorantur etiam numi, a. 1587. a Sigismundo Sueciae principe cusi, qui rex Polonorum electus, de regno cum Maximiliano, Archiduce Austriae, disceptabat. Huc quoque pertinere arbitratur Auctor numos, qui anno 1592. a Marchione Brandenburgico cusi fuerunt. Nec alienos ab hoc loco esse debere putat eos, quibus eudem.

audendis turbæ inter Carolum, Sudermanniae Ducem, et Sigismundum III. Poloniae et Sueciae Regem, occasionem præbuerunt. Proferuntur deinde numi a Societate Belgica, quæ in India occidentali negotiatur, superiori Sæculo cusi, cum ob inopiam rerum, tum ob rebellem militum ferociam. Neque silentio prætereundos esse putavit Auctor numos, a. 1689. a Jacobo cufos, cum Hiberniam appulisset, nec haberet, unde militibus stipendia solveret. Denique huc referuntur ii, quos Comes Franciscus Rakóczy a. 1704. 1705. 1706. cudit in occupatis quibusdam Hungaricis urbibus.

Supereft *Caput tertium*, in quo de numis obsidionalibus differitur. De his scripsit Gallus quidam, *Claude de Gros de Boze*, dispatiunculum. Hanc Klotzius latino sermone elegantissime expressit, notisque illustravit. Iste vero Gallus leviter satis, et negligenter, eam rem explicuit. Diligentior multo fuit Klotzius, qui et numerum obsidionalium seriem bene exposuit, et singulorum historiam accurate enarravit. Sed quum ingens sit numerus, quorum descriptionem dedit, numerus, nos non nisi eos commemorabimus, quorum formam aeri incisam exhibuit. Non observati autem sunt ipsi unquam antiquiores numi obsidionales illis, qui in obsidione Tornaci a. 1521. cusi fuerunt. Alter obsidionalium numerum est ille, qui Papia obsessi a. 1524. signatus fuit. Sequitur numus in obsidione Cremonae a. 1526. a Caesareo præfecto cufus. Dantur porro numi, in urbe Campen a. 1578. conflati: item ii, qui a. 1588. a Iamaco præfecto, cum a Carolo Duce Lotharingiae obsidetur, percussi. Post numi, quos Balignius Cameraco præfectus a. 1595. cudit. Inde proferuntur numi variae formae in obsidione Iuliaci a. 1621. cusi. Jam commemorantur etiam ii, quos Franciscus Dux, Melac, in urbe Landavia a. 1702. obsessus, ex vasis suis argenteis confecit. Exhibitus quoque est laminis aeneis numus in obsidione Flandriae urbis, Tornaci, a præfecto urbis Survillio cufus anno 1709.

Descri-

Describitur postea numorum genus in obsidione urbis Quesnoy a. 1712. e chartis lusoriis confectorum. Denique notandi sunt hoc loco etiam numi anno 1742. in urbe Braunau, ab Austriacis obsessa, cusi. Plures eiusmodi numos qui desiderat, adeat ipsum libellum, qui lectorem cum sermonis elegantia mirifice delectabit, tum doctrinae copia in variis rei numariae capitibus insigniter adiuuabit.

SALOMONIS DEYLINGII, S. S. THROI. D. P. P. et Sup. Lips. Institutiones Prudentiae Pastoralis, ex geminis fontibus haustae, et variis observationibus ac quaestionum enodationibus illustratae. Editio tertia auctior, per D. Christianum Wilhelmum Küstnerum.

Lipsiae, sumptibus Io. Fr. Iunii, MDCCLXVIII. 2 Alph.
6 pll. octonis.

Magnam arbitramur Excell. Küstnero, ICto primario, spem esse propositam, ob susceptam a se in edendis his Institutionibus curam, gratiae ab eruditis ineundae. Ac si nihil aliud nisi libelli Deylingiani editionem repetitam nobis dedisset, vel sic satis bene meruisse videri poterat de multis viris doctis, et universa iuventute, S. literarum ipsiusque iuris studiosa. Ea enim est eius praestantia, quam laudare in praesenti, et commendare pluribus verbis, eo minus necessarium videatur, quo magis notus est ipse liber, et vero etiam cognita et perspecta summa eruditio viri olim celeberrimi, *Deylingii*, cuius mortem nondum eluxit Academia et ecclesia Lipsiensis, utriusque nuper insignis ornamenti! Id tantummodo dicimus, esse hunc librum non sterile quoddam aut tenue doctrinae pastoralis compendium, undecunque congestum et compilatum, lectionibusque tantum academicis destinatum, quod doctorem ecclesiae de muneris sui rite administrandi partibus externis erudiat; sed institutionum elegantem, ex ipsis fontibus

bus haustam, et varia amoenissimaque rerum philologicarum, theologiarum, et historicarum eruditione refertam, quae breviter et accurate tradat, quicquid ex literis Sacris et historia ecclesiastica de munere ecclesiae eiusque partibus omnibus scitu est cognituque necessarium. Iam vero eo maiori laude dignus est Cel. *Editor*, cum suo ingenio et suae doctrinae apparatu, longaeque experientiae copia, illustratiorem hunc librum atque adeo multis partibus auctiorem emendatioremque edidit, atque ita non modo voluntati eorum satisfecit, qui repetitum cuperent librum, cuius emendi copia, alterius editionis exemplis divenditis, hucusque non esset, sed ipsi etiam maiorem praestantiam utilitatemque, in primis quod ad practicam eius partem attinet, conciliavit. Nec poterat profecto alius quisquam aptior deligi, cui haec opera demandaretur, quam *Küfnerius*, qui praeter iuris scientiam doctam et elegantem, quam inde a multis annis cum agendis causis, tum iure dicundo, et de iure respondendo ac iudicando, exercuit, per viginti integros annos inter eos magna cum laude locum obtinuit, qui in Consistorio Electorali Lips. iudices versantur. Eo magis grave et in primis commemorandum nobis videri debet ipsius de his Institutionibus iudicium, quas non destinatas modo existimat iis, qui vel funguntur sacerdotio, vel ad eam reipubl. partem capeffendam comparant studia doctrinae; sed etiam Ictis eorumque studiis ac rationibus accommodatissimas commendat. Etenim hi, ut de fide doctorum ecclesiae diligentiaque recte iudicare possint, ante omnia accurate cognitam habeant muneris sacerdotalis rationem, necesse est, sine qua scientia iudicium ipsorum neque accuratum erit, neque tutum, quemadmodum Ictus sine medicinae legalis notitia non potest de vulneris lethalitate cognoscere. Praeterea in libello hoc fere omnia, quae ad iura sacra pertinent, ita concinne, perspicue, et ad maximam *anget-stein* dicit esse tradita, quae qui recte teneat, praecipua iuris Eccles. Saxonici capita callere existimandus sit. Ac propter hanc ipsam causam, in primis vero exquisitam, quae in toto libro

libro conspicua est, doctrinam, praefendum cum putat Cl. Editor ceteris iuris sacri compendiis, ipsique adeo operi *Wernheriano*, laudatissimo alias, *de Iure Ecclesiastico*. Sed iam age, quomodo in libro Deylingiano adornando K. versatus sit; narremus.

Atque in rebus iis, quae Theologiam proprie spectant, nihil mutare ipsi visum est, cum quia non rogatus esset, tum quia omnia docte et eleganter dicta reperiebat, ut vel parum, vel nihil addi posset aut emendari. Neque aliter sentit de iis rebus, quae ad iurisprudentiam ecclesiasticam pertinent; in quibus tamen, ubi opus videbatur, suum interpoluit iudicium, et vel emendat Deylingianum textum, vel illustrat et auget. In primis vero adicienda curavit ea, quae post alteram libri editionem, cum per edicta Principum generalia et specialia, tum auctoritate summi Senatus ecclesiastici, Consistoriique Lips. mutata essent atque correctae, eorumque exempla vel apposuit integra, vel eorum tantum partem praecipuam. Denique etiam observationes quasdam addidit historicas et literarias, in quibus commemorat vel libros praecipuos, qui omissi sunt a Deylingio, aut inde a curata editione altera prodire, vel facta quaedam memorabilia, ex quibus discere multa de rebus ecclesiasticis, et vero etiam sibi cavere possunt ecclesiae doctores, et harum rerum iudices. Ac huius quidem et illius generis observationum exempla, non fieri potest ut quaedam repetamus. Quae qui desiderant, ipsum librum evolvere debent. Sed de priori genere quaedam videbimus.

Primum quidem commemoratu omnino digna videtur observatio ad p. 130. ubi Deylingius Ius Canonicum ab eo tempore, quo sacra apud nos emendari coeperint, abrogatum esse existimat, nihilque prorsus in ecclesiis nostris valere, nisi quatenus vel consuetudine, vel diserta Principum constitutione adhuc sit receptum. Quam sententiam Cel. Editor cum cautione accipiendam esse putat. Scilicet, ius quidem canonicum apud Protestantibus nihil valere, nisi sit receptum; sed

tantum abesse ut existimare possis, ei, qui ad Ius Can. provocet, necessitatem impositam esse hanc, ut probet, Ius Can. in causa ea, de qua quaeritur, esse receptum, ut id potius ex communi univ. Germaniae usu colligere possis ac debeas, donec Iuris Can. legem aliquam sive decretum, vel diserte, vel tacite, aut abrogatum esse constiterit, aut iuri divino et domestico, generali vel speciali, antiquo vel novo, scripto vel non scripto, repugnare demonstratum fuerit, ut iam *Hornius* docuerit, et ante eum *B. rhmerus*. Ceterum in diiudicandis causis ecclesiasticis primas partes tenere iura ecclesiastica patria, quibus deficientibus posse Ius Can. nisi religioni disciplinaeque Lutheranae adversetur, in subsidium vocari. Quam cautionem quoniam neglexit *Deylingius*, propterea p. 14. cum plerisque ICtis nimis arctis limitibus circumscribit usum Iuris Can. quem apud nos habet, eiusque non, nisi in materia iuramenti, matrimonii, et processus iudicialis, nec non ubi de pia causa favore quaeratur, locum esse. Sed placet *Cel. Editori*, latius aperire fines usus Iuris Canonici, complectique causas ecclesiasticas fere omnes, in quibus nec legibus Principum quicquam sancitum sit, nec consuetudine inductum, nec denique disciplinae evangelicae contrarium. Itaque usum obtinere Ius Can. in capite de iure patronatus, decimis, praebendis, de statu clericorum, de praescriptione contra ecclesiam, et multis aliis, nec in sola quaestione de favore piae causae, nisi haec omnia ad piae causae favorem referenda esse existimaveris.

Locus de iure patronatus admodum auctus est a *Cl. Editore*. Sic p. 153. ubi b. Auctor ius vocandi, eligendi, et ordinandi ministros, toti ecclesiae asserit, adeoque et magistratui politico et doctoribus in sacro munere iam constitutis, et populo, singulis, suas partes relinquendas esse demonstrat, bene observat *Küfnerus* distinguendum esse inter consentium et electionem et suffragationem. Illius quidem in plerisque ecclesiis locum aliquem esse antistiti et populo, qui reiicere possunt ministrum ecclesiae, si quid iure reprehendendum

dendum inveniunt in ipsius doctrina aut vitae moribus, si minus, in electionem diserte vel tacite consentire existimantur; huius autem, vocationis, nullum. P. 156. profert inter alias quaestionem, an patroni filius, haeres patris, electionem et spem successionis datam comprobare teneatur, de qua ante aliquot annos ambigebatur, quoniam praesentatio ante confirmationem consistorii imperfecta videri possit. Sed quoniam filius facta patris praestare debeat, et a patre restrictum iuris patronatus exercitium ad eum pervenerit, rem a Consistorio Lipsi. in partem affirmantem decisam esse refert, interpositamque appellationem reiectam. Ad quaestionem p. 168. an patronus alii, sed toleratae religioni addictus, vocandi sacerdotis ius habeat, dissensum observat eruditorum, cum alii negent, alii affirmant. Ipse vero quanquam benenovit, etiam in Saxonia quosdam, nominatim Capitulum d. Mariae Virg. Erfurtense gaudere illo iure; tamen in regula observandum esse existimat, id nemini, nisi nostram religionem profiteatur, concedendum esse, atque id quidem vi rescripti Senatus eccles. Dresdensis, a 1-34. ad Consistorium Lipsi. dati. Eiusmodi patrono autem an reliqui honores, ut preces in suggestu sacro, luctus publicus, et campanarum pulsus, conveniant, dubitari adhuc potest, cum tantum exercitium iuris patronatus prohibeatur; ipse tamen *et. Ec.* et hos honores, cum praecipue ab investitura feudi, ad quam non admittitur, pendeant, ei denegaverit. P. 179. sq. breviter enumeravit Consistoria Saxonica, omnesque, qui cuivis parent, factorum antistites.

P. 192. b. Auctor tutius esse putabat, si cui duae una offerantur vocationes, et tamen ipse, exploratis viribus, utilitateque, quam in muneribus oblati praestare possit, perpensa, dubius adhuc sit, neutram accipiendam esse, quam dubia conscientia errandi periculo se exponere. Sed recedit ab hac sententia Cel. Ed. propterea, quoniam hoc a fine vocationis remotum videatur, existimatque, cui tale quid accidat, consulere debere Theologos pios et doctos, ne vocatio fit

plane irrita. Quam ob causam, auctore *Boernero*, Theologos Lipsi. e duabus vocationibus eam, qua quis in patria urbe ad sacerdotium arcessitus fuerit, alteri, quae ipsi sacerdotium extra patriam, sine omni commendatione obtulerit, praetulisse.

C. III. P. II. p. 221. sqq. *de redditibus et immunitatibus Clericorum*, multis observationibus insigniter auctum est, quas afferre nimis longum foret, sed commendatas tamen quam maxime cupimus omnibus, quibus interest eas nosse.

P. 363. ubi de materia Baptismi terrena agitur, reiicit *Deylingius* sententiam *Bezae*, qui quovis alio liquore non minus rite, quam aqua, baptizari posse, existimabat. Per hanc occasionem commemorat K. duo exempla insignia, quorum alterum accidit prope *Lembergum*, urbem *Russicam*, ubi militis gregarii filius baptizatus est oleo et materia pingui, et cum obliti essent testes, an sacerdos, cuius religionem ignorarent, in nomine Patris, Filii, et Spiritus St. baptizasset, propterea rogarunt parentes repetitionem baptismi, quam etiam auctoritate *Consistorii Lipsi.* impetrarunt. Eodem modo res acta est in altero exemplo, cum loco aquae, liquor quidam, qui *Keuterling* appellatur, ex incuria esset adhibitus.

P. 449. admodum late defendit *Editor Cel.* numum confessionarium, quippe qui sit pars salarii, quae porrigatur occasione supplicationis publicae, nequaquam vero, ut calumniantur adversarii, pretium pro impetrata absolutione datum. In quo tamen recedit a sententia *Deylingii* et aliorum, cum hanc pecuniam non iure perfecto exigi posse existimant; quamquam consultius facturos putat ecclesiae ministros, qui denegationem eius aut diminutionem, ne inimicitiae exoriantur, aequo animo ferant. Ceterum autem alio, quam hoc modo, eorum redditibus cupit consultum.

Digna autem in primis est, quae observetur, sententia K. ad p. 581. non ubivis obvia. Scilicet assentitur *Stryckio* et *Io. Phil. Odelem*, qui in disp. *de reliquis sacramenti in causis matrimonialibus*, et hic praecipue in peculiari libello contra *Gribnerum*,

nerum, sub eodem titulo 1716. edito, existimant, in iure ecclesiastico Protestantium de causis matrimonialibus esse quasdam reliquias, et quaedam quasi consecraria opinionis Pontificiae, quae coniugium sacramentum esse tradat. Nec minus digna est ea, quam ad p. 614. dedit, ubi b. Auctor duas tantum divortii faciendi causas legitimas esse putat, eas scilicet, quas Christus et Paulus afferant, adulterium et malitiosam desertionem. Sed mediam inter has duas causas amplectendam esse censet *Küßn. Cel.* ita, ut iure divino quidem matrimonium ob alias, quam has duas causas, solvi nequeat, nihilo tamen minus eas, quae triplicem finem coniugii tollant, et aequipollentes sint adulterio et desertioni malitiosae, in decernendo divortio haud esse reiiciendas: ut v. c. tentata mors coniugis, quae mutuo adiutorio obfit, et id genus alia. Atque huius sententiae praeter *Leyserum*, quem affert, fuere etiam *Lutherus* et *Melanchthon*, graves in hac re iudices, qui tamen admodum cavendum esse monent, ne nimia in hac re vel severitate, vel lenitate, impediatur, quo minus Deus invocetur, et cultus eius cesset. Omnino autem totus locus de rebus matrimonialibus accurate copioseque illustratus et lecupletatus est, lectuque dignissimus.

P. 667. sq. ostendit *Deyl.* toti coetui, ne iis quidem exceptis, qui allodialia et feudalia bona possideant, incumbere onus conservandae instaurandaeque aedis sacrae, nec quemquam rectè ei se posse subtrahere. In qua re observat *Cel. Ed.* non omnes Iuris Eccles. interpretes consentire, cum id alii, moti in primis auctoritate Concilii Trid. Sess. XX. c. 7. quo sub privatione iuris patronatus resectio patrono iniuncta est, affirmant, negent vero alii, in his *Carpzovius*. Hanc opinionem recepisse Consistorium Lips. propterea, quoniam pleraeque ecclesiae a patronis sint constitutae et dotatae, atque ita duplici onere non facile premi debeant; quanquam ipse non neget, patronos quoque, cum facultates reliqui coetus ad reficienda aedificia sacra non sufficiant, ad opem ferendam posse adigi. Id quod tamen existimat ad Vasallos, qui dicuntur,

tur, nec iure patronatus gaudent, non accommodari posse quos, etsi res adhuc dubia sit, tamen ex auctoritate Senatus Ecclesiastici a suppeditandis opibus, operisque praestandis esse immunes, nisi forte eas expensas debeant ferre, quae subfelliis aedificandis inserviant. Ceterum quid de iis sentiendum sit, qui in libero nobilis fundo nova aedificia extruxerint, adhuc dubitari, cum alii eadem libertate eos gaudere existiment, alii vero negent, auctoritate Consistorii Lips. et id quidem *Cel. Editoris* iudicio rectius.

Pag. 700. b. Auctor Scholarum verbo tantum mentionem fecit. Igitur *Küßn.* in prolixa observatione egregie egit de Scholis Saxonis, earumque muneribus, magistris, inspectoribus, in primis in scholis paganis, fontesque aperuit, ex quibus harum rerum scientia potest hauriri. Nec minus longa et egregia est observatio p. 771. usque ad p. 779. pertingens, quae de superioribus clericorum gradibus, eorumque dignitatibus et officiis praecipuis, exponit. Ad calcem adiciendam curavit b. *Dehngui* disputationem, propter elegantiam, ut dicit *Cel. Editor* p. 5. et doctrinam non satis laudandam, a. 1725. habitam, de *Prudentia pastoralis in studiis sanae doctrinae cum sanctioris vitae cultu semper coniungendo, ex 1 Tim. IV, 16* ob quam et ipsam curam non dubitamus, gratiam *Excell. Küßnerum* esse apud eruditos initarum.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCLXVIII.

*ACTA SANCTORUM SEPTEMBRIS, EX LATI-
nis et Graecis, aliarumque gentium monumentis, ser-
vata primigenia veterum Scriptorum phrasi, collecta,
digesta, Commentariisque et Observationibus illustrata
a IOANNE STILTINGO, CONSTANTINO
SUYSKENO, IOANNE PERIERO, IOANNE CLEO,
e Societate Iesu Presbyteris Theologis. Tomus VII.
quo dies XXV. XXVI. XXVII. et XXVIII.
continentur.*

Antverpiae, apud Bern. Albert. van der Plasche, 1760.
pag. 983. forma folii, praeter Epistolam nuncupatoriam,
Synoptin, et Indicem Sanctorum, historicum item et
topographicum Indicem.

In exhaustum argumentum, penitusque conveniens formae
religionis suae, exhaustum sibi quodammodo sume-
runt docti quidam viri de Societate Iesu, vel potius Ignatii
Loiolae, qui communibus studiis opus hoc plus quam secu-
lare Antverpiae aggressi sunt, et in eo perficiendo ad hunc
Uu usque

usque diem laborant. Eo enim Sanctorum omnium, quos colit Ecclesia Romana, memoriam conservare, et perennibus elogiis transferre ad posteros studuerunt: immensum agmen, compositum illud partim ex primis Christianae religionis conditoribus, eiusque confessoribus et martyribus, partim ex eorum genere hominum, qui ignotam his pietatis speciem, monasticæ vitæ nomine repertam, adeo feliciter orbi commendarunt, ut ipsi soli, aut qui eos omni vita imitentur, eximio apud Deum loco digni haberentur, uberrimamque segetem præbrent Romanis Episcopis, exercendi tepidi illius iuris, quo ante octingentos fere annos sibi unte vindicato, ad augendum quantum libet coelicum et tutelarium divorum numerum, utantur. Non invidentibus quidem Protestantibus, sed tamen, ut poeta ait, tanto magis mirantibus et subridentibus. Horum igitur Sanctorum, quos aiant non valde dissimiles divinis honores a mortalibus exposcere, theatrum hoc opus est eiusmodi, ut inter omnes humanorum librorum copias nullus sit, qui tanto rerum incredibilium, narrationum incertarum, fictorum miraculorum, caeteroque male pii stuporis apparatu turgeat; ubi *rara* adeo veræ historiae documenta *natent in gurgite vasto*. Rursus tamen in idem opus ea doctrinae, lectionis, sapientiae etiam in exploranda historia sagacitatis ornamenta congesterunt auctores, ut ad illustrandam antiquitatem et historiam Christianam omnem, ad chronologiae et geographiae difficultates plurimas expediendas, ad loca scriptorum veterum explanda, permulta sane conferat. Nobis igitur hunc colossus intuentibus, parum illud curae est, utrum ex meritis sanctorum hominum ossibus constructus sit, an etiam ex eorum, de quibus dubitare possis, non dicam Sanctine, sed an Christiani, inao homines omnino unquam fuerint. Illud agimus duntaxat, ut viros fama, eruditione, meritis, et pietate insignes, in reliqua turba exquiramus, neque negligamus ea, quae super DIs minorum gentium, utiliter tamen ad litterarum et historiae monumenta declaranda, observata videntur.

Qua-

Quadragesimus quintus Operis Tomus est, de quo dicere institimus: non ille quidem valde ferax virorum aut feminarum illustrium, sed vel sic tamen diligenter a nobis describendus. Dicantur illius Auctores singulari epistola Serenissimae Archiduci Austriae, *Iohanne Gabrielae*. Sed verbosa duodecim paginarum epistola, qua non modo Sanctorum, quos hic Tomus complectitur, favorem et patrocinium, (at inam DEI O. M. potius!) illi precantur, sed potiores etiam illorum laudant, carere eruditi lectores possunt.

Iam, ut uno obtutu intelligatur, quot Sanctis unaquaeque dierum, quas hic Tomus recenset, superbiat, en indicem eorum, qui a. d. XXV. Septembris coluntur: *S. Cleophas*, Christi discipulus, *S. Anatalo*, Episc. Mediolanensis, Confessor, in Insubria; *S. Herculano* Martyr, Via Claudia in Italia; *S. Firminus*, Episc. Martyr, Ambianus in Gallia; *S. Bardonianus*, *S. Eucarpus*, SS. Socii XXVI. MM. in Asia; *S. Paulus*, *S. Tatta*, uxor eius, *S. Sabianus*, *S. Rufus*, eorum filii, MM. Damasci in Syria; *S. Formosus M.* cultus in vico de Vannares, in Alava, Hispaniae provincia; *S. Principius*, Episc. Conf. Suellionibus in Gallia; *S. Solennis*, Episc. Confessor, Carnoti in Gallia; *S. Lupus*, Episc. Confessor, Lugduni in Gallia; *S. Anarius* seu *Anacharius*, Episc. Conf. Antissiodori in Burgundiae ducatu; *S. Ermenfridus*, primus Abbas Cusantensis, in comitatu Burgundiae, *S. Crotfridus*, Abbas Gerwenlis et Wiremuthensis in Anglia, prope Lingones, in Campania Galliae; *S. Aurelia* Virgo, *S. Neomissa* Virgo, utraque Anagninae in Italia; *S. Barrus* vel *Pimbarrus*, Episc. Coreagiensis in Hibernia, ac forte alius Episc. Cathenensis in Scotia; *S. Austinus*, Archiep. Auscensis Conf. in Vasconia superiore; *B. Maria de Cervello*, vulgo de *Sucos*, Virgo, Ordin. S. Mariae Virginis de Mercede Redemptionis captivorum, Barcinone in Catalonia.

Adduntur his pag. 2-4. nomina praetermissorum, et in alios dies relatorum; hoc est Sanctorum, de quibus iam ad alios dies dictum est ab Auctoribus, quamvis huic iungantur in martyrologiis quibusdam et Officiis ecclesiarum; aut quos profus omiserunt, quod cultu carerent, certe in Martyrologio Romano non legerentur. Proteramus exempla: „*Abraham, Isaac, et Iacob, Patriarchae*, leguntur in Faltis Ecclesiae Alexandrinae apud *Ludolfum*, qui notat, ipsorum „memoriam repeti *singulis mensibus hoc die apud Aethiopes, apud Coptitas tantum semel die XVIII. Augusti*. Nos de „*Abrahamo* ageimus cum Martyrologio Romano, in quo „duos alios non inveno, ad IX. Octobr.“ Hoc igitur unum decernit *Isaaco et Iacobo*, viris sanctissimis, si digni habendi essent societate S. *Barri* vel *Finbarri*, ut in Martyrol. Rom. locum tenerent! Est praeterea in hoc Catalogo, quem libenter inter Sanctos numerassent Auctores, modo Ecclesia ipsorum, quae paucos admodum Sanctos inter Iesuitas deprehendit, eum hoc dignata honore fuisse. Audiamus ipsos differentes: „*Francisci Suarez, Viri Societ. Iesu doctissimi, et theologice scriptis celeberrimi*, memoria hodie „recolitur in Menologio domestico MScto Societatis, in quo „non minorem virtutibus et pietate, quam doctrina, laudem „obtinuit.“ Addere poterant haec paullo veriora: Sunt tamen permulti, qui exultant, scholasticis illius et casuisticis subtilitatibus sanctitatem Christianam parum adiuvari. Haec credent, qui librum eius de *Matrimonio* legerint.

In limine igitur Tomi, S. *Cleophas*, discipulus Christi, spectatur, pag. 5-10. Agnoscit *Stillingus*, sola fere certa esse de gestis illius, quae Lucas Evangelii Cap. XXIV. tradat. Auctor Romani Parvi et *Ado*, primi a Iudaeis occisum esse ob confessionem Christi narrarunt; colitur autem in Ordine Teutonico. Socium *Cleophas* in itinere Emmauntico fuisse *Simonem*, filium eius, coniectant Auctores; fratrem autem *Iosephi*, et patruum Christi fuisse, ex *Hegeffpo* apud *Euseb. H. E. III, 11*. docent. Porro ostendere conantur et hoc,
Mariam

Meriam Cleophas, quae soror erat Matris Domini, apud Iohan. c. XIX. eandem esse cum *Maria*, *Jacobi* et *Iosephi* matre, uxorem nempe *Cleophas*, qui pater fuerit quatuor illorum qui Fratres Domini vocantur Marc. VI, 3. Tamen in exitu disputationis fatentur, non satis certum hoc sibi videri, an *Cleophas*, Christi discipulus, an alius senior fuerit pater fratrum Domini.

S. *Anatalonem*, qui et *Anathalo*, *Nathalo*, *Anatolo*, *Anatholius*, et *Anathalonus* dicitur, et Mediolanensis ecclesia et Brixienfis Episcopum sibi vindicat. *Baronius* quidem ad A. G. LI, 54. a *Barnaba* Apostolo, socio *Anatalone*, fundatam esse vult Mediolanensem Ecclesiam. Sed hoc refellit pag. 13. *Suykenus*, qui etiam docet, catalogum Episcoporum Mediolanensium, a *Muratorio* (Rer. Italic. T. I. P. II. pag. 228.) editum, in quo S. *Barnabas* primo loco recensetur, cum non sit Seculo XIII. antiquior, nullius esse in hac causa fidei, praesertim cum in vetustioribus catalogis S. B. non legatur. Probabilius igitur putat, *Anatalonem* Ecclesiae Mediolanensis primum Episcopum fuisse, discipulum quidem S. *Barnabas*, et forte ab eodem ad praedicandum missum; sed hinc forsitan ortum errorem, quo B. ecclesiae illius auctor existimetur: rexisse autem hanc *Anatal.* ab a. C. 48. ad a. 61. quod defenditur contra *Tillemontium*. Post varias observationes de primis Brixiensibus episcopis, ostenditur pag. 20. *Anatalonem* inter eos non esse referendum, sed Brixiae metropolitano tantum Mediolanensis Ecclesiae iure praefuisse.

Copiosam de S. *Firinio* disputationem instituit *Stillingus* a pag. 24-57. Traditur ille circa a. 290. martyrium passus esse. Acta eius scripta videntur Seculo V. aut VI. itaque nec pro primigeniis, aut certae in omnibus fidei habenda esse fatetur Auctor; simul tamen contra *Tillemontium* contendit, nihil se in illis invenire quod fidem superet, si verba

scriptoris benigne magis, quam stricte interpretari velimus. At ista ratione tenenda, vel absurdissimis narrationibus fidem conciliaveris. Consecratus quidem episcopus fuit S. *Firminus*, sed ut Evangelium gentibus annuntiaret, non ut singulari ecclesiae praeficeretur. Ambianensis ergo episcopus propterea dictus videtur *Stiltingo*, quod in hac civitate ultimis vitae temporibus praedicaverit, officia episcopalia obierit, atque adeo trucidatus fuerit. Idem narrationes, quae prostant de inventione corporis Sancti huius, fide indignas et ineptas vocat, ut mirum sit, earum patrocinium suscepisse. *Contium*: v. c. fabellae monachali ingenio dignae, adeo suavem odorem sparsum esse ab invento *Firmini* corpore, ut eo quatuor civitates, *Teruanensis*, *Cameracensis*, *Bellovacensis*, et *Noviomensis*, accitae Ambianum fuerint. Dolemus Viri doctissimi vel sortem vel studia, qui in his nugatoris confutandis operam ultro consumsit, universum autem in agro sterili colendo, ex quo nulli veri ad religionem et rem christianam, ad ingenium et doctrinam liberalem, fructus redeant, defudavit. Huc enim protecto pertinent longae illae a pag. 36. disquisitiones, de tempore inventionis corporis S. *Firmini*, de translatione illius in thecam magis pretiosam, imo in auream denique, de eius cultu, miraculis, praedictione, &c. Tum pag. 43 - 46. contra *Thiersum* in primis docet, corpus huius Sancti Ambiano ad Abbatiam S. Dionysii translatum non fuisse. Habet autem et *Pompeione*, patria *Firmini*, quasdam de corpore eius reliquias, estque illius et totius regni *Navarrae* patronus. Oblectavit nos pag. 48. sq. historia discordiae gravissimae inter *Navarrenses* a. 1647. super ea quaestione ortae, utrum S. *Firminus*, an S. *Franciscus Xaverius*, principalior sit regni illius patronus? quam tamen *Alexander VII*, homo scilicet coelitibus perquam familiaris, ita sustulit, ut utrumque aequae principalem patronum esse iuberet. Subiungitur vita Sancti, de cuius fide iam diximus, cum *Stiltingi* annotatis.

Missis obscurioribus quibusdam Sanctis, ad S. *Solemnem* pervenimus, pag. 62. breviter iam *Gregorio Turonensi* memoratum, nunc a *Io. Cleo* diligenter illustratum, sed Vita partim ab anonymo scripta, partim interpolata, vel foedis potius erroribus contaminata. Eiusdem farinae sunt relationes, quae de translatione et miraculis Sancti Ivo loco exhibentur. Nec valde innotamur S. *Anarium*, mortuum sub initia Sec. VII. quamvis ossa eius a. 1567. a Calvinisticis abiecta, mox occultata, denique sanctitas eorum prodigio confirmata dicatur, pag. 101 sq. Legenda tamen est pag. 93. illius ad *Stephanum Africanum* presbyterum epistola; qua hunc rogat, ut *beatissimi Germani episcopi Vitam in versuum qualitatem commutare non desistat; S. vero Amatoris profaica modulatione describat*: cui petitioni *Stephanus* valde ridicula epistola respondet, quae in haec verba exit: *Vale, longum in tempus, Domine semper meus, et Apostolice Papa.*

De *Cusantio*, monasterio Burgundiae, (*Cusance*) p. 111. de *Warensis* seu *Warasitis*, qui partem Sequanorum provinciae et *Duvii* (id est *Dubis*, vulgo *le Doux*,) annis *fluente* incoluerint, pag. 117. 118. de *Cirwensi* in Anglia monasterio pag. 129; de *Pictorum* ad canonicum *Pascha*, (Quartadecimani quippe erant,) et tonsuram Romanam adducente pag. 132 sq. de Vita SS. *Aureliae* et *Noemisiae* Virgg. non edenda, quod aperte fabulosa tradat, pag. 138; de Vita S. *Barri* fabulosa, nec propterea edendis, pag. 144; de duplici S. *Barro*, quorum tamen neuter fuerit magister S. *Columbae*, pag. 147 sq. de archiepiscopatu *Auscien*si p. 152; de *Pageramento* contra *Cangium*, qui *linearem adumbrationem* interpretatur, cum noster *Suythois* idem velit esse quod *Pagamentum* apud *Vitruvium*, pag. 156; de his igitur quaedam lectu non omnino indigna memorantur. De b. *Maria de Cervello*, mortua a. 1290. et multas paginas implente, inde a pag. 166. unum hoc referemus, cultus eius *immemorabilem*, decreto *Innocentii XII.* a. 1692. confirmatum, petente autem Augustill.

Augusti. *Maria Tereſa*, a *Benedicto XIV.* de 1781. eiusdem Officium ad omnes ditiones Augustae extenſum eſſe.

Sequuntur a pag. 187. Sancti diei XXVI. Septembris adſcripti, quorum nomina primum edemus: Sancti *Calliſtratus* et Socii XLIX. milites et martyres, probabiliter Byzantii in Thracia; S. *Cyprianus* Episc. Martyr, S. *Iuſtina* Virgo M. S. *Theoſtiſtus* ſive *Thognitus* M. omnes prope Nicomediam in Bithynia; S. *Magignus*, S. *Naber*, S. *Fauſtinus*, Martyres; S. *Senator*; S. *Eufebius* Papa Confefſor, Romae; S. *Eufebius* Episc. Confefſor Bononiae in Italia; S. *Anantius* preſbyter Conf. Tiferi in Umbria; S. *Vigilius*, episc. Brixienſis, in Longobardia; S. *Nilus* Abbas Cryptae Ferratae in agro Tuſculano Italiae; S. *Iohannes de Meda*, preſbyter, et primarii Ordinis Humiliatorum fundator, Mediolani in Inſubria; b. *Lucia* Virgo, tertii Ordinis S. Franciſci, Salerni in Regno Neapolitano.

Ac de SS. *Calliſtrato* quidem et XLIX. militibus, qui in *Diocletiani* perfecutione martyrium ſubiſſe perhibentur, Acta proferuntur auctore *Simeone Metaphraſte*, ex editione latina *Lipomani* et *Surni*, collata, et variis locis emendata ex textu Graeco. De SS. *Cypriano*, et qui lateri eius haerent, *Fauſtina* ac *Theoſtiſto*, Commentarius a pag. 195-262. protenditur, auctore *Io. Cleo*. Diverſus nimirum hic *Cyprianus* eſt a clarifſimo illo martyre Carthaginenſi, dignus tamen, cuius memoria ſine ſuperſtitioſa pietate renovetur. Laudes illius carmine heroico perfecuta eſt ipſa *Eudocia*, *Theodoſii Junioris* coniux: cuius argumentum ad nos tranſtulit immortalis memoriae vir, *Photius*, Biblioth. Cod. 184. Utrumque *Cyprianum* male inter ſe miſcuit *Gregorius Nazianzenus* Oratione XVIII. inter Opera eius a *Billio* edita. Videtur nimirum legiſſe Confefſionem *Cypriani* noſtri, quae materiam praeſtavit Libro II. Metaphraſis *Eudocianae*, et adhuc ſuperſeſſe videtur; verum ea non vidiffe, quaecumque
Libro

Libro I. et III. Metaphrasis illius referuntur. Confessionem illam, seu Poenitentiam S. Cypriani, editore et interprete Prudentio Marano, rursus edidit Graece et Latine cum annotatis suis Cleus, a pag. 222-242. tum martyrium Cypriani et Iustinae, auctore anonymo, ex Biblioth. Reg. Parif. Codice 520. collato cum Cod. 1485, Graece et Latine; et ante iam pag. 227. Acta interpolata, ex MS. collata cum editis a Martenio Tom III. Thef. Anecd. quibus Conversio Iustinae et Cypriani narratur. Sed Confessionem Cypriani, et utriusque martyris acta, contra Io. Fellum episc. Oxon. a pag. 205-212. operose defendit: nam ille non modo Confessionem supposititiam dicebat, sed etiam Cyprianum et Iustinam ipsos esse numero martyrum, imo mortalium omnino, erasos cupiebat. Denique in Gloria Posthuma SS. Cypriani, Iustinae, et Theodisti, a pag. 246. multus est in exquirendis eorum reliquiis. Nam et Romani et Placentini illorum corpora se possidere aiunt, et caput Iustinae non modo Lucenses, sed etiam pagus Villereux in Lotharingia. Noster Romanis ea in re unice favet: per nos quidem licet.

S. Senator quis fuerit, agnoscit se ignorare Suyskenus pag. 264. habet tamen et huius ambigui Divi reliquias quasdam ecclesia suburbana Parisiensis. Plura de Eusebio Papa Stiltingus pag. 265 sq. ubi et Pagii quasdam contradictiones in obitu illius figendo notat. Amplissimum locum S. Nilo Cleus tribuit a pag. 279-343. Obiit a. 1005. in Calabria fundator hic, non Abbas, Cryptaeferatensis monasterii. Editur autem vita illius a pag. 283. a discipulo Sancti, forte b. Bartholomaeo, Graece scripta, cum versione Io. Matthaei Caryophili, Archiepisc. Iconiensis; illustrata autem a Cleo. Pleraque quae in illa traduntur, monasticae tantum vitae cultoribus placere possint; refertur tamen et triplex Nili sapiens responsum, pag. 312. quorum postremum hoc fundamento nititur, a multis Theologis perperam neglecto: Quod Scriptura occultavit., quomodo nos revelare possumus?

Quae *Suykenus* a pag. 343-360. de *S. Iohanne de Meda* Fundatore Ordinis Humiliatorum, narrat, ea ex *Tiraboschii Monumentis Humiliatorum*, de quibus nuper in his Actis diximus, explanari et suppleri accurate possunt.

Transimus ad Sanctos, quos d. XXVII. Septembris colit Ecclesia Romana. Sunt autem haec illorum nomina: *S. Iohannes Marcus*, Christi aut Apostolorum discipulus; *S. Zenas*, alias *Zenon* dictus, *S. Pauli* discipulus; *S. Casus*, Episc. Mediolanensis, Confess. in Insubria; *S. Aderitus*, Episc. Ravennas in Italia; *S. Florentinus*, *S. Hilarius*, et forte *S. Aphrodisius*, MM. Pleuduni in Aeduis; *S. Cosmas*, *S. Damianus*, *S. Anthimus*, *S. Leontius*, *S. Euprepus*, Martyres Aegis in Cilicia; *S. Epitharis* matrona M. forte Constantinopoli; *S. Fulentius* M. *S. Terentius* M. uterque Tuderti in Umbria; *S. Eleutherus* vel *Eleutherius* M. Caesareae in Cappadocia; *S. Deodatus* Conf. in dioecesi Sorana in Latio; *S. Ceraunus* vel *Ceraunus*, Episc. Parisiensis in Gallia; *S. Hiltrudis* virgo, Laeti in Hannonia; SS. *Adolphus* et *Johanne*, fratres MM. Cordubae in Hispania; b. *Bonsilius*, Episc. Fulginas, prope Cingulum in Piceno; *S. Eszarius de Sabrano*, baro Ausoy-fii et Comes Ariani, Parisiis in Francia.

Hos inter Sanctos, qui a pag. 379-594. procedunt, primus quidem, *Iohannes Marcus*, lectores Actuum Apostolicorum (Cap. XII. et XV.) non fugit: estque eius memoria etiam in Paulinis Epistolis servata; si modo omissum in his *Iohannis* nomen non ad diversum ab hoc nostro nos deducat. Sed *Stillingus* non modo hanc scriptionis diversitatem levisimam putat; sed etiam contra *Baronium* et *Tillemontium* in primis copiosa dissertatione docere studet, hunc *Iohannem Marcum* eundem esse cum *Marco* Evangelista: quam ei sententiam *Hieronymus*, *Oecumenius*, alique veterum praeiverunt. Rursus *Iohannem Marcum* non esse presbyterum illum, aut potius *seniorem Iohannem*, de quo *Papias* apud *Eusebium*

H. E.

H. E. III, 39. loquitur, sed huius potius nomine *Iohannem Apostolum* designari, et in errore hoc loco fuisse *Eusebium*, ut contra superiores illos evincat, studet. Etiam S. *Zenam Paulus* laudat, (Tit. III, 12. 13.) νομικόν adpellans, quod legis Iudaicae peritum interpretatur *Chrysoſtomus*. *Pſeudo-Dorotheus* inter LXX. discipulos refert: sed fatetur noster, nihil de eo certi dici posse, imo ignorare se, utrum alicubi cultus fuerit Officio ecclesiastico. (p. 390.)

Clarissima sunt SS. *Cosmae* et *Damiani* nomina; medicorum enim, si ipsis placet, patroni habentur: hinc pro ea claritate de ipsis a pag. 428 - 478. narratio instituitur. Primum Martyrologia examinat *Stiltingus*, in quibus illi memorantur; deinde Acta eorum Graeca et Latina, quorum fidem contra *Tillemantium* parum feliciter tuetur. Mox cum Graecis disputat, qui inde a Seculo IX. aut X. crediderunt, tria esse SS. *Cosmae* et *Damiani* paria: quod etiam nonnullis de Romana Eccl. placuit. At ille pag. 136. sq. ostendit, quibus occasionibus Graeci potuerint Sanctos hos aut geminos credere, aut tergeminos: v. c. repetitis illorum per annum diebus festis; ceterum Graecos Confessoribus suis nihil attribuere praeter fabulas, Martyribus quoque attributas in Actis Latinis; neque locum indicare, ubi vixerint aut obierint. Duos autem hos Sanctos martyrium passos esse existimat a. 287. Reliquiae eorum et Romae, et Venetiis, et Veronae, et Imolae, et Amalphi, et in insula Melitensi servantur; imo et in Gallia: et tamen — cum vix superesse quis credat, quae inde decerpere potuissent aliae Ecclesiae — magnam harum reliquiarum partem, cum capitibus, tenet Ecclesia Soc. Iesu Monachii. Concoquat haec qui potest. At ista maior λειψάνων pars, teste *Stiltingo* pag. 447. sq. Bremam Sec. X. translata est, sed superiore Sec. aucta inde, cura *Maximiliani* Electoris. Hic sane pag. 452. non modo arca qua illic conduntur, sed ipsa etiam ossa, cum capitibus, spectanda praebentur ope artificis. Sed nondum

finis reliquiarum S. *Cosmae et Damiani*. Nam et Praga, et Colonia, et Abbatia Effendiensis, et monasterium Schwarzacense dioecesis Herbipolensis, et Belgium, et Lusitania, et Anglia, vel habuere, vel habent adhuc partem de hoc thesauro. Nos autem veremur, ne pro thesauro carbones. Ipse demum *Stillingus* p. 459. suspectam sibi nonnihil hanc copiam, qua laborat, confitetur, in primis tria, (nisi plura) duorum Sanctorum capita. Iam hoc loco quis paullo humanior risum teneat? Astutus tamen *Stillingus* sibi videtur coniiciendo, reliquias aliorum trium fratrum, *Anthonii, Leonitii, et Euprepitii*, cum ossibus S. *Cosmae et Damiani* permixtas esse. De miraculis Sanctorum multa incredibilia tradit, quae nos, cum eo, valere iubemus. In Actis horum SS. explicandis oieum et operam perdidisse nobis bonus iste vir, iam ad Sanctos suos translatus, videtur.

De S. *Hiltrude* Virgine, *Perierus*, et ipse ante aliquot annos defunctus, a pag. 488-506. commentatur. Acta eius, a monacho Valciodorensi scripta, primus vulgavit *Mabilionius* in Annal. SS. Ord. Bened. P. II. Sec. III. Eorum auctoritatem utcumque defendi posse, existimat P. eaque exhibet observationibus suis stipata. Nobis ineptarum rerum farragine scatere visa sunt. Sed nec opus erat hoc iudicio nostro, cum quilibet, qui fidem historicam ex vero aestimare didicit, eundem locum attributurus sit plerisque talibus Actis, quae miseranda credulitas barbarorum Seculorum enixa est. Postremus inter huius diei Sanctos *Elzearius de Sabrano*, nobilissimi generis, cuius gesta exornat *Suyskenus* a pag. 529. ad 594. etiam propter virginitatem in matrimonio servatam laudatur. Aut hoc est coniugii auctori Deo illudere, pietatis stolidi opinione, aut numquam ei illuditur.

Tandem bona Lectorum venia eos etiam Sanctos enumerabimus, quibus XXVIII. Septembris premitur. Cohortem imminere putabunt. S. *Privatus*, miles martyr, Romae;

mae; S. Marcus, S. Alphius, S. Alexander, S. Zosimus, S. Nicon, S. Neon, S. Heliodorus et Socii, item triginta milites, omnes martyres in variis Asiae minoris locis; S. Martialis, S. Laurentius, S. Gurgilus aut Gargilus, S. Marius aut Marcus, S. Faustus aut Phustina, S. Victor, S. Candidus aut Candida, S. Valeria, S. Longesa aut Longa, S. Celerina, S. Donata vel Donatula S. forte Lea, S. Lucia, S. Emilus, S. Gogulus, S. Placius, S. Longa, S. Victoria, S. Prisca aut Priscus, et forte cum Anonymis, S. Iulianus aut Iulius, S. Christophorus, S. Nobilis, S. Secundula, omnes MM. in Africa; S. Staflus Martyr, et S. Turturinus, Romae; S. Iohannes M. Camulii in agro Genuensi; S. Doda Virgo, et forsitan Mart. in dioecesi Aufcensi in Novempopulania; S. Chariton, abbas Conf. in Palaestina; S. Exuperius Episc. Confessor, Tolosae in Gallia; S. Eustochium Virgo in Bethlehem; S. Silvanus, Episc. Brixienf. in Longobardia; S. Hodius, Episc. Confessor, Antiliodori in Burgundiae ducatu; S. Faustus, Episc. Regiensis in Provincia Galliae; S. Faustus, Episcopus Tarbensis in Novempopulania; S. Salomon, Salomon, aut Salomus, Genuae in Italia; S. Annemundus, alias Daifnus, Episc. Lugdunenf. Martyr, in territorio Cabilonenf. in Gallia; S. Liba, feu Leobgytha, alias Truthgeba, virgo, Abbatissa in Germania; S. Wenceslaus M. Bohemiae Dux et Patronus, Vetero-Boleslaviae in Bohemia; S. Eberhardus opilio, prope Frisingam in Germania; S. Ismido vel Ismion, Episc. Confessor, Diae in Gallia; b. Salomon, ex Rege Hungariae eremita, Polae in Istria; b. Bernardinus Feltriensis, Ord. Minor. Observantium S. Francisci Conf. apud Ticinum in Italia. Subiunguntur et huic, ut reliquis diebus, praetermissi, et in alios dies relati.

Occupavit nos nonnihil vita S. Charitonis a pag. 612. Graece cum interpretatione apud Lipomannum edita. Eam Stillingus non contemporanei, aut supparis scriptoris esse putat, nec tamen Metaphrastus, sed antiquioris. Obitum Sancti

ponit post medium Seculum IV. Martyrologio Romano nondum insertus est, quanvis apud Graecos memoria eius sit celeberrima. De *Suca* et *Pharan* lauris quaedam ad hanc vitam, quam etiam corrigi locis nonnullis, observat *Stiltingus*. Sed multo longius detinuit nos S. *Eustochium*, celebris illa *Hieronymi* amica, a pag. 630-645. cuius mortem probabiliter anno 419. adscribit idem *Stilting*. Huius de genere et familia primum tradit, mox quibus praeceptis virtutum eam intruxerit *Hieronymus*, totamque sibi devinxit. Magnam certe propterea apud Romanos invidiam, nec plane immerito, contraxit, dum *Eustochium* cum matre *Paula* longe a suis abstraheret, et quasi in disciplinam suam reciperet. Nimirum, vir cetera egregius, illud $\pi. \omega \tau \omega \nu \phi \rho \acute{o} \delta \omega \varsigma$ monasticae vitae et his femellis, et aliis persuadebat, vitam pie et sancte agi non posse, nisi prorsus ab hominum vulgarium confortio remota sit, et ad certas regulas noviter repertas instituat. Tum acta *Eustochii* in monasterio Bethlehemitico persequitur Auctor, epistolas illic ab ea scriptas, lectionem Script. S. cum *Hieronymo* eam exponente, qui etiam illi et matri commentarios quosdam suos in Script. S. et versiones dicavit; praefecturam monasterii virginum, quam post matris obitum quindecim aut sexdecim annos gessit; labores, quos ea rogante *Hieronymus* suscepit; institutionem qua de fratris filia *Paula*, et ipsa *Christi flammis reservata*, (verbis utimur *Hieronymi*) bene meruit; denique quae passa sit a Pelagianis. Omnia quidem diligenter; sed abest severum critici munus.

Iterum *Stiltingus* de S. *Fausto* Episc. Regiensi, de quo iam *Bollandus* ad XVI. Ianuar. breviter egerat, quod ignoraret diem, quo in Ecclesia Regiensi colitur, copiose verba facit a pag. 651-714. Memoranda maxime sunt, quae p. 661. de Responso *Fausti* narrantur, quo defendit, nullam creaturam dicendam esse incorpoream, refutatus in eo a *Mamerto Claudiano*. Observat nimirum *St.* errasse quidem *Faustum*

Faustum in quaestione de nomine, eaque necdum definita; sed errorem eius ab adversario fuisse exaggeratum, qui ipse in plures errores incidit, multo graviores. Subinque tamen in quibusdam de *Cludio* iudicare videtur, quem non iniuria laudavit *Thiemontius*. In Epistola autem *Fausti* ad *Benedictum Paulinum* nihil reprehendisse putat *Avitum Vienneensem*. Gesta *Fausti* cum *Lucio* presbytero, qui errores Praedestinianos retractavit, et contra hos *Fausti* libros, de gratia et libero arbitrio, simulque varia antiquorum et recentiorum de his iudicia, a p. 667. adferuntur. Disputatur contra ipsum *Suarezium* Iesuitam, qui in Opere de gratia divina dubitat, *Fausti* doctrina catholica ne sit, an *Semipelagiana*. Nostro enim probabilius videtur, *Faustum* initium fidei gratiae tribuere, non libero arbitrio. Respondet etiam obiectio- nibus *Norisi*, qui *Faustum* damnatum esse vult in Concilio Araulicano, et contrarium esse *S. Augustino*. Eiusdem denique sanctitatem tuetur contra *Illemontium*. Haec nos, non quasi *S. longi* argumenta probemus; sed quia celebris est in Historia Ecclesiastica *Faustus* hic, ut sciant illius studiosi, quae pro suspecto hoc Sancto a recentissimo Scriptore dici potuerint.

S. Liobae seu *Leobgythae*, alias *Truthgebae* Virginis, quam ex Anglia *S. Bonifacius* evocavit, futuram Germaniae Apollam, postquam advenerat, *Bilchofsheimensi* plurimarum virginum a se erecto monasterio Abbatissam constituit; huius igitur vitam, quam *Perierus* a pag. 748-769. descripsit, ulius *Rabani Mauri* relatione, et vita a *Rudolpho* presbytero et monacho *Fuldensi* Sec. IX. Germanis nostris commendamus, antiquitatis patriae causa, non quod verae et utilis historiae multum habeat.

Sed omnium maxime in hoc Tomo lectu digna sunt, quae de *S. Wenceslao* Martyre, Bohemiae Duce ac Patrono, a pag. 770-844. *Suyskenus* collegit. Huius non modo vi-

ram,

tam, a *Christianno de Scala* monacho, ex fratricida nepote, compositam, editamque a *Balbino* Epit. *Rer. Bohemicar.* L. I. c. 10. sed aliam etiam eiusdem biographiam, cuius auctor perhibetur *Carolus IV.* Imperator et Bohemiae Rex, ex Breviario membranaceo MS. Ecclesiae S. Viti Pragensis, olim Iohannis Episc. Litomislensis, a pag. 837. publicavit. Sed aliis quoque praefidiis Scriptorum veterum usus, vitam hanc accurate exposuit *Suyskenus*. Trucidatum esse *Wenceslaum* anno 936. vero proximum existimat p. 797. Prodigium, quo traditur *W.* inter duos angelos visus, ac propterea dignitate regia, aliisque muneribus donatus, examinatum reicit. Historiam Christianam eius aetatis, et Bohemicam imprimis, non perfunctorie illustrat. Ceterum, in miraculis, reliquiis, cultu, cet. Sancti huius describendis, modum sine dubio excedit; sed meminerimus, aut nihil omnino de Sanctis his uovitiis, quasi coloniae iure in coelum deductis, dicendum fuisse, aut omnia. Praebet etiam p. 820. spectandam imaginem altaris S. *Wenceslai*, in veteri Basilica Vaticana. Addamus pag. 793. *Dubravii* narrationem de Sancto hoc Duce, ligna suis humeris ad pauperes noctu clam deferente, ac propterea a servo suo, a quo non agnoscebatur, graviter saepius vapulante, non improbabilem quidem videri *Suyskeno*, sed supra modum tamen exornatam, et scriptoris coniecturis plus aequo auctam. Iam si in his minoribus criticen exercere non dubitant *Bollandistae*, cur eam ad gravioris momenti narrationes, de miraculis SS. genuinis eorum reliquis, ab Ecclesiae suae filiis colendis, cet. non audacius saepiusque transtulerunt?

Duo supersunt, de quibus diligenter nostri hoc Tomo tradidere: alter b. *Salomo* Corf. ex Rege Hungariae Eremita, pag. 848-874. de quo tamen *Stillingus* ea fere tantum sinit, quae *Thuroczus*, et descriptor illius *Bonfinius*, referunt, exprobrans etiam *Thuroczio* p. 859. improbabilia figmenta, et adiungens his partim *Lectiones Officii b. Salomonis*, partim

tius excerpta ex hagiographis quibusdam, et aliis Scripto-
 ribus; — alter h. *Bernardinus Helveticus*, non ignobilis qui-
 dam ille de S. Francisci familia monachus Sec. XV. sed in
 quo nimis multas lucubrationes perdidit *Suykenus*, a pag.
 874-993. placituram tamen omnibus, quorum interest nos-
 se Sanctos, qui ab ipsis coluntur. *Bernardini* imaginem et
 corpus integrum, prout in sacello Ticinensi spectatur, ad
 pag. 958. reddidit artifex. Vellemus aliquando esset inter
 Romano-Pontificios sculptores, qui Volumen reliquiarum
 et osium de Sanctis Ecclesiae suae, stylo suo adumbratorum
 ederet: efficax, nisi nos omnia fallunt, modus, creandae bo-
 nis et ingeniosis viris in ipsa illa Communione nauseae, adver-
 sus hanc tantam indignam Christianam *λειψυολατρίαις* super-
 stitionem — Sed de hoc Actorum Tomo satis dictum vide-
 tur, ac forte plus quam satis. De XLVto propediem re-
 feremus.

*FLAVII VEGETII RENATI, COMITIS, DE RE
 militari L. V. cum selectis STEWECHII et SCRIVE-
 RII, nec non ad Codd. MSSorum fidem notis perpe-
 tuis criticis emendati, addita versione Gallica: cura
 M. NIC. SCHWEBELII, ill. Carolini P. P. et R. Aca-
 demiar. Imper. Roboret. Elector. Bavar. atque
 Göttingensis Collegae.*

Norimb. 1767. 4to mai. cum fig. aen.

Quaquam res militaris veterum, eiusque illustratio, cam-
 pum editoribus Scriptorum militarium aperit, nec val-
 de tritum, nec satis iueundum: tamen neque his, neque
 aliis difficultatibus passus est Cl. *Schwobelius*, post editum
Onofandri Strategicum, ab edendo *Vegetio* se deterreri.
 Quae constantia maximis laudibus digna est, non modo pro-
 pterea, quod indefessam Viri atque pertinacem industriam
 Yy indicat;

indicat; verum etiam, quod Vegetii editiones meliores apud nos non ita frequentes sunt, ut in omnium manus facile perveniant. Agimus itaque gratias, etiam pro hoc labore Viro doctissimo, nomine totius reip. litterariae, et nunc, quod nuper promissimus, de hoc eius Vegetio sententiam nostram dicemus.

In praefatione historiam quandam, partim editionis huius suae, partim editionum superiorum, maxime insignium, proposuit. Quo ipso praeclare imitatus est doctissimorum virorum institutum, qui futilium plerumque praefationum loco, quandam quasi editionum genealogiam proponunt, unde quae reliquis anteposenda sit, quae alteram descripserit, intelligatur. Quod, quam sit verae lectioni constituendae proficuum, atque adeo necessarium quam maxime, dici non potest. In Opere ipso, praeter varias lectiones, quas e multis codicibus editores Vegetii superiores, *Modius*, *Stewechius*, et *Scriverius* iam collegerant; novas quoque satis multas, e tribus membranaceis bibliothecae Guelferbytae, nondum a quoquam adhibitis, *Schwebelius* collegit, textumque Vegetii haud parum inde emendavit. Textui ipsi notas, partim *Stewechii* et *Scriverii*, (non omnes, quod vehementer probamus, sed selectas,) partim suas, subiecit, quae maximam voluminis partem conficiunt. Harum vero triplex omnino genus esse vidimus; primum *criticum*, alterum *grammaticum*, tertium *verale*, ut nuper ad eius *Onofandrum* vocavimus. Quorum quidem primi ac tertii magna copia est, et multa in iis reperimus, quae nuperam nostram de ingenio eius critico sententiam egregie confirmant. Secundi vero, quod Latinitatem Vegetii spectat, non adeo multae animadversiones insunt, nisi quoad ad illustrandas lectiones pertinebant. Neque huius generis observationes hoc loco valde necessariae erant; non enim facile quemquam, credibile est, Vegetium propter latinitatem lecturum. Quamquam enim est in suo genere, et pro materiae subtilitate, elegans, rectus, et candidus, (et praeclare ageretur cum plurimis

plurimis nostrorum scriptorum, si in rebus dogmaticis ac technicis, h. e. tenuibus, nec ornatum sua natura capientibus, Vegetianam simplicitatem imitarentur:) tamen nihil inest, quod ad facultatem ornate scribendi valde proficit. Unde etiam de toto hoc genere iam nihil dicimus; sed de caeteris Cl. Schwobellii notis nonnullas, exempli causa, cominciamur. De criticis primum videamus.

Lib. I. c. 13. ad illa verba Vegetii: „*Præterea illo exercitii genere, quod armaturam vocant, et a campi doctoribus traditur, imbuendus est tiro*“ recte cum Scriverio reiicit coniecturam Salinasii, legentis *armadoctoribus* pro *campidoctoribus*; ubi etiam Stewechium sine necessitate, ait, ex libris impressis reposuisse *campiductoribus*. Docet enim *campiductores*, et *campidoctores*, eodem fuisse. — C. 20. in loco: „*Missilibus autem, quibus utebatur pedestris exercitus, pila vocabantur*“ rectissime cum Scriverio, retinuit *missilibus*, quod exquisitius est, et in pluribus codicibus reperitur, pro *missilia*, quod est vulgare, ea facile ab imperito quodam librario, qui solocismum esse putaret, substitui potuit. Sed a solocismi suspicione multis exemplis a Viro Cl. defenditur. — C. 21. etli refragantibus omnibus scriptis et impressis, tamen de coniectura inseruit particulam *ut*: in quo recte fecit, primum, quia sine ea sensus nullus est; deinde, quia probabile sit, illam vocem per negligentiam alicuius librarii, a præcedenti *peragunt* absorptam fuisse. — C. 27. locus est hic: „*Equites — tantum itineris peragebant, ita, ut — interdum sequerentur; interdum viderent, et recursu quodam impetus repedarent.*“ In eo constituendo mirus et librorum et editorum dissensus est. Quid Modius ad ad hunc locum habeat, aut notaverit, quoniam hæc editio nunc non in promptu est, nescimus. Stewechius in duobus MSis repererat *repedarent*, idque in textum receperat. Scriverius in quinque Palatinis codicibus esse ait *reparent*, in aliis quibusdam *in præliis separent*, iterum in aliis *impetus separent*, in aliis rursus aliter.

aliter. Ipse ex his elicit *recursu, quodam impetu, se parent*; cum ex Palatinis in praecedentibus reperisset *sequantur et cedant*. Schwebelius denique clarissimus, reiectis Scriverii emendationibus, (quae nec nobis placent,) amplexus est lectionem Stewechii: *rapidarent*, quam etiam aëvo Vegetiano vindicat, et in textum recepit. — L. II. c. 3. videtur nobis sine causa aliquid mutasse. Vegetius ibi habet hæc: „*est etiam alia causa, cur attenuatae sint legiones: magnus in illis labor est militandi, graviora arma, fera munera, severior disciplina. Quod vitantes plerique, in auxiliis festinant militiae sacramenta persipere, tibi et minor sudor, et maturiora sunt praemia.*“ Hic, ut ipse vir Cl. fatetur, exemplaria optimaë notae, itaque tres eius codices Guelferbytani, constantissime habeat *plura minora*, non *feru*, quod in vulgatis fuerat. Hoc non obstante, tamen ille vulgatam retinuit. In quo plane ab eius sententia recedimus. Primum enim, (ut iam diximus, et ipse dixit,) vulgata repugnat libris optimis. Deinde, quod vir Cl. Vegetium, ait, si legatur *plura*, tautologiam committere, quia *magnus labor, et plura munera*, eodem redeant, vicissim, si legatur *feru*, elegantiore et veriore oppositionem inter *magnam laborem, et minorem sudorem*, inter *fera munera, et maturiora praemia*, futuram, id huc non valde pertinet. Si hæc diceret de loco Ciceronis, aut Livii, verissime diceret. Dudum enim constat, in scriptoribus aureae aetatis omnia ad vivum reserari, et ad *disponu* Grammaticam et Rhetoricam, etiam interdum contra codices, exigi posse; quoniam certum ac pæne necessarium est, eos hoc ita scripsisse, illud non ita scripsisse. Nunc, cum dicat de Vegetio, scriptore ferreae aetatis, alia res est. Nam in sequiori aëvo id locum non habet, quoniam eius scriptores *disponu* illam, vel plane non, vel rarius servant, adeoque in his non modo loca dubia ad hanc non corrigenda, sed etiam interdum *contra* hanc decernendum, et lectio deterior, plurimumque codicum, sequenda est. Quod in primis de Vegetio nobis dicendum videtur, qui raro,

aut

aut nunquam *auspicis* loquitur. Et si vel maxime oppositionis elegantiam in aliquot verbis huius loci Viro Cl. concesserimus, tamen ea laborabit in reliquis periodi membris. Nihil enim adest, quod opponatur his: *gravior arma, severior disciplina*, quae negligi non debuissent a Vegetio, si concinnam voluisset orationem, accurata oppositione efficere. His de causis credimus, melius facturum fuisse Schwebelium doctissimum, si *plura* e codicibus reposuisset. Ceterum *severior*, pro *saevior*, quod est in quibusdam, scriptis, propter sensum et rem ipsam, recte nobis videtur retinuisse. — C. 13. ubi Vegetius de signis agit, quae in confusione praesit concuriones ab se invicem et a milicibus discernunt, post verba: *transvenfis cassidum cristis*, ex auctoritate quorundam codicum in textum recepit: *litteras habebant*, eiusque rei rationem in nota subiecta, nostro quidem iudicio, optimam reddidit. — L. III. c. 5. in loco: „*Multa quidem sunt dicenda atque observanda pugnantibus*“ ubi in vulgatis antea fuerat: *edifenda*, hoc recte mutavit in *dicenda*, ita, ut *observanda* ad milites, *dicenda* ad duces referantur, eamque notionem *to dicere* aliquot exemplis vindicavit. — C. 10. Stewechium carpit, qui pro *vacantes* (milites) ingeniosius, quam verius, reposuerat *vagantes*, repugnantibus non libris solum, sed et contextu. Praecesserat enim: *cibum capientes aut dormientes*, et sequitur: *vacantes certe*, quae particula manifeste docet, sermonem esse de re minori, quam quae praecesserat; *vagans* autem profecto plus et maius, quam *dormire* est, aut *cibum capere*. Unde rectissime vetus lectio a Cl. Schwebelio reducta est.

Quod vero attinet ad notas eas, quae in re ipsa, h. e. militia Romana vetere, versantur, negari non potest, eas et permultas, et valde eruditas esse. Schwebeliumque doctissimum multa eius disciplinae capita, datis occasionibus, egregie illustrasse. Sic v. c. L. I. c. 3. de *curariis stationibus militum*: c. 4. de *armatura*, quatenus per eam *ipfi milites intelliguntur*.

telliguntur: c. 24. de *diversis generibus fossarum*: L. II. c. 3. de *tribus mitionum generibus, honesta, causaria, et ignominiosa*: c. 7. de *diversis generibus Tribunorum, resp. liberae temporibus*, quorum alii a Consulibus in exercitu, alii a populo in comitiis creati fuerunt, itemque temporibus Caesarum, quibus alii *Latilacii* s. *maiores*, alii *angustilacii* s. *minores* dicti: c. 9. de *comitiis*, eorumque inter se differentia: c. 19. de *scholis militaribus et castrensibus*: L. III. c. 20. de *quadrato agmine et exercitu etc.* quanquam breviter, tamen accurate et perspicue differunt. Etiam L. II. c. 19. occasione emendationis cuiusdam Stewechii, qui pro *militarium numerorum* malebat *munerum*, (quem Schwebelius recte reprehendit) de discrimine *obsequiorum et numerorum*, h. e. satellitum, et cohortium, doctissimam observationem addidit. Interdum etiam Vegetium ipsum erroris arguit, maxime ubi tempora non satis videtur distinxisse, quod non raro eum fecisse iam ab aliis observatum est. Cuius rei exempla sunt L. II. c. 1. ubi Vegetius in auxiliis minorem, in legionibus vero longe ampliorum militum numerum conscribi solitum ait, contra Polybium, et Livium: c. 2. ubi leviorum armaturam legionibus ipsis immiscet: L. IV. c. 18. ubi Vegetius inventum suffosionis in obsidionibus tribuit Rhodiis, cum sit longe antiquius, ut Cl. Schwebelius ex Aenea Tactico docet.

Quae quanquam ita sint, et in his notis singulis permultum ingenii ac doctrinae Viri Cl. appareat: tamen cum bona eius venia, de universis, earumque dispositione, aliquid monebimus. Nos scilicet, si Vegetium edidisset, omne notarum agmen, (tripartitum, ut supra diximus,) ita disposuisset: Criticas suis quasque locis inseruisset, ut ipse fecit; grammaticas etiam. Sed reales, h. e. de re militari, comieisset omnes in Lexicon aliquod Rei militaris, seu Vegetianum, idque indicis loco apposuisset. Constat enim, in rebus technicis, et quae ad certam aliquam artem vel disciplinam spectant, commodiorem explicandorum verborum ratio-

rationem non esse, quam ut verabula illa omnia in unum locum, ordine alphabetico, coniciantur, iisque ibi semel explicatis, loca, in quibus quaeque occurrerint, citentur, et quid de singulis separatim forte notandum sit, statim adiciatur. Si enim textui subiiciantur, aut saepius idem dicendum; aut eodem saepius ablegandum est; aut denique, si hoc quoque negligatur, lector, oblitus, quid supra, ubi eadem vox occurrerat, notatum sit, frustra notam iterum quaeret. His omnibus, Lexico adiecto, facilius, et minori cum labore, occurritur. Quod si in libris aliis, Ciceronis v. c. id praestari potest, (cuius rei exemplum insigne habemus in Clavae Ciceronis Ernestiana,) ubi tamen propter verba *abstracta* et *πολύσημα* haud paullo difficilius negotium est, quanto magis in technicis, ubi voces ut plurimum *concretae* sunt, ac definitae significationis, quae semper et ubique iis mest? Atque hoc in Vegetio ita esse, res ipsa loquitur, ac tot verba militaria, centies obvia, *martio-barbulus* v. c. *ballista*, *serentarius*, *tollens*, *armatura*, *draconarius*, *tesserarius*, *plumbata* et sexcenta eius generis alia, abunde ostendunt. Haec nostra sententia est, nostra, inquam; qua tantum abest, ut Schwebelii Cl. editioni aliquid detractum velimus, ut potius iudicium nostrum de eius insigni doctrina et industria, supra latum, hoc loco reperamus, eumque vehementer rogemus, ut pergat in suscepto consilio, et proxime nobis Mauricium, aut Leonem, aut similem aliquem rei militaris scriptorem, emendatum et correctum sistat. Hos enim videmus, in nostris regionibus paullo rarius reperiri. Certe ab ea parte reip. litterariae, quae doctrinam accuratam, et e fontibus ipsis ductam, amat, plurimum gratiae eum credimus initurum esse.

De figuris aeneis, et versione Francica, quam Cl. Editor adiecit, et quae, ut vidimus, similis est versioni Onofandri, quoniam ipse nihil dixit, neque nos hoc loco quidquam dicemus, sed utrumque lectoribus intelligentibus diiudicandum relinquemus.

EMEN.

EMENDATIONUM CALLIMACHICARUM PERI-
culum: fecit IACOBUS FRIDERICUS HEUSINGER,
Scholae Guelfh. Rector.

Callimachiarum emendationum periculum, quod Grata-
litoriae Epistolae ad V. S. Rev. *Frant. Anton. Knitte-
ium*, Consiliorii Confil. Superintend. Gener. et Gymnasii
Guelferbyt. Ephorum, iam ante triennium inseruit *Heus-
ingerus*, Vir doctissimus, si in haec Eruditorum Acta transtu-
lerimus, credimus, quia doctorum hominum commodo id
fit, etiam volente auctore fieri. Sunt autem emendationes
sequentes:

„Sequiturus ordinem, quo CALLIMACHI carmina edun-
tur, primum in medium dabo locum ex hymno IN IOVEM
v. 79. seq. ubi poeta de regum divinitate ita canit:

Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων
Θειότερον. τῶ καὶ σφεὶ τῆν ἐκρίνατο λάξιν.

In posteriore versu Rich. Bentleius scribendum censet τῶ καὶ
σφε τῆν ἐκρίνατο λάξιν, existimans, sententiam huius loci non
esse, quare illis decrevisse tuam sortem, verum, illos deligisse
tuam sortem. Ita vero Callimachus a crimine ταυτολογίας
haud longe abesse mihi videretur. Parum enim, aut omni-
no non diversa sunt, ἐκ Διὸς βασιλῆες et Ζεὺς τοὺς βασιλῆας ἐν
ἐκρίνατο λάξιν. At si vulgatam scripturam retineamus, ni-
hil redundabit, sed omnia aptissime cohaerebunt. *A Iove
sunt reges: quippe Iovis regibus nihil divinius est. Ideo etiam
permissi eis tuam sortem.* Scilicet, ut sint urbium custodes,
ut regant populos, opesque possideant. Ne quis vero du-
bitet, an commode dici queat κρῖναι τινί τι, adscribam ista So-
phoclis ex Aiac. flagit. v. 442. seqq.

Εἰ ζῶν Ἀχιλλεύς τῶν ὅπλων τῶν ὄν πέρι
 Κρίνειν ἔμελλε καὶ τὸς ἀριστείας τιμῆ,
 Οὐκ ἂν τις μὲν ἔμαρψεν ἄλλος ἀντ' ἰμοῦ.

IBID. v. 92. seq.

Callimachus opera Iovis maiora esse dicit, quam quae digne a quoquam laudari queant. Verba haec sunt:

Τὰ δ' ἔργματα τίς κεν αἰεῖται;
 Οὐ γένητ', οὐκ ἔσται, τίς κεν Διὸς ἔργματ' αἰεῖται;

Sententiam horum versuum, ut nunc leguntur, impeditiorem esse, animadverterunt docti interpretes, quorum alius aliam emendandi viam sequutus est. Nec scripta exemplaria a criticis inspecta satis sibi constant in extremo prioris versus verbo αἰεῖται, pro quo codex Mediolanensis alter αἰεῖται, et Parisiensis αἰεῖται substituit. Equidem crediderim, verba αἰεῖται et αἰεῖται inter se permutata, alterumque in alterius locum ita restituendum esse:

Τὰ δ' ἔργματα τίς κεν αἰεῖται;
 Οὐ γένητ', οὐκ ἔσται, τίς κεν Διὸς ἔργματ' αἰεῖται.

Ita sensus hic esset: *Tua opera vero quis canet? Non fuit, nec erit, qui Iovis opera canat.* Pronomen τίς in articuli postpositivi significatione apud ipsum Callimachum epigrammate XXX. v. 2. legimus, ubi alios etiam locos adscripsit Rich. Bentleyus. Tamen longe simplicior ac verior mihi videtur loci nostri ista interpunctio:

Τὰ δ' ἔργματα τίς κεν αἰεῖται;
 Οὐ γένητ', οὐκ ἔσται, τίς κεν Διὸς ἔργματ' αἰεῖται;

Tua opera quis canet? Neque fuit, nec erit. Quis Iovis opera canere possit? Ita etiam verba Callimachi propius accedent ad ista in Apoll. v. 30. seq.

Οὐδ' ὁ Χορὸς τὸν Φοῖβον ἐφ' ἑν μόνον ἡμῶν αἰεῖται.
 Ἐσι γὰρ εὐύμνος. Τίς αἶν οὐ βέω Φοῖβον αἰεῖται;

Nec audiendus est Stephanus, qui negat, fatis apte indicati-
 vo modo iungi particulam κέν. Plane enim, quemadmo-
 dum Callimachus hic fecit, ita futuro indicativi hanc parti-
 culam iunxisse videmus Homerum in illo Iliad., A. v.
 174. seq.

Πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι,
 Οἳ κέ με τρωήσουσι.

IN APOLLINEM V. 40. seq.

Ἐν ἄσει δ', ὧ κεν ἐκείνη
 Πύρραες ἐξάξε πέσσωσιν, ἀκήρεια πάντ' ἐγένοντο.

Leve mendum praeantibus H. Stephani exemplaribus tol-
 lo, et ἄσει pro ἄσει repono.

IBID. V. 113.

Χαῖρε, ἀναξ. ὁ δὲ Μῶμος, ἴν' ὁ Φθόρος, ἐνθά νέαιτο.

Ita nunc editur hic versus, sententia quidem fatis concinna.
 Nec de emendatione cogitarem, nisi aurem mihi vellent
 critici, qui adnotaverunt, in antiquis libris pro Φθόρος scri-
 ptum fuisse Φθόρος. Hinc intelligere mihi videor, Calli-
 machum scripsisse ἴν' οὐ Φθόρος, ἐνθά νέαιτο. Non potuit
 poeta Momum suum in alium locum facetius ablegare, quam
 in eum, ubi nulla invidia est, id est in extremam miseriam.
 Φθόρος γὰρ οὐδεὶς τῶ δυσχερούτε, ut est apud Plutarchum de
 de invidia atque odio p. 538. B. Dictum Callimachi suum fe-
 cit Martialis, quum ita lusit lib. I. epigr. 41.

Omnibus invidias, invidias, nemo tibi.

IN DELVM VI. 16. seqq.

Ἄλλὰ οἱ οὐ νεμεσητόν ἐνὶ πρώτῃσι λέγεσθαι,
 Ὀππότ' ἐς Ὀκεανόν τε καὶ ἐς Τητηνίδα Τηθύῃ
 Νῆσοι ἀολλίζονται, αἶε δ' ἔξαρχος ὀδεύει.

In ultimo versu fortasse post αἶε particula δ' abiicienda, aut mutanda in γ', ac totus locus ita est interpungendus:

Ἄλλὰ οἱ οὐ νεμεσητόν ἐνὶ πρώτῃσι λέγεσθαι.
 Ὀππότ' ἐς Ὀκεανόν τε καὶ ἐς Τητηνίδα Τηθύῃ
 Νῆσοι ἀολλίζονται, αἶε ἔξαρχος ὀδεύει.

IBID. V. 193. seq.

Ἄλλὰ παλιρροίη ἐπινήχεται, αἰθέριος αἶε,
 Ἐθα νότος, ἐνθ' εὖρος, ὅπῃ φορέησι θάλασσα.

Valde exiguo scripturae discrimine, sed magno, nisi fallor, sententiae bono, vocabulum extremum θάλασσα muto in θάλασσαν.

IBID. V. 262.

Χρῦσειον δ' ἐκόμισσε γενέθλιον ἔνος ἰλαίης.

Mihi quoque mirifice blanditur ingeniosissima coniectura τοῦ πανο Hémsterhuisii, ἐκόμησε pro ἐκόμισσε legere nos iubentis. Verba autem poetae sic accipienda esse crediderim. Ἐνος ἰλαίης ipsa arbor est ολίβα: ita Homerus Iliad. P. v. 53. dixit

Ὅταν δὲ τρίφει ἔνος αἰὴς ἐριθῆλῆς ἰλαίης.

Haec oliua ἐκόμισσε, sive ἐκόμησε, τῷ Ἀπόλλωνι δηλονότι ἢ καὶ τῇ Λητοίᾳ γενέθλιον δῶν χρῦσειον. Tale est, quod legitur apud Euripidem Hecub. v. 456. seqq. Πρωτόγονος τὸ Φοῖβος, δάφνα δ' ἱερὸς ἀνέσχε πτόρεθους Λατοῦ Φίλας αἰδῆος ἀγαλμα

μα δίας. Quod autem Callimachus γενέθλιον dixit, Aeschylus Eumenid. v. 7. γενέθλιον δόσιν appellat.

IN LAVACR. PALLAD. V. 25.

Ἐμπεράμιος ἐτρέψατο λιτὰ λαβοῖσσι

Χιμάτα.

Arridet mihi βλοῖσσι, quod erat in prius editis. Minerva oleo puro affuso scienter corpus fricat. Contrario itrodo peccatum est infra v. 82. Παιδὸς δ' ὀμμάτων νόξ ἴθιλεν. Plane enim adfentior viris doctis, qui νόξ εἶλαβεν Callimacho restitui iubent. Quod vero poeta scribit Ἐμπεράμιος ἐτρέψατο, meminimus, prudentia ac peritia opus fuisse ad frictiones athletarum. Pulchre hoc declaratur Galeni locis, quos Petrus Faber excerptit lib. III. agonist. c. 15. p. 549.

IN CERER. V. 4. seqq.

Μηδ' ἀπὸ τῶ τέγεος, μηδ' ὑψόθεν ἀυγάσσησθε,

Μη παῖς, μηδὲ γυναῖ, μηδ' ἄ κατεχεύατο χαίταν,

Μηδ' ὄκ' ἀφ' αἰαλίων σομάτων πτύωμες ἄκασοι.

In versu trium horum ultimo Μηδ' ὄκ' ex Μη ποκ' esse depravatum, suspicor. Callimachus inspectionem calathi profanis interdicit, ne quando Ceres, ultra curiosos mysteriorum suorum inspectores, populo famem immittat.

IBID. V. 60.

Οἱ μὲν ἄρ' ἠμιθνήτες, ἐπεὶ τὰν πέτνιαν εἶδον.

Aldus ἠμιθνήτες edidit, quod esset ab ἠμιθνήξ. Et saepe Doras Σ in Ξ mutat, puta κλάξ pro κλαῖς, ὄρνιξ pro ὄρνις, dicentes.

IBID.

IBID. v. 129. seqq.

Μέσφα τὰ τὰς πόλιος πρυτανήια τὰς ἀτελέσως
 τὰς δὲ τελεσφορίας ποτὶ τὰν θεῶν ἀχρεῖς ὀμαρτεῖν,
 Αἴτινες ἐξήκοντα κατώτεροι.

Sic e coniectura Stephani locus hic interpolatur, invito sensu, et inivitis omnibus libris, in quibus constanter legitur:

Μέσφα τὰ τὰς πόλιος πρυτανήια τὰς ἀτελέσως,
 τὰς δὲ τελεσφορίας ποτὶ τὰν θεῶν κ. τ. λ.

Videbat Stephanus, τελεσφορίας pro adiectivo haberi non posse, ideoque τὰς δὲ τελεσφορίας mutavit in τὰς δὲ τελεσφορίας, et hoc ad ἀτελέσως retulit. Quia vero contextus orationis flagitare videtur, ut τὰς ἀτελέσως opponantur *initiatae*, alii coniecerunt τὰς δὲ τελεσφορίας. Hoc autem, sive a τελεσφορίας, sive a τελεσφορέως derivetur, utrumque repugnat analogiae, alterum etiam canonicas de generibus nominum laedit. Malim igitur τὰς δὲ τελεσφορίας servare, idque pro τὰς δὲ τὰς τελεσφορίας accipere, ut αἱ τελεσφορίας *initiatae* dicantur, quemadmodum Graeci τοὺς δήμου, τοὺς Καίσαρος, τοὺς τῆς πόλεως, τοὺς αὐτοῦ, et similia dicunt. Potuit etiam Callimachus, ne Doride quidem inuita, scribere τὰς δὲ τελεσφορίας.

EPIGR. 39.

Ὁ Λύκιος Μενότιος τὰ τόξα τῶν ἱππέων
 ἔθηκε τῇ κερᾶσσι, δίδωμι καὶ Φαρέτην,
 Σάραπι, τοὺς οἰσούς ἐχουσιν Ἐσπερταί.

Fabra, Huetium sequuta, bene monuit, versu secundo scribendum esse ἔθηκε pro ἔθηκε. Proxima τῇ κερᾶσσι δίδωμι Rich. Bentleyus correxit τῇ, κέρᾶς τοι δίδωμι, probante Celeb. Ernesto. Hic etiam e margine codicis MS. Lipsiensis adfert τοι γέρας, τοι, quod firmet correctionem Bentleyi. Si qua discas-

discessio fieret, ego pedarius senator in partes codicis Lipsi-
transirem, et contentirem epigramma sic legendum esse:

Ὁ Λυκτίος Μενότας τὰ τόξα, ταῦτ', ἱπεῖπεν,
Ἔθηκα τοι, γέρας τοι δίδωμι καὶ φασέτην,
Σάραπι· τὸς αἰγούς ἔχουσιν Ἑσπερίαν.

Tunc interpretarer:

*Hos Lyctius Menoetas arcus, aitque, dono
Tibi hos, tibi que munus simul dico pharetram,
Serapi. Nam sagittas consumpsit in Hesperitas.*

EPIGR. 63.

Εὐδαίμων, ὅτι πᾶλλα μανίαι, ἀρχαῖος Ὀρέσμε
Λευκάρεταν μανῶν οὐκ ἰμάνη μανίην.

Lascivum, sed elegans, epigramma, prope interceptum est
inficitia librariorum, quibus insolentior erat vox λευκοπερικ-
τομανῶν.

EPIGR. 65.

Αἴνε καὶ σὺ γὰρ ὦδε Μενέκρτες ἐτι πούλις
Ἦσθα τί σε ξείνων ὡσε κατειργάσατο.
Ἦρατο καὶ Κένταυρον, ὃ μοι πεπεωμένος ὕπνος
Ἦλθεν, ὃ δὲ τλήμων οἶνος ἔχει πρόφασιν.

Primum vocabulum Αἴνε ex Μηνίε ortum puto. Omiserat
forfan librarius aliquis litteram M, ut ea cocco aut minio ap-
pingeretur. Id quum postea, ut saepe, neglectum est, ἦνιε
remanfit. Ex hoc deinde alius, pronuntiationis errore, fecit
αἴνε. Pro Μενέκρτες ἐτι πούλις Celeb. Rhunkenius e MS,
Voff. Μενέκρτες οὐκέτι πούλις restituit. Hunc totum epi-
gramma in hunc modum reconcinno:

Μένους, καὶ σὺ γὰρ ὦδ'ε, Μενίκρατες, οὐκέτι πούλ'ε
 ἦσθ'ε, τίς ἢ ξείνων, ὅς σε κατ'εργάσατο;
 ἦρώτο καὶ Κένταυρον. Ὁ μοι πεπρωμένος ὕπνος
 ἦλθεν, ὃ δὲ τλήμων οἶνος ἔχει πρόφασιν.

Menebrates vino immoderatus potato mortem sibi accelera-
 verat. Hunc paulo post, quam ad inferos traductus erat,
 Menippus aliquis, quasi mortis causam adhuc ignoraret, si-
 mulansque, sibi parum credibile videri, virum eius aetatis
 naturali morte occubuisse, interrogat, quis hostis eum in-
 terfecerit. Menebrates, ut si puderet se tam turpem causam
 mortis discrete pronuntiare, respondet, eundem aucto-
 rem mortis suae fuisse, qui Centaurum Eurytionem labefecerat,
 scilicet vitum. Respicere autem Callimachum ad
 Odyssaeae v. 293. seqq. praecclare vidit Ernestus V. S. R.
 Deinde Menebrates, ut etiam hac re pudori suo consulere, et
 culpam a vino transfert in fatum. Utcumque res cessura
 est, experiar, an epigrammatis sententiam Latinis numeris
 reddere possim.

Dic, huius modo facte, Menebrates, incola regni,

Quis, te qui necuit, barbarus hostis erat?

Is, qui Centaurum. Fatalis venerat hora:

Infontis Bacchi potula crimen habent.

Quemadmodum vero causam mortis suae Menebrates a vi-
 no, seu potius a se, auolitur, eamque in fatum confert: ita
 saepe faciebant prisca. Clytaemnestra apud Aeschylum
 Choeph. v. 910. caedem mariti excusat ita:

Ἡ μοῖρα τούτων, ὦ τέκνον, παραιτία.

Demophoon apud Sabinum epist. II v. 104. culpam Ariad-
 nes, perfide a patre suo desertae, simili excusatione levat:

Excusit patrem fatis in patre relicta

Gnoxis,

Ita legendum esse pro vulgato *fatis in parte relicta*, vel coecus videat. Fatale necessitate relictam esse Ariadnem, ait Demophoon; infontem Thesea desertionis invidia premi.

Addo coniecturas meas de sanandis aliquot SCHOLIIS veteribus ad Callimachum.

IN IOV. ad v. 8. extr.

Ἡ ὅτι Κεκύβαντες, λαβόντες αὐτὸν ἐπὶ τὸ κεκύβαι διὰ τὸν Κρόνον, προσέποιήσαντο τάφον αὐτῷ.

Pro ἐπὶ τὸ κεκύβαι Valcofanus rectius edidit αὐτὸν ἐπὶ τῷ κεκύβαι. Etiam extrema huius scholii verba sic legere malim: προσέποιήσαντο τάφον αὐτοῦ.

IBID. ad v. 21.

Ὅσ' ἐλύσατο Ἰσερον, μετὰ τὸ τεκεῖν τὴν Ἰρίαν.

Hoc scholion plane non facit ad verba poetae, quibus adscriptum legitur. Referendum erat ad verbum αὐτίς, quod in eodem Callimachi versu praecesserat.

IBID. ad v. 52.

Ὅλα] Κατὰ πλήρον, ὑγιεινῶς.

Vocabulum ὅλα non explicari posse formula κατὰ πλήρον, manifestum est. Ernestus, consummatae eruditionis vir, opinatur, verba κατὰ πλήρον temere huc irrepisse, quum adscripta fuerint v. 59. ad verbum ἐπιδύσειον. Sed pace summi viri dixerim, ipse non videre, quomodo in mentem venire grammatico potuerit, ut ἐπιδύσειον exponeret κατὰ πλήρον προμασερόν; quum discrete noget Callimachus, forti in ista divisione locum fuisse. Mihi igitur proximum vero videtur, Scholiasten vocem ὅλα interpretatum esse κατὰ καιρὸν, ὑγιεινῶς.

IN DIAN. ad v. 188.

Εὐβοία] Εὐβοίης ὁ μεταξὺ Εὐβοίας καὶ Βοιωτίας ῥοῦς. καλεῖται δ' οὕτως ἡ Εὐβοία, διὰ τὸ ἐπιμήκη αὐτὴν κεῖσθαι. λέγεται δὲ καὶ Μακρῆς.

Non satis cohaerent, quae in hoc scholion congesta sunt. Fortasse posterior pars adnotationis huius adiecta fuit v. 187. nomini Δολιχῆ, in hunc modum: Δολιχῆ] ἡ Εὐβοία. Καλεῖται δ' οὕτως ἡ Εὐβοία διὰ τὸ ἐπιμήκη κ. τ. λ. Cogitare potuit Scholiastes de insula Euboea, quam meminerat Μακρῆν appellari. Eandem Euboeam Dianae cultui insigniter deditam fuisse, permultis argumentis ostendi potest. Haec tamen ita accipi nolim, quasi displiceat mihi sententia doctorum virorum, qui, Plinio auctore, Dolichen Callimachi canis esse arbitrantur, quae Icaros postea appellata est.

IN DEL. ad v. 295.

Εὐμοῖροι] Εὐφημοί.

Elocutioni Εὐμοῖροι δ' ἴγινοντο, nisi me coniectura fallit, adscripsit Scholiastes Εὐφημισμός. Scripturae compendium, quo librarius illud vocabulum expresserat, in Εὐφημοί facili errore degeneravit. Haud inepte vero Grammaticus iste sibi persuaserat, Callimachum, Cleobis ac Bionis memorem, de iuvenibus Hyperborealibus scripsisse, ὅτι εὐμοῖροι ἴγινοντο, τοῦτ' ἔστιν ἀπίθανον.

EXODI PARTICULA ATQUE LEVITICUS,
Graece: editis e Cod. MS. Bibliothecae Collegii Paulini Lipsiensis, IO. FRID. FISCHERUS,
Humaniorum Litterarum in Academia
Lips. Prof. Publ.

Lipsiae, ex Officina Saalbachia A. C. MDCCLXVII.
plag. 9. octonis.

item:

NUMERI, ET PARTICULA DEUTERONOMII,
*Graece, edidit e Cod. MS. Bibliothecae Collegii
Paulini Lipsiensis IO. FRIDER.
FISCHERUS.*

Lipsiae, ex Officina Saalbachia A. C. MDCCLXVIII.
plag. 8. octonis.

Quum versionum Graecarum Veteris Testamenti ea sit praestantia atque utilitas, ut earum auxiliis librorum divinorum intelligentia plurimum adiuvari possit: laudandi sane sunt omnes ii, quorum studium versatur in eo, ut vel iustum harum versionum pretium constituatur, vel earum indoles accuratius cognoscatur, vel denique lectio ad intelligenda cum veteris, tum Novi Testamenti scripta, conferatur. Ex eorum numero qui hoc nomine laudem merentur, esse etiam Cl. Fischerum, ipse, tum multis aliis documentis, tum edendo hoc, de quo dicendum iam nobis est libro, insigniter demonstravit. Qui, quum ante annos aliquot conquirere instituisset et comparare copias, quarum auxilio uteretur, cum in Clave Fragmentorum Graecorum Veteris Testamenti adornanda, tum in augendis locupletandisque Hexaplorum Origenianorum reliquiis, incidit etiam in codicem membranaceum versionis Alexandrinae, admodum antiquum, septingentos enim viro doctissimo habere annos videtur, eundemque oppido bonum et accuratissime scriptum, quo tertius, quartusque libri Moysi integri continentur, et particulae quaedam secundi et quinti. Huius codicis margines commissa sibi ab eadem manu ostentant multis locis scholia utilia non minus, quam reliquorum interpre-

tum verba. Ac quum in his multa exstare intelligeret vir doctissimus, quae a Montefalconio in codicibus vetustis non reperta, neque adeo vulgata essent, laudabile cepit consilium eum integrum edendi. Id vero iam multa cum laude perfecit. Nos enim, quibus codicem hunc, quem in ornamentis bibliothecae academicae esse iure laetamur, inspicendi tractandique occasio fuit, diligenter eum multis locis cum Fischeri editione contulimus, eumque a viro doctissimo accuratissime descriptum esse perspeximus. Atque hoc nomine eo lubentius Cl. Fischeri gratias agimus, quo molestior labor fuit, qui describendo codici impendendus erat. Etenim et litterarum ductus, et compendia scribendi, totiusque omnino scripturae ratio, virum requirebant eum, qui non solum philologiae criticaeque bene peritus esset, sed et nullas molestias, quae in describendo tali codice occurrunt quamplurimae, pertimesceret.


De codicis virtute et indole non est ut multa moneamus. Nam Cl. Fischerus, quod est in eo litterarum Hebraicarum Graecarumque scientiam iuvandi insigne studium, cum in epistola ad patrem Numeris et Deuteronomii particulae praefixa, tum alio *) loco promisit, se hunc laborem alio tempore suscepturum esse. Placet tamen, ut quodammodo intelligatur, quam gratum hac re litterarum divinarum studiosis fecerit, placet, inquam, in medium aliquid de codice ipso proferre.

De aetate codicis tenendum est, cum haud dubie Saeculo fere duodecimo scriptum fuisse, quod conferenda scriptura eius, cum speciminibus scripturae veteris, a Montefalconio in Palaeographia exhibitis, intellexisse nobis videtur.


A a a 2

mur.

*) In egregio libello: *de Personibus Graecis Veteris Testamenti litterarum Hebraicarum magistris*, pag. 24.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM

LEIPZIG 1768

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG. IX.88.

mur. Recte igitur eruditissimus Editor septingentos habere eum annos putat. At vehementer dolendum est, codicem hunc nostrum particulam tantum Pentateuchi habere. Initium enim est Exod. XXXII, 7. *τὴν φωνὴν τοῦ λαοῦ κροῦσάντων, λέγει πρὸς Μωϋσῆν*. Finis vero Deuter. I, 13. *δοτε ἑαυτοῖς ἀιδεσθε σφῆς*. Duplex est textus distinctio: altera cum argumentis, quae et breviter, et accurate traduntur; altera sine argumentis. Utramque Cl. Editor retinuit, ita tamen, ut, quod valde probamus, versuum capitumque distinctiōnem, qua hodie utimur, adponeret.

At quid de textu ipso censendum? Duae omnino existabant olim, monentibus viris doctis, (e. g. Carpzov. Crit. Sacr. P. II. c. II. §. 8.) versiones τῶν LXX. editiones: altera *κοινή* five Vulgata, altera Hexaplaris s. Origeniana. Nos, rationibus, quibus utriusque editionis textus agnosci potest, diligenter pensatis, codicem nostrum Hexaplarē exhibere textum crediderimus. Quod, si argumentis probare velimus, et nimis longum foret, et a consilio nostro alienum. Iam vero de iis, quae in marginibus codicis scripta sunt, pauca monebimus. Triplicis omnino ea videntur esse generis: critici, exegetici, et dogmatici. Usū criticum habere possunt ea, quae interpretum veterum, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, aliorumque fragmenta commemorant, quae magnus ille litterarum sacrarum interpres, Vitringa, auro cariora appellabat. Haec vero fragmenta in marginibus codicis nostri scripta, ita sunt comparata, ut vel non existant in Hexaplis a Montefalconio editis, vel careant ibi nomine, aut omnino interpretis, aut certe auctoris veri. Horum autem omnium insignem esse in Critica sacra usum, quis est qui neget? Certe, his fragmentis magnum Hexaplis, a Montefalconio editis, augmentum ornamentumque conciliari poterit. Enimvero, vel lectiones a Montefalconio haud reperiae, poterunt vulgari, vel omissa interpretum nomina indicari, vel denique interpretationes, falsis auctoribus affectae, veris

veris tribui. Atque in hoc profecto inest egregius laboris Fitcheriani usus!

Neque vero silentio praetereunda sunt scholia exegetica, hoc est ea, quae ad explicandum sententiarum pertinent. Talia occurrunt in margine plurima. Sic Num. III, 32. in margine est: σημειώσαι, ὅτι ἀρχῶν ἀρχόντων ὁ ἀρχιερεὺς — Saepius explicantur in margine nomina propria, ut Levit. X, 1. Ἄσπιδος ὄρεος δυνάμειος, Νασάθ ἐκυσίος, Ἄβινά πατήρ αὐτῶν: Num. XXI, 19. Μανθαναῖν, δόματα αὐτῶν; κασιλήλ, ἀπὸ Θεοῦ; Βαμωθ, ἔλευσις θανάτου. Neque vero quis putet spernenda esse eiusmodi scholia. Nam poterunt usum non exiguum habere in explicanda vi vocum non ubique occurrentium. Contulit etiam scholiorum auctor studium suum ad explicanda Novi Testamenti loca. Hinc loca V. T. in Novo allegata diligenter indicat. En exempla: Levit. XIX, 18. scholion est: Ἐντεῦθεν ἀναγέγραπται ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ἡ ἐντολή: Num. XVI, 5. Ἀνήκεται ἐν τῇ πρὸς Τιμόθεον Β Πικύλῳ ἐπιστολῇ. Viderur tamen interdum scholiastes allegoricae interpretationis studiosus fuisse. Huc e. c. pertinere arbitramur scholion Levit. XVII, 10. Ἐγὼ οἶμαι τὴν κρίσιν ὑπὸ τῆς οὐρᾶς τοῦ ἀνθρώπου γίνεσθαι, τῆς ψυχῆς Ἰησοῦ, ἣν καὶ νῦν νομίζω λέγεσθαι. Num. XVIII, 11. περὶ τῆς θυσιᾶς τῆς σωτηρίας φησιν ὡς ἐν τῷ 1Δ τῷ λευτικῷ κεφαλαίῳ. Restant scholia dogmatica, quae, uti exegetica, virum produnt in libris divinis bene versatum. E multis huius generis scholiis dabimus hoc: Levit. XXVI, 5. βεβαῖος ὢν ὁ δίκαιος μετὰ ἀσφαλείας κατοικεῖ ἐπὶ τῆς γῆς, λαμβάνων τὴν εὐερίαν τῆς Θεοῦ, ἣν καὶ ὁ Χριστὸς δίδωσιν τοῖς ἰδίῳι μαθηταῖς. Respexisse videtur locum Io. XIV, 27. Peculiaris generis est scholion Num. XXXIII, 38. Ἐν τῇ αὐτῇ ταύτῃ ἡμέρᾳ, τῆς τῆς μηνός. ἐτελειώθη καὶ ὁ μακάριος Τιμόθεος, ὁ ἀρχιερεὺς Ἀλεξανδρείας, μᾶλλον δὲ πάσης τῆς οἰκουμενικῆς ὁ δευτέρως Ἀσέρων.

Plura de hoc codice dicere non attinet: neque enim descriptionem eius dare volumus, sed id tantum spectavi-

mus, ut in litterarum divinarum studiosis cupiditatem incendere, particulam istam Pentateuchi a Cl. Fischero editam inspicendi cognoscendique. Quod si autem sint, qui specimen scripturae, qua exaratus est laudatus codex, videre cupiant, si exhibitum id inveniunt ad calcem laudati supra libelli, *de versibus Graecis V. T. litterarum Hebraicarum magistris*. Ceterum, ea quam diximus codicis utilitas, latius patebit tunc, ubi promissa de eius virtutibus et copiis disputatio edita fuerit. Qua in re ut Cl. Fischerus promissis suis stare velit, omnium, qui litteris Hebraicis Graecisque bene cupiunt, nomine, etiam atque etiam rogamus.

*LEXICON HEBRAICO - CHALDAICO - LATINO-Biblicum, in quo PRIMA pars omnia vocabula, ordine alphabetico disposita, ad suas radices refert, et universas interpretationes cuique genuinas exhibet: SECUNDA radices ita ordinabit, ut omnia vocabula derivata sub his reperire liceat; quaelibet autem interpretatio textu sacro in ea comprobabitur: TERTIA tandem parte nomina propria in Concordantiam rediguntur, cui accedet historia, chronologia, geographia. Observationibus grammatico-criticis constat. Auctore P*** Carmelita Excalceato provinciae Avenionensis. PARS I. sub auspiciis eminentissimi Principis Dominici Pafionei, S. R. E. Cardinalis.*

Avenione apud Franc. Guibert et Henr. Iof. Ioly 1758.
fol. Alph. 8.

Splendidissimum sane, et elegantissimis litterarum formis expressum opus, (etiamsi tardius, nam fero ad nos tales libri veniunt,) cum lectoribus nostris communicamus, cui, si externam adspicias faciem, nihil fere est quod addi posse

posse videatur. Ipse praeterea S. R. Auctor non dubitat, quin unusquisque laboribus suis improbis atque pertinacissimis, quibus ferendis humeri vix suffecerint, suffragium sit daturus, ubi audierit vel legerit, *Lexicon* suum produsse in lucem, sub auspiciis summi illius viri, patris scilicet purpurati, cuius nomen, et quantum illud audit! in fronte apparet, cui omnes boni adfurgunt, cuiusque in literas elegantiores, atque antiquitatum monumenta praeclara aestimantur, etiam post fata, merita.

Sed mittamus hanc suspensam hederam, potius brevissimis curabimus ea indicare, quae in *parte* hac *priore* continentur, atque colliguntur. Ante omnia in limine A. multis iisque verissimis elogiis ornat historiam Scripturae sacrae, et veritatem divinam, in his monumentis sanctioribus, nobis revelatam. Per multas deinde rerum ambages, de genio linguae hebraicae, in qua Iudaeis, nobisque, oracula divina perscripta et tradita fuerunt, differere instituit: summis laudibus etiam effert Pontifices Maximos, in excolendis literis atque studiis hebraicis, omnem operam collocantes; quin et mirifice laudat, auctoritatem atque consultum Concilii Vienneſis, cathedram magistris, hebraicam linguam publice profitentibus, collocantis. Post multas variasque difficultates feliciter profligatas, saeculo decimo sexto denique lingua hebraica, in vitam quasi revocata, vires recuperavit novas. En vero novam calamitatem, ecclesiam prementem, et fere opprimentem. Singulae provinciae singulas conficiebant conversiones codicis sacri. Hispania, Italia, Gallia, Germania, suas in lucem edebant. Omnes ad fontes sacros confugebant auctores, atque ad auctoritatem provocabant illorum. Hinc longa contentionum atque rixarum seges oriebatur, quibus componendis efficax atque praesens remedium adhibitum ab ecclesia, provida Christianorum matre, uti Noster, pro more coetus sui, loquitur. In tanto scilicet rerum discrimine, atque versionum varietate, desiderabatur

ca,

quae per omnes partes, cum textu hebraico conveniret, atque omne punctum ferret. Sed cum nulla inveniretur, Patribus Concilii Tridentini mandabatur, ut omnes atque singulas versiones inspicerent, atque ad amussim veritatis, codicisque sacri lydiu[m] lapide[m], examinarent, eaque omnia sincere atque secure retinerent, quae cum hebraica veritate convenirent. Ex eo factum est, ut Patres illi Tridentini, omnibus recte excussis, atque aqua lance perpensis, dirigente omne opus Spiritu Sancto, a Christo ecclesiae sponsae suae promisso, publice decernerent, *Vulgatam* omnino esse *Authenticam*. Hoc nemo Catholicorum, monente Nostro, inficiabitur; et hac ratione controversiis Catholicorum finis imponitur, omnesque lites, parentibus, obsequiisque sanctissimum spondentibus magistris, quiescunt atque plane exultant. Quae omnia an vere dici queant, lectoribus, vel consentientibus, vel dissentientibus, et rem omnem plane recteque, vel minus perspectam habentibus, relinquenda esse censemus.

Nostrarum est partium, propius ut ad rem ipsam accedamus, et opus ipsum recensamus. Multae difficultates, subinde exortae, erant A. removendae prius, quam prelo chartae eius subici possent. Urbs eius Avenio, nec copiam, nec usum formarum hebraicarum habebat, quod facile est creditu[m]. Charta deficiebat, et ab exteris erat importanda non sine taedio, incommodis, et magnis sumptibus. Est enim nitida et optimi generis. Omnibus vero superatis difficultatibus, sibi gratulatur Noster de labore, tyronibus, et literarum hebraicarum studiosis, inuendo atque utili.

Omnia, quaecumque linguae hebraicae *Lexica* huc usque prodire, minus sufficientia atque commoda esse, Noster ex eo capite confert, quia ponant, et sibi quasi sumant, exactam in tyronibus omnium regularum peritiam, quarum auxilio omnium vocabulorum origines seu *radices*, ut dicuntur, erui, et diversae interpretationes indagari queant. Inde
accidit

accidit saepius, ut non solum integras horas, sed dies etiam noctesque, frustra tyrones perdant, vel in diversis vocabulorum interpretationibus haeritent, et omnino fallantur. Quae impedita ut removerentur, in hoc primo Volumine omnia, quaecumque in Codice sacro occurrunt, vocabula, eorumque variae formae, secundum diversum statum, cum affixis, et litteris prefixis, et punctis variis, exhibentur atque ob oculos ponuntur, quibus omnibus et singulis latina conversio additur. Spero Nolter alit certissimum fore, ut linguae hebraicae studiosi hac ratione omnes ambages evitare, acque sine taedio feliciterque in hoc curriculo metam contingere possint. Ut lectores nostri habeant, quid de his laboribus recte iudicent, subiungemus exempla quaedam. Tres ubique constituuntur series, hunc in modum:

אף	אף	nasus: furor.
אף	אף	furor: naris: quanto: quanto magis: imo: etiam: verum: nam: atamen.
אף	אפה	facies sui.
נח	נחת	et requies.
נח	ונחת	et requies.
חמת	ונחת	et terror.
חפץ	חף	littus.
חפץ	חפץ	platea: extra: plus.
חפץ	חפצה	extra: extrinsecus.
שוב	להשיב	ad reddendum, restituendum, rependendum: avertendum: referendum: reducendum: repellendum: revocandum: respondendum.
ישב	להשיב	ducendo.

Sed haec sufficiant, ne iusto longiores simus in enarrandis exemplis huius Voluminis, ex quo ut multi longos percipiant fructus, quam maxime optamus. Inter nosse-

res, nostrisque in terris, commodior atque facilior datur *Lexicorum*, sine multis sumptibus comparandorum, utius. Interim A. diligentia est laudanda, licet consultius forte egisset, si vela contraxisset, et difficiliora irregularis formae vocabula tantummodo explicata dedisset. De *secundo* Volume, deque *tertio*, quamprimum ad manus nostras pervenerint, (nescimus autem an sint edita,) non tacebimus.

IO. DAN. AB HOVEN CAMPENSIA, SEU, *Spicilia Critico-Antiquaria. FASC. I.*

Campis, MDCCLXVI. 4to mai. pag. 990.

Ut olim Belgium foecundissimum fuit viris, in omni literarum genere, maxime in antiquitate sacra et profana, doctissimis; ita nec nunc videmus talium virorum in ea regione penuriam esse, sed multos ibi libros quotidie prodire, qui summam auctorum in his rebus peritiam haud obscure indicant. In horum numerum, non peccabimus, si doctissimum quoque Hovenium retulerimus, cuius *Campensia*, h. e. selecta ex historia et antiquitate Ecclesiastica capita, hic orbi erudito indicamus. Etsi vero paucis content plagulis; tamen insunt observationes eruditissimae atque elegantissimae, nec raro novae, itemque de scriptoribus Christianis coniecturae optimae, quas alibi non facile reperias. Sed argumentum libri accuratius enarrandum est.

Continentur eo omnino *quinque* sive *Capita*, sive *Disquisitiones*, sive *Disputatiunculas* appellare volueris, quarum *prima* est de *vera aetate, dignitate, et patria M. Minucii Felicis*, celeberrimo Meermanno inscripta, ideo, quod ei hic vir primam, eamque perraram Octavii Minuciani editionem, (Romae, 1543. fol.) dono miserat. In hac epittola demonstrare conatur auctor Cl. Minucium Felicem non, ut vulgo creditur,

ditur, tertii, sed secundi Saeculi scriptorem, adeoque Athenagorae, Iustino Martyri etc. aequalem fuisse. Quod effici putat his maxime argumentis: 1) Quia Latinitas Minucii elegantior est, quam pro tertio Saeculo esse possit. 2) Quia Minucius, et aequales, longe aliam Ecclesiae faciem describunt, quam Saeculo tertio, imo iam sub finem secundi, Tertulliano teste, fuisse novimus. Hic et eius aequales multa loquuntur de templis, de altaribus, de sacerdotibus; illi omnia haec nesciunt. Hi de magna calumniarum, ab gentilibus sustinendarum, multitudine queruntur, aut eas refellunt, quas certum est Saeculo secundo nondum repertas vel auditas esse, de quibus etiam Minucius cum aequalibus silet: quas tamen non omittitur videtur fuisse, si post Tertullianum vixisset. — Per digressionem h. l. Vir doctissimus ostendit, Iustini Martyris, quas nunc habemus, Apologiarum ordinem, perperam a quibusdam viris doctis inversum esse. 3) Quia Minucii et aequalium aetate, Christiani audacter ad testes criminum suorum oculos, imo ad fervos suos, eorumque indicia, si possent aliquid turpe de vestris prodere, provocabant, (Oct. c. 28. Athenag. c. 30.) Tertullianus autem fatetur *donsolica indicia*, ac de eorum falsitate graviter conqueritur. 4) Quia verosimile est, Frontonem illum, ad quem Caecilius apud Minucium provocat, esse Frontonem Rhetorem, M. Antonini praeceptorem; certum pariter, Minucium gentem Saeculo II. Romae et in Italia numerosam ac celebrem fuisse, Saeculo III. minime. Diluere etiam conatur vir doctissimus dubia, quae adversus hanc sententiam afferri fortasse possent, ut de genere dicendi Africo, de locis quibusdam ex ipso Minucii Octavio petitis, de testimonio Hieronymi, qui constanter in libris suis Minucium Tertulliano postposuerit. Cui postremo tamen opponit testimonium Lactantii, L. V. Inst. c. 1. §. 22. ubi contra sit. — Totam disputationem doctissima est, et quamquam iam ante Cl. Virum fuerunt, quibus vulgaris de aetate Minucii opinio suspecta esset, in his Balduinus: tamen hoc fatendum est, nemi-

neminem adhuc tam bonis argumentis eam impugnasse; optandumque, ut illa Minucii editio, quam parare se dicit Vir Cl. quamprimum prodeat. Adiecti sunt quoque huic dissertationi Fasti Antoninorum.

Alterum caput est dissertatio ad Plin. L. X. Ep. 97. *de stato die. et sacrorum apud Romanos libertate.* in qua ostenditur, statum illum Christianorum diem non alium esse, quam diem festum resurrectionis Christi, idque collatis Minucii et aliorum locis, maxime vero observatione adhibita, doctissima illa, neque a quoquam, (quantum scimus,) adhibita, de triplici sacrorum Romanorum distinctione. Alia enim erant *publica*, h. e. totius populi nomine facienda, quo pertinent v. c. sacrificia, lectisternia etc. Alia *privata*, h. e. certae cuiusdam gentis, aut familiae, aut collegii, quae etiam peregrina esse poterant, statoque die ac loco palam fieri, dummodo Pontifices et Aruspices de iis essent ante consulti, eaque probassent. Alia denique fuere *privatissima*, h. e. quae pro lubitu quisque cum suis domi exercere poterat, si-ve publice id probatum esset, si-ve minus. Itaque in hoc genere concedendo facillimi erant Romani, in illis duobus valde severi, ne scilicet per istam occasionem occulta consilia, per speciem religionis, adversus remp. iniri possent, ut aliquando factum erat in Bacchanalibus. Ex his patet, in quatenam sacra Christianorum Plinius inquisiverit, non scilicet in illa domestica et quotidiana, h. e. privatissima, sed in *privata*, h. e. quae stato die, magna prae ceteris frequentia celebrabantur. Is dies erat festus resurrectionis Christi, ut latius in ipso libro docetur. — Haec Viri Cl. dissertatio nobis prae ceteris placuit, eamque vehementer legendam commendamus. Mantissae loco adiecta est alia dissertatiuncula, *de stato die regis Eumenis*, qua monumentum aliquod vetus, de eo agens, et in Append. ad Marim. Ox. p. 3. obvium, commentariolo illustratur, et per illum Diem intelligi ostenditur eum, quo Eumenes inter deos relatus est, et qui in eius honorem quotannis celebrabatur.

Tertium

Tertium est disquisitio de cultu Serapidis, temere Christianis obiecto, in Epistola Hadriani Imp. ad Servianum Cos. apud Vopiscum in Saturnino, c. 8. In qua vir doctissimus simul de historia cultus Serapidis apud Romanos, sub Imperatoribus, late differuit, et genuinam antiquam veterem, (Bentinkianam ipse vocat,) erudite illustravit.

Quartum caput habet Vindicias et Emendationes Constitutionis de Moeeticis et Manichaeis, Tit. IV. cod. Greg. et Tit. XV. Collationis legum Mosaicar. et Rom. Hanc constitutionem Vir Cl. quanquam ab Ethnicis Imperatoribus, non tamen ab his profectam arbitratur, quorum nomina praeferrat, i. e. Diocletiano et Maximiano, sed a Galerio Maximiano eiusque Caesaribus. Eam deinde $\alpha\alpha\ \alpha\ \pi\epsilon\delta\alpha$ explicat, illustrat ubi opus est, plerumque ingeniose et erudite, emendat, aliorum emendationes retellit, eaque occasione multa lectu dignissima adijerit, quae h. l. commemorare nec vacat, nec necesse est.

*Quintum denique est alia ad Cel. Meermannum Epistola, qua breviter de $\eta\ \nu\alpha\ \sigma\upsilon\delta\alpha\mu\ \text{in}\ \text{christianis}\ \text{injurio}$, h. e. de Deo Onocholite, agit Vir Cl. et ex eo ipso, quod apud Tertullianum L. I. ad Nat. c. 14. *primum* commemoratur, et *hesterium monstrum* dicitur, apud Minucium vero plane sileatur, novum argumentum pro huius antiquitate ducit. — Diversam autem huius dei formam ostendit fuisse a capite asinino; (huius enim cultum iam olim Christianis obiciebant gentiles, idque iam apud Minucium (c. 9.) dicit Caecilius:) describi potius a Tertulliano ut *monstrum bifforme, auribus asininis, altero pede ungulatum, togatum, librumque gestans*. Onocholiten autem dici putat ab $\omicron\iota\omicron\kappa\omega\lambda\omicron\iota$, quia alterum asini pedem habuerit, cum alter porci esset. Inde per corruptiones librariorum factum esse *Onocholtes, Onocholtes, Onocholtes*, etc.*

Haec sunt, quae hoc Fasciculo primo potissimum continentur, et quibus commemorandis cupiditatem lectoribus ipsius libri cognoscendi iniicere volumus. De *secundo Fasc.* qui anno eodem prodit, dicemus propediem, ut et de reliquis; nam videtur plures promittere elegans V. Cl. doctrina. De genere scribendi erant quidem nonnulla, quae moneremus; est enim paulo durius atque hispidius, et propter hanc ipsam causam interdum obscurum: sed in viro eiusmodi, e cuius libris animus apparet, magis de re, quam de verbis sollicitus, et qui levem illam verborum iacturam tot rebus bonis compensat, hoc facile ferendum arbitramur.

PANTOMETRUM PACECHIANUM, SEU INSTRUMENTUM NOVUM, pro elicienda ex una statione distantia loci inaccessa, anno 1762. inventum, calculis ac observationibus examini subiectum a R. P. Christiano MAYER, Soc. I. Astronomo Palat. ac Math. Prof. in Acad. Heidelbergensi.

Manhemii, in quarto, typis Academ. una cum fig. aen. 1767.

Cum admodum difficile sit, instrumenta Geometrica, eaque maxime composita, quorum examen ususque non datur, sine aliquo errore commisso describere, lectores non aegre laturos speramus, si ad perspicendam Pantometri interiorum naturam, ad praeclaram ipsam, quae multas Geometriam practicam concernentes observationes eximias continet, dissertationem, eos ablegemus, atque eius historiam solummodo excerpamus, addituri, quae ad commendationem huius novae machinae pertinent. Inventor Pantometri est illustr. Comes *Raphael Pacecho ab Ucedos*, Hispanus genere, Vir militaris ordinis ac dignitatis sub signis Caesareis. Ei construendo illustr. auctor anno 1762. cum artifice Augustano

gustano, Cl. Brander, strenue manus admovebat, tandemque confectum, una cum commentario, de inventione et usu Pantometri, cum praevia ad Caesarem Augustum Franciscum huius nominis I. adlocutione, ab illustr. Comite conscripta, ac §. 11. hui. dissert. inserta, Viennam ad Caesarem delatum est. Ubi cum varia hinc inde iudicia subiit ac discrimina, opera et singulari patrocinio Perill. L. B. de Beckers, in Aula Palatina Status ministri, dirempta repente est haec controversia, quam numerata, quam Paccchus illustr. petierat, 1000. fere florenorum summa, Pantometrum hoc in ius ac ditio- nem Seren. Electoris Palatini concessit. Multis quidem, ut harum rerum peritis constat, Gacodesia seu Geometria practica ingeniose excogitatis machinis superbit, quae capiendis angulorum terrestrium mensuris, ac determinandis locorum intervallis, servant: prae iis tamen omnibus se commendare hoc Pantometrum certo colligimus ex testimonio Cel. Astro- nomi Caesarei, Maximiliani Hell, quo illius effectus in spe- cula Viennensi Astronomica exploratos laudavit; nec non ex experimentis cum hoc instrumento coram viris eruditis, ipso eius auctore praesente, a Cl. artifice Brander, in campis Au- gustanis institutis, quae eius usum ad capiendas non solum distantias mediocres, verum etiam ad maximas locorum quas- que interapedines, magna adcurate definitas, adeo de- clararunt, ut Ser. Rex Borussiae moveretur, quo similis machinae conficiendae negotium daret saepius laudato artifi- ci Brander, quae, ut Cl. Mayer audisse se perhibet, multis partibus emendatior prodit. Nunquam vero exactius exa- men Geometricum subire poterit haec machina eo, quod Cl. huius Auctor in hac dissertatione cum ea instituit. Comes Paccchus quidem in sua eius descriptione, Pantometrum su- um communes Geometriae ac Trigonometriae leges, et utriusque inventa, longissime transcendere affirmabat: Cl. Mayerus vero non solum demonstravit, illud legibus Geo- metriae convenire, facileque Geometriae ac Trigonometriae ap- peritum, ad illud regulas Geometriae et Trigonometriae ap- plicatu-

plicaturum esse, quemadmodum illas ex eo eliquit auctor Clar. eiusque exactam dein theoriam composuit. Neque in ea substitit: sed ut constaret, utrum vires, usus, ac praestantia huius Pantometri, calculis constituta, cum praxi ex affe conveniret, et limites perfectionis definirentur, Cl. Mayerus, cum maiores aliquot locorum distantias, quae in ipsa specula Electorali Schwetzingensi videri commode possunt, aliunde notas, ac calculo definitas haberet, iis hoc Pantometro mensurandis se accinxit, et sex experimentis institutis invenit quidem, aberrare illud a veritate, ut in multis instrumentis Geometricis fit, eamque aberrationem admodum notabilem esse, cuius limites ex numero observationum determinari possent; attamen non obstantibus his erroribus, eximium instrumentum esse, multisque praefendum, iudicat.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Septembris Anno MDCCLXVIII.

NOVI COMMENTARII ACADEMIAE SCIENTIA-
rum Imperialis Petropolitanae TOMUS XI. pro
anno MDCCLXV.

Petropoli, typis Academiae Scientiarum MDCCLXVII.

Alphab. 3. plagg. 10. c. fig. aen.

Quod Lectoribus nostris Volumen Commentariorum si-
stimus, iterum est, ut iam saepe laudavimus, plenum
elegantissimarum Commentationum, quarum iam
ideam, pro more nostro, dabimus, ut vel hac ratione invi-
temus doctos homines omnes, ad legendas commentationes
ipsas. Sunt autem, ut fieri quovis Volumine solet, primum
MATHEMATICA. In his I) *De usu functionum disconti-*
nuarum in Analyfi. Auctore L. EULERO. Qui problematis
de motu cordarum vibratorio solutiones dederunt Geome-
trae, non nisi illum casum contemplati sunt, quo figura, cor-
dae ab initio motus impressa, regularis, et certa quadam
aequatione comprehensa esse supponitur; alterum vero ca-
sum, si haec figura fuerit discontinua sive irregularis, ne-
garunt ad Analyfin pertinere, aut motus inde secuturos pos-
se ulla ratione defini. Quae quidem investigatio, cum non
tantum ex Analyfi minime proferibenda, sed ad eam potius

C c c

novis

novis et insignibus subsidiis ditandam imprimis apta videatur. iam pridem illustris huius dissertationis Auctor motum cordarum vibrantium generalissime ita definiit, ut ea solutio ad omnes motus et figuras, cordae in statu initiali impressas, pateret. Statim vero perspexit Illustris Vir, problematicas difficultates superare Analyseos adhuc excultae vires, novamque ad eas solvendas calculi integralis partem requiri, cuius non complura modo in his Commentariis specimina dedit, sed plenam quoque eius tractationem absolute. Operi de Calculo integrali, quod typis nunc Petropoli describitur, inservit.

Concipiatur scilicet corda aliqua tensa, eique arbitraria quaevis figura, et in singulis simul ipsius punctis arbitraria imprimatur celeritas. Ductis igitur coordinatis x et y , evidens est, applicatam non pro diversis solum ipsius curvae punctis, sed etiam in eodem curvae puncto pro singulis temporum momentis variare; adeoque y fore functionem duarum variabilium x et t simul, quarum neutra per alteram determinatur. Ut porro in aequatione pro cordae huius motu inventa status initialis exprimatur, posito $t = 0$, relatio inter x et y inde orta figuram cordae initialem repraesentare debet; quae cum libero manus ductu formata supponatur, functio quaedam discontinua aequationem ingreditur, atque similiter, ut secundae problematis conditioni satisfiat, alia adhuc arbitraria functio, ex motu initiali cuiuslibet puncto impresso definienda, accedat necesse est. En igitur duas rationes, ob quas propositum problema per regulas usitati calculi integralis resolvi non potest: in hoc enim non nisi functiones unius variabilis pertractantur, cum, etsi plures variables aequationibus inesse videantur, per substitutiones aut transformationes introductae, eae tamen ita a se pendent, ut omnes per unam possint determinari; deinde quae in calculo integrali communi per integrationes invehuntur novae quantitates, non nisi quantitates constantes sunt, minime vero functiones unius pluriumve variabilium, eaeque

caequae adeo discontinuae. Huius igitur novae Analyseos vim, et proprium characterem, Ill. Auctor clarissime et ex primis principiis exposuit: et cum functionum diversae classis commodissimam totius calculi integralis divisionem suppeditent, ex hoc fundamento partes amplissimae huius scientiae distinxit et definiit, usumque functionum discontinuarum in Analyfi exemplis confirmavit. En igitur campum novum, eumque latissime patentem, in quo summa ingenia, ad Analyseos incrementa, atque feliciores subinde in naturae scrutinio successus, vires suas exercere possunt.

II) *De usu novi Algorithmi in solvendo problemate Pelliano*: Auctore L. EULERO. In Arithmetica indefinita, quae Diophantea adpellari solet, saepenumero problematum resolutio eo nititur, ut expressiones sub hac forma $lx + mx + n$ contentae quadratae sint efficiendae; quod, simulac unus ipsius x valor quaesito satisfaciens fuerit cognitus, infinite multis modis etiam in integris ipsius x valoribus praestari potest, quicumque etiam pro l , m , et n , numeri integri ponantur, modo sit numerus positivus non quadratus. Atque solutionum harum innumerabilium inigne compendium ex eo petitur, quod constat, omnes istos ipsius x valores idoneos secundum seriem recurrentem progredi, cuius singuli termini ex binis praecedentibus certa et constanti lege determinantur. Semper autem huius generis resolutiones ad hoc redeunt, ut proposito numero quocunque l inveniantur numerus quadratus qq , qui per illum multiplicatus, adscitata unitate, iterum fiat quadratus, sive ut $lq + 1$ fiat $= pp$: quod quidem in fractis atque paucis quibusdam casibus obviis facile expeditur; verum, si pro quovis valore ipsius l valores ipsius q integri desiderentur, multum difficultatis habet, adeoque dignum omnino est, in quo Geometricarum se exercent industria. Quam Pellius olim dedit, in se ingeniosissima est solutio; ad quam taediosos autem et molestos calculos, cum continuis radicum extractionibus absolvatur, ea deducat, tentanti mox patebit. Hic igitur Ill. Auctor novum

vum quoddam Algorithmi genus, cuius vim et naturam iam pridem in his Commentariis demonstravit, huic problemati adplicuit, atque pro omnibus valoribus ipsius l , centenarium non superantibus idoneos valores q methodo maxime concinna et facili actu computavit. Scilicet ut sit $lqq + 1 = pp$; evidens est, esse proxime $\sqrt{l} = \frac{p}{q}$, quae fractio valorem irrationalem \sqrt{l} tam prope exprimit, ut id, nisi adhibendo maiores numeros, adcuratius fieri nequeat. Ante omnia igitur Ill. Auctor methodum exposuit, ope fractionum continuarum radices quadratas evolvendi; atque tum, adhibitis novi Algorithmi subsidiis, pro quolibet casu p et q ita definire docuit, ut $lqq + 1$ quadratum fieret, ipsamque methodum, evolutis multis exemplis, stabilivit atque illustravit, idque potissimum in numeris admodum magnis. Si enim verbi gratia assumatur $l = 61$, reperitur valor ipsius $q = 226153980$; atque ipsius $p = 1766319049$: ubi simul certum est, non dari numeros minores casui satisfaciētes; ad quos numeros cum methodo Pelliana non nisi per taediosissimos calculos pervenire licuisset, non solum huius solutionis praestantia inde demonstratur, sed vix etiam aliud dari potest praeclarius specimen, quo Algorithmi istius novi, ab Ill. Auctore inventi, egregius usus Geometris possit commendari.

III) *Proprietates triangulorum, quorum anguli certam inter se rationem tenent*: Auctore L. EULERO. Inter elementares triangulorum proprietates ea fere primo loco tradi solet, qua, si duo anguli in dato quodam triangulo fuerint aequales, etiam duo latera ipsis opposita fore inter se aequalia demonstratur. Si igitur, speculatione hac latius extenta, rationi aequalitatis aliam quaecunque duorum angulorum rationem substituamus, evidens est, etiam inter latera huius trianguli certam et determinatam relationem locum esse habituram.

Neque

Neque igitur mediocriter doctrina triangulorum amplificari videtur, inventa certa et facili methodo, simulac in dato quodam triangulo ratio inter binos eius angulos fuerit cognita, relationem inter ipsius latera intercedentem exhibendi. Atque hoc ipsum est problema, cuius analyticam resolutionem in praesenti dissertatione Ill. Auctor exhibet, quodque Geometrarum studio eo magis commendari meretur, quia ad earum veritatum geometricarum classem pertinet, ad quas Analysis non perducit, sed quibus potius ad altiora tendens ea est superstruenda.

Si igitur ponamus binos trianguli angulos α et β esse inter se uti $m : n$; intricatos calculos, ad quos, simulac ratio $m : n$ vel tantillum assumitur complicata, problema deducit, nullo feliciori compendio superare licuit, quam incipiendo a casu simplicissimo, atque hinc ad magis compositos ordine progrediendo. Principio itaque exhibet Ill. Auctor resolutiones illorum casuum, quibus, posito $m = 1$, pro n valores 2, 3, 4, 5, 6. successive assumuntur. Quibus expeditis ex contemplatione formularum pro his casibus erutarum, insignem prorsus, et attentione quam maxime dignam legem progressionis detegere Ill. Auctori contigit. Quodsi enim ii casus, in quibus n valores pares obtinet, ab iis, in quibus n est impar, separentur, et singuli casus seorsim inter se conferantur: admiratione omnino dignum est, formulas memoratas seriem recurrentem constituere, cuius et scala relationis et terminus generalis possit exhiberi. Quae egregia proprietas, cum initio non nisi per inductionem fuerit detecta, ne huic nimium tribui videatur, etiam analyticis principiis pro utraque casuum classe ab Ill. Auctore stabilita, adeoque inductionis huius cum veritate consensus rigide est demonstratus.

In adplicatione huius investigationis ad casus speciales, triangula potissimum isosceles considerari merentur; in his enim, pro describendis polygonis regularibus, saepenumero ratio inter angulum verticalem et angulos ad basin praescribi

folet. Atque hic quidem duo casus diverſi, prouti angulus verticalis vel multiplum vel ſubmultiplum anguli ad baſin eſt, ſeorſim evoluuntur; ita, ut haec diſquiſitio non ad amplificandam modo triangulorum theoriam, ſed in ipſa quoque praxi geometrica inſignem uſum habere ſit exiſtimanda.

IV) *Solutio facilis problematum quorundam geometricorum difficillimorum*: Auctore L. EULERO. Speculatio haec circa certa puncta verſatur, quae in quovis triangulo Geometrae contemplari ſunt ſoliti. Primum horum punctorum eſt id, in quo terna perpendiculara, quae ex ſingulis angulis in oppoſita latera demittuntur, ſeſe mutuo interſecant, quod punctum in adieſtis figuris littera *E* deſignatur. Secundum punctum, littera *K* notatum, eſt centrum gravitatis trianguli, quod obtinetur, ſi ex ſingulis angulis rectae latera oppoſita biſecantes ducantur, quippe quae ſe mutuo in hoc puncto interſecant. Tertium punctum *G* eſt centrum circuli inſcripti, in quo rectae ſingulos angulos biſecantes ſibi mutuo occurrunt. Quartum denique punctum *H* eſt centrum circuli circumſcripti, quod obtinetur, erectis ad quodlibet latus ex puncto eius medio perpendicularis, iisque, donec ſeſe mutuo interſecent, prolongatis. Quatuor igitur horum punctorum poſitionem Ill. Auctor generatim pro quovis triangulo deſinit, ubi ſequentia potiſſimum obſervari merentur. *Primo*, in triangulo aequilatero haec quatuor puncta in unum coire: *Secundo*, ſi triangulum ſit iſoſceles, ea puncta in linea recta fore diſpoſita, quae ex angulo verticali perpendiculariter in baſin ducta eſt: *Tertio*, in triangulis acutangulis omnia illa quatuor puncta intra triangulum cadere: *Quarto*, in triangulis vero obtuſangulis tantum duo eorum, ſcilicet centrum gravitatis et circuli inſcripti intra triangulum, reliqua autem duo puncta *E* et *H* extra triangulum fore ſita; illud ſcilicet *E* ultra angulum obtuſum, hoc vero *H* ultra latus ei angulo oppoſitum.

Inprimis vero notatu dignum est, quod Illustr. Auctor ostendit, tria horum punctorum E , F , et H , semper in eadem linea recta fore sita, atque adeo punctum F ita fore intra E et H constitutum, ut intervallum EF duplo sit maius intervallo FH ; quare cum punctum H ex punctis E et F sponte determinatur, Ill. Auctor sequens problema resolvit, ut sumtis pro lubitu ternis punctis E , F , et G , ipsam triangulum, ad quod pertinent, construere doceat; id quod commodissime ad resolutionem aequationis cubicae perduxit, cuius ternae radices latera trianguli quaesiti exprimant. Inprimis autem memorata haec circa positionem punctorum E , F , et H , observatio Geometrarum attentione digna est, quam sequenti theoremate complecti licet: Si triangulo cuiusque circulus circumscribatur, et a centro circuli per centrum gravitatis trianguli linea recta producat, donec pars producta duplo maior fiat intervallo inter haec ambo centra, tum eius terminus in eo ipso puncto erit situs, ubi ternae perpendiculara ex singulis trianguli angulis in latera opposita demissa sese mutuo interfecant.

V) *Observationes Analyticae*: Auctore L. EULERO. In praesenti dissertatione Ill. Auctor legem et naturam memorabilis cuiusdam seriei indagat, quae non ob reconditum modo, quo ipsius termini progrediuntur, ordinem, sed ob eam quoque rationem peculiari attentione digna est, quod varias, easque in Analyfi magni momenti observationes faciendi, commodam suppeditat occasionem. Inter coefficientes numericos, quibus termini trinonii $1 + x + x^2$ ad potestatem quamcunque elevati adficiuntur, hic ille tantum consideratur, qui ad medium terminum pertinet, et omnium maximus est. Eiusmodi igitur trinomio ordine ad omnes potestates exponentium secundum numeros naturales progredientium elevato, si ex singulis his dignitatibus excerptus coefficientens termini medii, series inde formata $1, x, 3x^2, 7x^3, \dots$ ea est, in cuius lege progressionis et summa indagandis praesens dissertatio vertatur.

Atque

Atque hic quidem initio, si elevetur trinomium ad potestatem indefinitam exponentis n , colligendis in unam summam omnibus iis coefficientibus, qui ad terminum x^n pertinent, haud difficulter terminus seriei nostrae generalis eruitur. Huius igitur ope serie ad sufficientem usque terminorum numerum continuata, ex intuitu decem priorum terminorum series hanc singularem proprietatem praese ferre videtur, ut, subtrahis singulis terminis a triplo praecedentis, differentiae numeros praebent pronicos, quorum radices ita sunt comparatae, ut seriem constituentem recurrentem; unde, et ipsam nostram seriem esse talem, concludi, et scala relationis determinari posset. Enimvero, cum statim in termino undecimo, cuius a triplo praecedentis differentia ne numerus quidem pronicus est, multo minus radicem habet pronicam, haec observatio fallax: series nostra admodum memorabili exemplo inductionis valde probabilis, et tamen fallacis, quam caute ei fit in Analyti indulgendum, aperte declarat. Missa igitur inductione, ex solidis Analytice principis lex progressionis ab Ill. Auctore stabilita, et relatio, quae inter ternos terminos contiguos intercedit, detecta est; quam quia ipse exponens n ingreditur, seriem nostram ad genus recurrentium non pertinere manifestum est. Definita itaque cuiusque termini ad binos antecedentes relatione, ope cuiusdam integrationis, summa quoque seriei in infinitum continuatae investigatur, quam observamus fore imaginariam, si sit $x > \frac{1}{2}$, vel ipsi x negativos valores tribuendo, si sit $x = -y$ et $y > 1$; infinitam vero esse casu, quo $x = \frac{1}{2}$ vel $y = 1$. Ex inventis hoc modo formulis analyticis, methodum multo latius patentem derivavit Ill. Auctor, cuius ope adeo haec potestas multo generalior $(a + bx + cx^2)^n$ ita evolvi potest, ut non medii tantum singularum potestatum termini, sed ii quoque, qui utrinque a mediis aequae distant, assignari, eorumque natura et summa facili calculo possit investigari.

VI) *De motu rectilineo trium corporum se mutuo attrahentium.* Auctore L. EULERO.

VII) *De motu corporis ad duo centra virium fixa attrahenti.* Auctore L. EULERO. Ex quo corporum coelestium leges motus a *Newtono* detectae sunt, Astronomiae ad summum fastigium evehendae spes omnis, in celebratissimi de motu trium corporum se secundum istas leges attrahentium problematis, perfecta resolutione ponenda est. Quaquam enim numerus corporum, in planetari nostro systemate sese mutuo attrahentium, maximus imo infinitus sit; tamen, cum evolutio motus plurium corporum, nisi motu trium expedito, sperari non possit, hic casus tanquam fons et fundamentum perficiendae fiderum scientiae spectari debet. Verum hoc ipsum de tribus corporibus, secundum leges *Newtoni* sese attrahentibus, problema, cum sensu generali acceptum vires ingenii humani fere transcendere videatur; eius solutionem ita tentarunt Geometrae, ut illud sub variis ad minimum restrictionibus expedire, viamque hoc modo ad solutionem generalem munire anniterentur. In binis igitur praesentibus dissertationibus, III. Auctor eiusmodi duo resolvit problemata, quae illi tam sunt affinia, ut, his non expeditis, de illo resolvendo ne cogitari quidem possit. In priori scilicet eum problematis istius celebratissimi casum examini III. Auctor subiecit, quo tria corpora sese mutuo attrahentia rectilineo motu feruntur, qui, quinquam primus est et omnium facillimus, tamen hucusque perfecte resolvi non potuit; hic vero iam ad aequationes differentiales primi gradus inter ternas variables, singularibus quibusdam artificibus est reductus. In posteriori autem dissertatione III. Auctor motum corporis ad duo centra virium fixa in ratione reciproca duplicata distantiarum attrahenti investigavit; arque huius quidem argumenti primam partem, cum scilicet motus in eodem cum binis virium centrīs plano fieri supponitur, in superiori Comment. Tomo ita evoluit, ut non solum orbite

re descriptae constructionem, ope quadraturae curvae cuiusdam admodum simplicis exhibuerit, sed etiam in alia dissertatione Comment. Acad. Berolin. inserta, infinite multos casus detexerit, quibus curva descripta futura sit algebraica. Quo igitur propositae quaestioni plene satisfiat, in hac dissertatione Ill. Auctor etiam illum casum resolvit, quo corpus non in eodem plano, in quo centra virium fixa sunt, movetur. Et hic quidem peculiaribus quibusdam artificijs, aequationes differentiales ex principiis motus petite statim ad primum gradum reductae sunt; ternae vero variables ita erant inter se complicatae, ut eas resolvendi methodus nulla pariter, nisi substitutione quadam prorsus singulari, non conciniam modo aequationem, sed et a variabilium permixtione immunem, elicere Ill. Auctori licuisset. Ad quem scopum cum initio per ambages is pervenisset; postea methodum multo brevioris adeptus est, cuius beneficio unica substitutione variabilium separatio commodissime obtinetur. Formulas hoc modo inventas Ill. Auctor etiam ad motus in eodem cum centrâ virium plano absoluti determinationem applicat, ostenditque, corpus tali motu delatum non in curvis modo algebraicis, sed sectionibus adeo conicis moveri posse, quarum foci in binis istis virium centrâ sunt constituti.

Quod si vero corpus non in eodem plano moveatur, notatu quam maxime digna observatio est, fieri posse, ut corpus describendo curvam duplicis curvaturae in superficie sphaeroidis elliptici, vel conoidis hyperbolici, moveatur. Denique etiam hoc notari meretur, ex his formulis casum omnium facillimum difficillime derivari: applicatis enim in ad casum, quo virium attractantium alterutra evanescit, tam prodeunt complicatae aequationes, ut non, nisi peculiaribus atque insignibus quibusdam artificijs, ab Ill. Auctore adhibitis, potuerint resolvi. Cuius difficultatis ratio ut quodammodo adpareat, perpendendum est, etiamsi in formulis inventis massam A vel B ponamus minimam et evanescentem, tamen,

men, si corpus satis prope ad eam accesserit, ob distantiam iam evalescentem attractionem inde oriri posse finitam, cuius quasi vestigia quaedam in istis formulis ad hunc casum accommodatis remanere videantur.

VIII) *De phaenomenis coeli per segmenta sphaerica diaphana spectati*: Auctore L. EULERO. Cum radii a corporibus coelestibus ad oculum propagati atmosphaeram peragere, ibique varias perpeti refractiones debeant, manifestum est, visionis naturam, atque omnia coeli phaenomena, a medii, per quod radii lucis transire debent, constitutione maxime pendere, eaque sub alia prorsus forma fore adparitura, si loco atmosphaerae nostrae aliud quoddam alius materiae medium diaphanum substituatur. Atque hic quidem singularia et notatu quam maxime digna se offerunt phaenomena, si coelum per segmenta sphaerica vitrea, oculo in axe, sed extra centrum sphaerae constituto, contueamur; cum stellae non de loco solum suo depulsae conspiciantur, verum quaedam etiam penitus dispareant, aliae autem geminatae in diversis coeli locis sint conspiciendae. Hic vero facile intelligitur, phaenomena coeli hoc modo spectati, eo magis a veritate discrepare, quo maior est siderum ab axe visionis elongatio, et quo magis oculus a centro sphaerae remotetur: contra vero omnia perinde, ac nudis oculis, iri conspectum, si ad ipsum centrum sphaerae adplicetur oculus. Quod si enim oculi a centro sphaerae distantia ponatur $= d$, radius sphaerae $= a$, distantia stellae ab axe $= \varphi$, angulus incidentiae ζ ita per has quantitates determinatur, ut, posita ratione refractionis $n : 1$, fiat $\sin. \zeta = \frac{n d}{a} \sin. \varphi$; unde manifestum est, φ et d ita augevi posse, ut fiat $\sin. \zeta > 1$ adeoque imaginarius: unde certa quaedam coeli regio vacua et obscurissima adpareat necesse est, quae maxima evadit posito $d = a$, quo casu segmentum sphaerae in integram sphaerae superficiem abit. Pro hoc igitur casu III. Auctor

in hac dissertatione primo loco praecipua phaenomena exposuit, atque ex Optices principiis demonstravit, quomodo stella, per integram sphaeram vitream spectata, ita possit adparere, ut circulum quendam lucidum formet, et simul, quoque in ipsius centro conspicua sit, immo et triplicata videatur; computatur dein ex inventis formulis tabula, unde pro singulis elongationibus terra eiusmodi loca sideris adparentia possint determinari. Oculo iam porro centro sphaerae propius adnoto, hi inprimis ipsius d valores attentione digni videbantur, quo $d = \frac{a}{n}$ vel $d = a \cdot r \frac{1}{n}$, ubi quidem, cum per hunc oculi suum sphaera in duo segmenta, alterum hemisphaerio maius, alterum minus, dividatur; pro utroque segmento singularia quaedam annotata sunt phaenomena. Denique, cum expressionem modo allatam ratio quoque refractionis ingrediatur, facile colligitur, hanc visionem se multo aliter habituram, si sphaerae vitreae globus aqueus substituatur: cuius casus expositio digna Ill. Auctori visa est, quae ex iisdem principiis derivetur, et argumentum in dioptricis minime contemnendum constituere iure meritoque est aestimanda.

PHYSICO-MATHEMATICA. I) *Supplementum de figura dentium rotarum*: Auctore L. EULERO. Constat ex principiis mechanicis, quantum pro machinarum constructione in eo momenti situm sit, ut uniformitas motus in omnibus earum partibus, quantum fieri potest, obtineatur; siquidem hoc modo maxime a viribus agentibus effectus expectari potest. Si enim vel tota machina, vel tantum partes eius, modo celerius, modo tardius moveantur, haec ipsae accelerationes et retardationes non contemnendam virium agentium partem consumunt; quo ipso effectus, cui producendo machina destinata est, non mediocriter imminuitur. Cum igitur Ill. Auctor iam in IV. Volumine horum Commentariorum hoc argumentum tractavisset, iam ibi, quomodo rotarum dentes ad obtinendam in omnibus rotis uniformitatem

eam motus formari oporteat, calculis fatis praxin investigavit; nunc vero methodo multo faciliori constructionem geometricam ipsi elicere licuit, pro dentibus rotæ impulsæ ex data dentium rotæ impellentis figura ita describendis, ut utrinque motus uniformis oriatur, et quæ vis ad alteram rotam impenditur, ea perpetuo æquale momentum ad alteram circumgendam exercet. Et ex infinitis modis, quibus hic scopus obtineri potest, Ill. Auctor ad eos imprimis attentus fuit, qui ad ipsam praxin maxime accommodati sunt visi; atque gravissimi huius argumenti, cuius tam præclarus in mechanicis usus est, tractationem, non solidissimis modo principiis superstruxit, sed variis quoque exemplis ipsum illius usum dilucide exposuit.

II) *De motu fluidorum a diverso caloris gradu oriundo:*
 Auctore L. EULERO. Argumentum, quod Ill. Auctor in hac dissertatione pertractat, non modo prorsus novum est, cum nemo adhuc motum fluidorum a calore oriundum geometricè determinare conatus sit, sed ad eam quoque Analyticè partem est referendum, quæ non ita pridem tractari coepit. Hic quidem neutiquam de intestino illo motu, in quo ex Philosophorum sententia caloris causa ponitur, quaestio est; sed eatenus tantum in theoria motus fluidorum caloris ratio habenda est, quatenus a calore in maius spatium expanduntur fluida, unde eorum densitas, a qua potissimum motus determinatio pendet, imminuitur. Simulac enim in tubi communicantis uno crure calefiat aqua, sicque eius densitas imminuatur, non iam ea cum aqua altero crure contenta in æquilibrio consistet, nisi illius altitudo ultra libellam aliquantillum augeatur. Atque ex his ipsis principiis iam pridem ab Ill. Auctore ostensum est, non ad aquam modo, sed et aërem in æquilibrio conservandum, ubique ad æquales altitudines æqualem quoque densitatem, ideoque etiam æqualem caloris gradum requiri. Qualis vero, sublato per caloris diversos gradus æquilibrio, subsécutus sit fluidorum

derum motus, Ill. Auctor, nova illa Analyfi a fe uberius ex-
 eulta, nunc demum investigare instituit, atque, unde vires
 huiusmodi motum generantes petendae sint, qualisque fit
 motus ille ex his oriundus, clarissime in praesenti dissertatio-
 ne demonstrat, et facili ratiocinio evincit, si in vase satis am-
 plo, aqua ex una parte admoti ignis ope reddatur calidior
 quam in altera, non modo aequilibrium ibi sublatum, sed
 aquam quoque in regione infima a parte frigida ad calidam
 continuo ascendere, contra vero in regione summa a parte
 calida ad frigidam deferri debere; id quod et observationes
 ubivis obviae luculenter declarant. His in genere observa-
 tis, Ill. Auctor tubum cuiuscunque figurae in se redeuntem
 contemplatur, cuius alterum latus admoto igne calefiat con-
 tinuo, dum opposita vasis pars maneat frigida. In hunc
 igitur tubum si aqua infundatur, ea quidem, dum in calido
 erure maiorem, quam in frigido, altitudinem occupat, ad
 aequilibrii statum se componere poterit. Interim tamen,
 aucta aquae infusae quantitate, aequilibrium iam non habe-
 bit locum, sed supulac aqua in tubo contenta certum supe-
 raverit terminum, motus ibi perpetuus generabitur; id quod
 inprimis evenit, quando tubus fluido penitus impletur.
 Quem casum Ill. Auctor praecipuo examini submittit, ubi ex
 solidissimis Hydrodynamices principis, per calculos satis ope-
 rosos tandem inventis, aquam hoc casu per crur infimum
 continuo ad locum tubi calidissimum adfluere, indeque per
 crur supremum iterum ad regionem calidam defluere debe-
 re, atque adeo huius motus celeritatem in singulis tubi pun-
 ctis ad quodvis tempus definit. In quo inprimis notari
 meretur, quod hic motus eo magis acceleratur, quo angu-
 stior tubus in parte suprema fuerit praes parte infima. Ne-
 que dubitat Ill. Auctor, quin inde ad usum communem plu-
 rima insignia subsidia hauriri queant, inter quae maxima for-
 tasse attentione dignus videtur huiusmodi tubus, quem Ill.
 Auctor ad calefacienda conclavia proponit, quique id praes-
 bet commodi, ut in ipso tubo ignis suscitari queat, quando-
 quidem

quidem aër in tubo contentus, perinde ac aqua, continus per tubum motu circulari sit defluxurus, ignemque sustentaturus.

III) *De admirando frigore artificiali, quo Mercurius, sive Hydrargyrus, est congelatus. Dissertatio. Auctore I. A. BRAUNIO.* Hoc egregium Inventum de congelatione Mercurii, ope admirandi frigoris artificialis, a V. Cl. Braunio detectum, merito attentionem orbis eruditi et totius Europae excitavit. Nemo enim ante haec experimenta credidit fieri posse, ut Hydrargyrus in corpus solidum et firmum frigore abeat, aut congelatur. Quoniam igitur ante hoc tempus Mercurius nunquam, ut reliqua metalla, in forma solida adparuit, donec Auctori eum adparere in ea cogeret, multi Mercurio locum inter metalla assignare dubitarunt, nonnulli tamen locum inter semimetalla ei concessere. Nunc igitur dubitare non licet, quin Mercurius seu Hydrargyrus omnino metallis, usque perfectis, sit adnumerandus. Adpareret enim in forma fluida ob nullam aliam rationem, quam quia fusus est. Non differt igitur ab aliis metallis fuisse Plumbo, Stanno, Argento, Auro, et reliquis, nisi in hoc, quod minimum calorem ad sui fusionem requirat. Ceterum omnium metallorum est molliissimum, ita ut, si clangor ei est tribuendus, tantum obscurus et obrusus tribui debeat, vix ut plumbi et auri puri.

Ceterum malleabilis aequè est, ac metalla reliqua perfecta, et ductilitas quoque ei denegari non potest, ut experimenta docuere; quamvis haec extensio magna esse nequeat, quoniam Mercurius breve tantum tempus solidus manere solet et potest.

Habet igitur Hydrargyrus proprietatem metalli perfecti, sed firmum, et in forma solida, ut reliqua metalla, in hoc terrarum orbe adparere nequit, nisi quasi vi, frigore scilicet artificiali, cogatur. Errant igitur toto coelo, qui existimant, Mercurium ob aquam intermixtam congelari, et in
corpus

corpus solidum abire, sere ut lotum in oleo aqua temperatum congelari solet, et corpus durum fieri. Nam quemadmodum reliqua metalla, quamprimum sufficiens ad fusionem gradus cessat, fiunt solida, et quamprimum sufficiens ad fusionem gradus caloris adest, fluida fieri incipiunt; sic Mercurius eodem modo calore quidem exiguo funditur, sed ingenti frigore, maiore quam in omnibus reliquis metallis, in corpus solidum abire solet.

Non desuere, qui existimarent, aquam misceri Hydrargyro in Recipiente, dum destillatur, et hinc forsitan oriri congelationem. Ut igitur et hoc dubium removeretur, Cl. Auctor Mercurio sine aqua destillato usus est, qui aequè gelatus et regelatus erat, ac alter. Non opus est in eo manifestissimè diutius morari.

Ceterum de hoc metallo multi, imprimis Alchemici seu Alchemistae, multas alias fovisse opiniones erroneas, constat: e. g. quod sit vera basis metallorum reliquorum etc. At enim verò haec commenta omnia delentur, quamprimum intelligitur, Mercurium esse metallum, idque perfectum.

Hydrargyrus sub quibusdam circumstantiis congelari solet. Congelatio fit mox completa, mox incompleta et partialis. Si completa fit, bulbis thermometri ordinariè frangitur, quod secus est si congelatio fit ex parte, eoque incompleta.

Porro, Mercurius si congelari incipit primum regulariter ad certos terminos descendit, dein cum saltu et motu praecipiti, donec subsistat. Hi termini sunt vagi: modo enim profundius, modo minus profunde regulariter descendere solet, prius quam saltus incipit. Est hic motus praecipuus, et saltus Mercurii, dum gelascit, proprius: in nullò alio fluido simile phaenomenon observare licet, dum in glaciem abit, seu congelatur. Porro, terminus ultimus, ad quem in congelatione descendere solet Mercurius, non est semper

semper unus idemque, sed vagus. Nam facile intelligitur, Mercurium minus profunde descendere, et ad numerum minorem scalae subsistere, si congelatio tantum ex parte facta est, ita ut pars media fluida remanserit, quam si totus solidus factus sit Hydrargyrus. Sed hic terminus in congelatione completa difficilis est determinatu, et ad desiderata cum aliis quibusdam pertinet, quoniam in completa congelatione ordinarie bulbus, cuiuscunque sit figurae, frangi solet. Probabiliter tamen, ut ex variis phaenomenis colligi potest, terminus 650. scalae nostrae adsumi potest.

Sunt alia adhuc desiderata, et aliae quaestiones, quibus A. in altera dissertatione, quae supplementa continet, satisfacere studuit novis institutis experimentis. Ceterum methodus ita simplex est congelandi Mercurium, ut quilibet eam, modo sufficiens frigoris naturalis gradus in aere sit, facile imitari queat.

Hanc dissertationem iam in Conventu publico Academiae Scientiarum esse praelectam constat, scilicet Sept. 6. MDCCLX, uti quoque fere in omnibus Europae Diariis iam est recensita; praeterea quoque integra diversis Diariis est inserta, ut Actis Eruditorum, Transactionibus Anglicanis versa in linguam anglicam. Legitur quoque translata in linguam germanicam in Diario germanico quod vocatur Neue gesellschaftliche Erzählungen p. 24. des IVten Theils, et alibi. Conferri quoque potest Vol. X. P. II. pag. 2. Commentariorum Lipsiensium, de rebus in Scientia Naturae et Medicinae gestis.

IV) *Dissertatio continens partim Additamenta nova et Supplementa ad Dissertationem de Congelatione Mercurii, sive Hydrargyri, partim in alia corpora frigoris artificialis insignioris novos effectus:* Auctore I. A. BRAUNIO. Ex quo tempore dissertatio de congelatione Hydrargyri, seu Mercurii, est divulgata, inventor congelationis Mercurii, Braunius, experimenta

menta quavis hieme instituire perrexit ad supplenda desiderata, quae in dissertatione priore indicavit.

Quae praestiterit et praestare potuerit Auctor, in hac dissertatione indicantur. Non omnia experimenta spei et voto perfecte satisfecere, uti ex sequentibus patebit.

Fuit desideratum praecipuum, ad quem terminum in congelatione perfecta et completa Mercurius descenderet? An non hic terminus novis experimentis figi posset? Varia, quin innumera experimenta nova ab Auctore sunt instituta, quae vero successum optatum omnino non habuere, quoniam omnes thermometrorum bulbi fracti sunt, si Mercurius totus erat congelatus. Tandem thermometra duo sunt adhibita, quorum bulbus sphaericus diametrum $1\frac{1}{2}$ lin. maiorem non habebant. Hi duo bulbi fracti non sunt, sed integri perstitere, et sine dubio congelatio fuit completa in illis, vel certe proxima perfectae congelationi. Descendit enim Mercurius in uno thermometro ad 630. in altero ad 640.

Quum ob varias rationes, in priore dissertatione ab A. adductas, punctum congelationis Mercurii, non ut punctum congelationis aquae, perfecte figi possit: numerus 650. in priore dissertatione iam indicatus, tanquam numerus medius pro puncto congelationis completae retineri potest.

Quod ad terminum alterum attinet, ad quem, antequam cum saltu moveri praecipit incipiat, multis novis experimentis captis compertum est, eum manere vagum. Modo enim regulariter descendit tantum ad 350, prius quam cum impetu moveri inciperet, modo ad 400. modo ad 500. 530. et denique ad 550. Hic terminus maximus est, ad quem Mercurius regulariter descendit ante saltum. Hic terminus confirmare videtur punctum congelationis Mercurio positum. 650. Nam a saltu ad terminum ultimum congelationis omnino poni posse sine errore notabili 100. gradus videtur.

Varia

Varia alia in dissertatione priore proposita sunt confirmata. Certum est, thermometra Mercurialia, et Spiritu, item Oleis essentialibus repleta, in maioribus frigoris gradibus non amplius concordare, quamvis in minoribus perfecte concordaverint. Nam Spiritus vini et olea essentialia ultra 300. vix descenderunt, quum tamen in aliis thermometris Mercurio repletis Mercurius esset gelatus. Habent sine dubio et fluida suos contractionis terminos et limites; qui pro diversitate fluidorum sunt diversi.

In descensu praecipiti Mercurius mensuram frigoris accuratam amplius non exhibere aut exhibere posse omnino videtur.

Si Mercurius congelatus digito tangitur, statim in eo loco, ubi contactus factus est, caro gelatur.

Confirmatum porro est, quo frigus naturale maius est, eo melius congelationem procedere; minimus gradus est 175. sed tamen congelatio sub hoc frigoris gradu non fit completa, sed ad completam congelationem minimum frigus 185° requiritur, ceteris paribus.

Spiritus nitri *Glauberianus*, et Aqua fortis fumans, optima fluida manent ad frigus artificiale insignis excitandum.

Confirmatum est etiam, Mercurium purissimum paulo difficilius gelascere. Porro nix recens lapsa semper praefenda est alii et vetustiori, quemadmodum quoque spiritus nitri recens melior est vetustiori.

Ceterum mirabile omnino est, Spiritum vini rectificatissimum congelationem Hydrargyri, licet incompletam, quoque produxisse.

Reliqua minoris momenti praeterimus. Promittit Auctor, si quid novi adhuc detegere potest, impotterum favente hieme et occasione, cum Academia se communicaturum.

V. *Observationes Meteorologicae etc.* Sunt quatuor Commentationes, quae de Observationibus meteorologicis agunt. Tres pertinent ad Petroburgenses a *Braunio* institutas, annorum MDCCLXI. MDCCLXII. MDCCLXIII; una vero ad observationes anni MDCCXLII. in itinere ex Sibiria Petropolim versus a *I. G. Gmelino* institutas, in ordinem vero a *Braunio* redactas. Quia hae ultimae observationes in itinere sunt factae, facile intelligitur, in diversis locis eas esse factas, hinc corollaria omnia inde deduci non posse, quae alias ex observationibus in uno loco factis deduci possunt. Notatu tamen digna non pauca continent. Pertinet huc praecipue Halonum frequentia et singularitas. In primis illa halo lunae singularis est notanda, quae Decembris primo huius anni Werchoturiae est conspecta, cuius icon est adiecta. Porro notatu digni sunt quidam frigoris insignioris gradus, ut 238. 260. et ultra. Nam Mercurius omnis in bulbum descendit, licet divisio scalae esset 260. Frigus hoc intensissimum perpetua tenui nebula, quasi aëre congelato, erat comitatum, quae nebula omnino memorabilis est. Calor maximus harum observationum est 109. non insignis. Huc etiam referenda aurorarum borealium frequentia est. Alia phaenomena notabilia Praeterimus, et lectorem ad ipsas observationes remittimus.

Remittimus quoque ad ipsas observationes petropoliticas, quae 1761. 1762. et 1763. ibi sunt factae, si prius sequentia monuerimus. Frigus maximum fuit 1761. graduum 193. et calor maximus = 105. 1762. frigus maximum = 195. et calor maximus 109. A. 1763. Frigus maximum = 204. Calor maximus = 100.

Item altitudines Bar. maximae et minimae his tribus annis 1761. 1762. et 1763. fuere sequentes. A. 1761. maxima 28. 95. et minima 26. 85. 1762. maxima = 29. 03. minima 27. 10. A. 1763. maxima = 28. 92. minima 26. 53.

In

In observationibus vero Sibiricis A. 1742. barometri alt. non occurrit maior quam 28. 28.

Minima vero est = 25. 32. Haec igitur multo minor est minima Petropoli observata 26. 41. Maxima quoque 28. 28. minor est maxima 29. 12. Petropoli alias adnotata.

Notamus adhuc frequentiam aurorarum borealium anni 1762. Numeratae et notatae sunt 18. Ceterum aurorae boreales hic modo frequentes, modo paucae, modo nullae, certe insigniores adparere solent certis et diversis annis, uti observationes docuere. In reliquis ad ipsas observationes remittimus.

PHYSICA. I) *Descriptiones Insectorum atque Avium Indicarum Musei Petropolitani, ut et Huiusfoliacei novi.* Auctore I. T. KOELREUTER. Quam in describendis rarioribus Musei nostri piscibus, eandem Cel. Koelreuter, tempore quo apud nos vixit, in selectis ex eodem Museo insectorum atque avium speciebus diligentiam praestitit, quorum laboriosissimae eius hoc volumine proponuntur adumbrationes. Et quamvis non omnia ex iis, quae profecutus est, plane nova sint, sed pleraque passim apud auctores nominata atque verbis descripta, imo depicta quoque occurrant: digna tamen ea quoque visa sunt quae retractarentur, atque accuratioribus, quam factum est, iconibus illustrarentur.

E quinque Scarabaeorum Americanorum speciebus, quas priori loco describit nolter, seriem orditur nota species, Scarabaeus Actaeon *Linnaeo* dictus, cuius variabiles formae quinque specimenibus verbis partim et iconibus exponuntur. Altera, S. Simfoni *Linnaei* affinis, ut et tertia, quarum a nullo usquam auctore distincte facta est mentio, pro novis haberi possunt. In quarta specie tantum monentur varia, imprimis colorem elytrorum fugacem, a crassa tenuissima livescente derivandum, levesque in forma septenorum Musei

speciminum lusus concernentia. Demum in quinta, praeter brevem descriptionem, vindicatur synonymon *Swammerdamii*, a *Linnaeo* perperam ad quartam nostram citatum.

Avium a Clariss. Auctore descriptarum prima, a *Linnaeo* olim inter *Meropes*, in nupertimo vero Systemate ad *Upupas* relata, etiam in *Sebae* thesauro ruditer depicta existat; meliorem eius dedit iconem *Briffonius*, atque *Promeropen* vocavit, (*Ornith.* vol. 2. p. 461. tab. 43. f. 2.) quae tamen inter *Certhias* et *Upupas* media, priori potius generi relinquenda videtur.

Etiam in reliquis aviculis, quas pulcherrimas descripsit noster, notandum est, easdem pariter in ditissima *Briffonii* Ornithologia descriptas atque delineatas fuisse; illud vero opus tunc, cum observationes suas Academiae traderet noster (A. 1760. mens. Octobr. XX.), nondum in publicum editum fuisse. Hinc necessarium visum est de singulis ad *Briffonium* referre, ut cum, qui velint, sine taediolo confendarum specierum labore adire possint.

Itaque *Certhia*, quae inter aviculas nostras secunda est, a *Briffonio* oper. cit. vol. 3. p. 636. tab. 23. fig. 2. nomine *Certhiae Cayennensis viridis* proposita est. Tertia et quarta nostrarum, ab eodem ad peculiare genus, quod *Tangaras* ille (et ex eo *Linnaeus* *Tanagras*) appellavit, referuntur, vocanturque prior: *Tangara Brasiliensis nigro-lutea*, *Ornith.* vol. 3. p. 31. tab. 2. f. 2, 3; posterior: *Tangara Peruviana viridis*, l. c. p. 22. tab. 4. f. 1. Quinta e nostris est, quam *Briffonius* *Manacum albifrontem*, *Ornith.* vol. 4. p. 457. tab. 36. f. 2., *Linnaeus* mutato, ut solet, nomine, *Pipram serenam*, compellarunt. Sextae convenit *Certhia Brasiliensis coerulea*, *Ornith.* vol. 3. p. 626. tab. 3. f. 4. a *Linnaeo* iam antea ex optimi *Edwardsi* icone dicta. Septima est *Icterus* seu *Xanthornus icterocephalus*, *Ornith.* vol. 2. p. 124. tab. 12. f. 4. idemque *Sturnus flaviceps Edwardsi*, et *Oriolus ictero-*

isterocephalus *Linnaei*. Octava apud *Briffonium* prostat nomine Trogonis Cayennensis viridis, seu Curuei *Margrossi*, Ornith. vol. 4. p. 168. tab. 17. f. 1. Nona titulo Fringillae capensis, Ornith. vol. 3. p. 171. tab. 16. f. 1. quem cum Loxiae capensis nomine *Linnaeus* commutavit. Et decima tandem Muscicapa tyrannus *Briffonia* audit, Ornith. vol. 2. p. 391. *Catesbaei* Muscicapa corona rubra, et Lanius tyrannus *Linnaeo*.

Laudanda etiam est industria, quam in describendo novo et singulari Fuco collocavit noster, eoque magis commendanda, quod nulla huius fuci vel apta icon, vel mentio certa, apud Botanicos facta occurrat; quin etiam synonyma, quae huc uterunque facere videbantur, et citata sunt, certissime aliam, in Mari Germanico satis vulgarem speciem, significant. E Mari Albo plantam suam habuit noster; sed et Mediterraneo communis est, et congenerum omnium maxime similis videtur Lichenibus sic dictis foliaceis.

ASTRONOMICA. I) *Expositio observationum ocellano transitus Veneris per discum Solis in urbe Selenginsk institutarum*: Auctore STEPH. RUMOVSKI. Dissertatio ista, aequae sequens, post reditum auctoris ex Sibiria, quo ablegatus fuerat ad Venerem in Sole observandam, typis iam excusae sunt; locum tamen in Academia Scientiarum in Commentariis concedendum esse ideo duxit, quod numerus exemplarium tunc excusorum fuerit exiguus.

Praecipuus finis, quem Cl. Auctor dissertatione hac intendit, is est, ut ob oculos ponat observationes, quas ille hac occasione in urbe Selenginsk instituit: ideo sollicito persequitur omnes circumstantias, sub quibus illae peractae sunt. Observationibus, pro definienda Latitudine observatorii sui institutis, praemittit verificationem quadrantis ad horizontem, et pro determinando valore partium micrometri quadrantis affixi, observationes super diametro Solis

Petro-

Petropoli captas, ac tandem sistit ipsas observationes Latitudinem spectantes, ex quibus concludit illam $51^{\circ} 6' 6''$.

Transitum Veneris per discum Solis praecessit Eclipsis Solis, incidens in diem 23. Maii, cuius finem tantum Auctori observare licuit.

Iam a longo tempore ante transitum Veneris per Solem, Cl. Auctor ad examen revocare coepit motum horologii sui per altitudines Solis correspondentes, et ope transitus stellarum fixarum; appropinquante tamen transitu Veneris sumit die 24. Maii altitudines Solis correspondentes, et post eum die 19. Maii; ex quibus, aequae ac ex praecedentibus, reperit motum horologii ita fuisse uniformem, ut inde ne minimus quidem error fuerit pertimescendus. Ipsa vero dies, qua transitus Veneris evenit, ita cecidit adversa, ut parum abfuerit, quin incassum ceciderint sumtus et opera in expeditionem impensa: nec nisi sine huius phaenomeni observatori frui quodammodo licuit. Contactus internus limborum Solis et Veneris, facta debita reductione, per nubem observatus fuit $3^{\circ} 21' 36''$ quam proxime, et externus $3^{\circ} 39' 42''$, ita ut mora Veneris in limbo Solis sit $18' 6''$. Observatio perfecta est tubo 15. pedes longo.

Absolutis iis, quae spectant observationem Veneris in Sole, procedit Auctor ad expositionem observationum definiendae Longitudini Urbis Selenginsk inservientium. Inter eas occurrunt quinque observationes super eclipses Satellitum Iovis, et duae super occultatione stellarum fixarum a Luna; quarum altera est ϕ sagittarii, altera κ Tauri. Interea vero, dum phaenomena haec operiretur, incubuit definiendae longitudini penduli simplicis ad singula minuta secunda Selenginski oscillantis. Ope authomati pendulo invariabili instructi reperit illam $36^{\text{dig}} 8^{\text{lin}}$, 56; per experimenta vero ope penduli simplicis instituta $36^{\text{dig}} 8^{\text{lin}}$, 62.

Deter-

Determinationes istae supponunt longitudinem penduli simplicis Parisiis ad singula minuta secunda in temperie aëris 12° . supra 0, oscillantis $36^{\text{dis.}} 8^{\text{lin.}}$, 55; quodsi alia Parisiis statuatur, Selenginskensis quoque aliquam mutationem subeat necesse est.

Ex observationibus authomato pendulo invariabili instructo institutis, perquam utile corollarium, idemque quod *Grisehovius* ex suis experimentis, in Tomo VII. Commentariorum relatis, deduxerat, elicit Cl. Auctor: nempe, variationem unius gradus thermometri Reaumuriani spatio diei solaris medii producere variationem unius quam proxime oscillationis in motu penduli invariabilis.

His subiungit observationes meteorologicas, quas in urbe Selenginsk instituit. Inde rediens, dum in urbe Irkutsk commoraretur, operam dedit, ut Latitudinem illius definiret. Ex observationibus Lucidae Aquilae, quas pro exactis habere non dubitat Cl. Auctor, concludit illam $52^{\circ} 18' 15''$.

II) *Investigatio Parallaxeos Solis ex observatione Transitus Veneris per discum Solis Selenginski habita, collata cum observationibus alibi institutis*: Auctore STEPH. RUMOVSKY. Postquam observationes transitus Veneris per discum Solis in diversis locis peractae in lucem prodierunt, constituit Cl. Auctor indagare, quantum illae inter se collatae praebent Solis Parallaxin. Combinatio ista tuto institui nequit, nisi certissime constet positio locorum, in quibus observationes peractae sunt, praesertim eorum Longitudo, si ex unico contactu quantitas parallaxeos Solis sit indaganda. Brevibus idcirco ex dissertatione praecedente repetit Cl. Auctor, quae ibi de Latitudine urbis Selenginsk commentatus est. Postmodum accingit sese ad definiendam Longitudinem observatorii sui; et primum quidem ex fine Eclipsos Solis, nulla Tabularum adhibita correctione, eruit illam $6^{\text{h}} 57' 30''$. Observationes Satellitum Iovis, collatae cum momentis ex

Tabulis Cel. *Worgentini* elicitis, ac ad mentem eius correctis, diversam ab hac praeberunt Longitudinem, existente maxima $6^b . 57' . 21''$ et minima $6^b . 56' . 49''$. Omnium vero media $6^b . 57' . 8''$ etiam concordat cum ea; quae immediate sequitur ex Immersione I. Sat. in Insula *Rodrigues* et *Selenginski* observata, verum notandum est, Longitudinem *Rodrigues* maiorem hic assumptam fuisse, quam a *Cel. Pingre* statuitur.

Constituta iam Latitudine *Selenginsk* $51^{\circ} . 6' . 6''$ et Longitudine a meridiano *Parisiensi* computata $6^b . 57' . 8''$ progreditur ad determinandam ex mutua observationum combinatione parallaxin. Assumpto momento coniunctionis et Latitudine *Veneris* apparente, qualem praeberunt observationes a *Rhff* peractae, reliqua elementa scopo suo necessaria depromit ex tabulis *Halleianis*; ac posita parallaxi *Solis* $8\frac{1}{2}''$ semitam *Veneris* apparentem *Grenovici* visam reducit ad centrum telluris: ubi investigat momentum contactus interni in exitu ad meridianum *Grenovicensem*. Hoc invento, dataque differentia meridianorum *Grenovicensis* et loci cuiusdam, ubi observatio est peracta, reperit momentum contactus veri ad meridianum illius loci, ac pro eodem computat effectum parallaxeos, sive tempus, quo citius aut tardius ex eo loco quam ex centro telluris contactus spectaretur, si parallaxis *Solis* foret $8\frac{1}{2}''$.

In peculiari Tabula exhibentur loci et observationes, ex quibus per mutuam combinationem quantitatem parallaxeos *Solis* investigare annisus est. Observationem *Capitis Bonae Spei* combinavit cum decem aliis; suam vero non nisi cum his, in quibus differentia effectuum a parallaxi proficiscantium non minor est quatuor minutis primis. Omnes istae combinationes egregie inter se consentiunt, et parallaxin *Solis* non minorem $8''$, nec maiorem $8\frac{1}{2}''$ statuendam esse indignant.

Disser-
ta-

Dissertationi huic subiungitur additamentum, cui aetiam praebuit observatio Rodriguensis. Cel. *Pingre*, in dissertatione Commentariis Academiae Scientiarum Parisinae in annum 1761. editis inserta, ex contactu interno in Insula Rodrigues observato, collato cum observationibus in Europa peractis; parallaxin Solis horizontalem concludit $10''$, 4. Observationes in Suecia et Tobolii peractae collatae cum Rodriguensi diversam quidem praebuerant illi parallaxin; verum aucta Longitudine Stockholmiae ac proinde Tobolii, Torneae, Caianeburgi, et Upsaliae $21''$, eandem quam proxime obtinet parallaxin. Unica itaque Selenginskensis supererat, quae cum Rodriguensi collata parallaxin Solis non nisi $9''$, 38. praerberet. His permotus Cl. Auctor, examen instituit observationis suae, utrum ob nubilam caeli faciem, aliasve circumstantias, momentum contactus interni in exitu Selenginski observati, integro fere minuto primo minus possit, ut collatum cum momento Rodriguensi $10''$, 4. praebet Solis parallaxin: ac perpensis omnibus rationibus ostendit, nullatenus tantum errorem in observationem illius irrepere potuisse; quin potius error, si quis ex nubila caeli facie originem traxerit, ad diminuendam, non vero ad augendam parallaxin Solis, fecerit necesse est.

Observatio Rodriguensis collata cum Selenginskensi dabit quoque parallaxin Solis $10''$, 4, si Longitudo Selenginski augeatur integro minuto primo. Ad examen igitur revocans et Longitudinem Observatoris sui antea stabilitam, inquit Cl. Auctor, quousque illa augeri possit; ac ostendit, ex observationibus Satellitum Iovis, utrovis modo Longitudinem investigare placuerit, sive conferendo illas cum momentis e Tabulis depromtis, sive cum observationibus in aliis locis peractis, et paucis diebus a Selenginskensibus remotis, eandem quam proxime resultare Longitudinem.

Ocultatio ϕ Sagittarii a Luna ex observationibus Satellitum Iovis deductam Longitudinem optime confirmat:

Si computus superstruatur Tabulis *Mairri* ad mentem *Cel. Pingre* correctis, Longitudo Urbis *Selenginsk* prodit $6^b . 57' . 13''$ aut $15''$. Unde non sine ratione concludit *Cl. Auctor*, Longitudinem *Selenginski* non maiorem $6^b . 57' . 14''$ statui, et observationem *Rodriguens* collatam cum *Selenginskensi* nullatenus parallaxin Solis $10'' . 4$ praebere posse.

Absoluto examine Logitudinis *Selenginski*, et observationis ibidem habitae, sistit observationem *Pekini* peractam, ac Longitudinem illius novissimis observationibus superstruit. Ex plurimis observationibus Satellitum *Iovis* undique collectis, et ex transitu *Mercurii Parisii* et *Pekini* anno 1753. die 24^{Apr} 1^{Mai} observato, tandem concludit Longitudinem observatorii *Iesuitarum Gallorum*, ubi observatio *Veneris* peracta est, non minorem $7^b . 35' . 45''$ statui debere. *Cel. Monnier*, in *Commentariis Academiae Scientiarum Parisinae* in annum 1763. editis, eandem fere assumit *Pekini* Longitudinem, nempe $7^b . 55' . 40''$; id quod egregie concordat cum determinatione *Cl. Auctoris*. Quibus vero rationibus fultus Longitudinem istam assumeret *Cel. Monnier*, nulla fit mentio.

Statuta iam Longitudine observatorii, ubi observatio *Veneris* est peracta, inquit *Cl. Auctor*, quanta ex observatione *Pekinensi* cum alijs collata resultet Solis parallaxis: et cum ex combinatione illius cum alijs eandem circiter reperisset, quam praebuerunt observationes ad *Caput Bonae Spei* et *Selenginski* peractae, concludit, observationem *Rodriguens* nullatenus consistere posse: praesertim cum *Cel. Wargentinus* se per novissimas observationes comperisse testetur, Longitudinem *Stocholmiae* non maiorem $1^b . 2' . 52''$ statui debere.

Ad calcem dissertationis uno laterculo complectitur *Cl. Auctor*, quantam dent Solis parallaxin observationes ad *Caput Bonae Spei*, *Pekini*, *Selenginski*, et in *insula Rodrigues* peractae.

actae. Postquam verò dissertatio ista anno 1764. typis excusa est, Longitudines quorundam locorum in laterculo nominatorum certius sunt definitae, idcirco nonnullae paralaxeos determinationes ibi exhibitae immutari debuissent; verum Academia Scientiarum fatius esse duxit, prout impropria est, ita et hic eam excudere, discrimen vero ex Longitudinibus correctis oriundum hic peculiari exhibere laterculo.

Nomina Locorum.	Longitudo eorum.	Parallaxis Solis horizont. resultans comparatione observat. habitae.			
		ad C.B.S.	Pekini.	Seleng.	in Rodrig.
Rodrigues	4. 3'. 26"	5". 89			9". 39
Pekin	7. 35. 45	8". 51			9. 49
Selenginsk	6. 57. 14	8. 46			
Tobolsk	4. 23. 51	8. 60	7". 72	7". 34	9. 92
Tornea	1. 27. 49	8. 53	8. 43	8. 13	9. 95
Cataneburg	1. 41. 40	8. 64	8. 05	7. 75	10. 13
Upsala	1. 1. 12	8. 61	8. 17	8. 00	10. 26
Stockholm	1. 2. 52	8. 35	8. 96	8. 76	9. 88
Göttinga	0. 30. 16	8. 50	8. 57	8. 42	10. 48
Grenovicum	0. 9. 16 oc.	8. 51	8. 50	8. 42	10. 54
Parisi	0. 0. 0	8. 53	8. 47	8. 39	10. 74
Bononia	0. 36. 5	8. 58	8. 44	8. 30	11. 00
Roma	0. 40. 40	8. 62	8. 46	8. 27	11. 35

Longitudo Capitis Bonae Spei a meridiano Parisino computata statuitur hic 1^b. 4'. 15".

III) *Eclipsis Solis insignis d. 1. Apr. an. 1764. Styl. Nov. temp. civ. observatio Lipsiae habita: Auctore G. HEINSIO.*

IV) *Observationes aliquot coelestes ann. 1765. et 1766. Lipsiae habita: Auctore G. HEINSIO. Eclipsis solaris, quae d. 1. April. an. 1764. st. n. contigit, et cuius potiora momenta in hac dissertatione recententur, observatio, ita a Col. Auctore*

Auctore Lipsiae instituta est, ut non per tubum modo astronomicum optimas notae solem immediate contempleretur, sed etiam in imagine solari, per machinam helioscopicam repraesentata, phaenomena observaret; cumque non ipsi solum observationi, sed praevio etiam status horologiorum examini, plena favisset coeli serenitas, has ipsas observationes inprimis aptas esse censuit, in quibus, quid de pretio methodi phaenomena eclipsium solarium ope machinae helioscopicae observandi statuendum sit, data opera investigaret. Repraesentavit haec machina diametrum Solis sub magnitudine 4. dig. 2 $\frac{3}{4}$ lin. mens. Paris. duodec. in qua Cel. Auctor ope circini et scalae geometricae pro compluribus Eclipsos momentis distantiam cornuum seu chordam defectus et latitudinem maximam partis lucidae determinavit. Lam quidem ex ipsa rei natura manifestum est, cum in repraesentatione Solis per machinam helioscopicam initium eclipseos tum demum sub sensus cadere possit, cum luna limbum imaginis solaris iam aliquantillum penetravit; finis autem, cum limbus lunae adhuc eum margine imaginis solaris confunditur; observationes hac methodo institutas ab iis, quae per tubos astronomicos immediate fiunt, non nihil discrepare debere: quo tamen discrimine non obstante, deducendo ex observationibus utriusque classis tempus obscurationis maximae, Cel. Auctor tam exiguam deprehendit differentiam, ut methodum hanc conclusiones sufficienter inter se consentientes subministrare, et machinam helioscopicam non sine fructu in observationibus eclipsium solarium adhiberi, statuendum sit. Praecipua autem, qua haec methodus premitur, difficultas, in eo posita est, quod ad determinandum tempus maximae obscurationis partes lucidae ante et post obscurationem maximam *aequales*, ab eaque non nimis remotae, una cum temporibus ipsis respondentibus cognitae requirantur; quae si non habeantur, (ut plerumque fit) partis lucidae ex uno latere respondentis defectus ope interpolationis supplendus est. Hoc igitur gravi incommodo methodum, quae

quae sua se utilitate iure commendat, Cel. Auctor feliciter liberavit, modum ostendendo, ex tribus partibus lucidis quomodocunque inaequalibus, in vicinia obscurationis maximae sumtis, una cum temporibus ipsis respondentibus, tres distantias centrorum Solis et lunae inveniendi; quibus praemissis problema resolvit, cuius in aliis quoque observationibus congressus duorum corporum coelestium, v. g. transitus Veneris vel Mercurii per Solem, insignis usus est; ut scilicet datis tribus centrorum ☉ et ☽ distantis cum temporum respondentium intervallis, distantia centrorum minima et tempus obscurationis maximae, calculis admodum concinnis inveniantur. Quae vero methodus cum diametrum Lunae cognitam, atque in partibus scalae supra memoratae expressam supponat; haec quidem diameter ex cognitis chordas defectibus, parte lucida et radio imaginis solaris inveniri possit. Cum vero chordae defectus, et partes lucidae alternis tantum vicibus observari possint, interpolatione hic opus foret, unde, in eo casu, quo immediata diametri lunaris dimensio non conceditur; eam ex calculo petere, et parte aliqua ob representationem in fundo lucido minuere, Cel. Auctor, facto periculo, deproherdit esse consultus. In altera dissertatione, praeter *Initium Ecl. sis* solaris partialis d. 16. Aug. 1765. celebratae, quod Cel. Auctori observare licuit, duas observationes transitus Lunae per Pleiades, annis 1765. d. 13. Iulii et 1766. d. 22. Septembr. ab ipso institutae, recensentur. In prioribus harum observationum Cel. Auctor ad accessum Lunae ad Lucidam Pleiadum, quam a Lunae limbo lucido occultatum iri suspicabatur, imprimis attentus fuit. Quod etsi non accidit, cum Luna Lucidam Pleiadum in certa aliqua distantia praeteriret; tamen Cel. Auctor verum tempus conjunctionis, id est illius positionis, in qua linea recta stellam et cuspidem Lunae inferiorem iungens perpendicularis ad proximam Lunae marginem visa est, ad paucas minuta secunda exacte determinavit; inopinato alius quoque Stellulae, Lucidae Pleiadum admodum vicinae, et a *Flamste-*
dio

dio in Catal. Brittan. littera P notatae, emerſionem obſervavit, cuiusque tempus verum accurate definiit. In poſteriori obſervatione Cel. Auctor primum ſemitam centri Lunae, habita ratione parallaxeos, ad *Maiam* eiusque circulum latitudinis ex elementis in Ephemerid. P. *Hellii* obviis in ſchemate repraeſentavit, eique inſigniores in conſtellatione Pleiadum ſtellas per differentias longitudinum et latitudinum, quales a *Falmſtedio* ſuppeditantur, inferuit; eoque id conſecutus eſt, ut, quas vel occultationes vel incidentias harum ſtellarum in lineam cuſpidum obſervaverat, diſtincte recenſere potuerit. Inprimis vero ex obſervatione circa occultationem *Maiæ* habita, id Cel. Auctor animadvertit, poſitionem *Maiæ* a P. *Hellio* determinatam, quae a poſitione per alios Aſtronomos, *Flaſtrechium*, *Cafſini*, *Maraldi*, de la *Hire* definita, inſigniter diſcrepat, eſſe erroneam, hancque cum veritate, obſervationibus confirmata, propius conſentire.

ISOCRATIS PANEGYRICUS. RECENSUIT ET
animadverſionibus illustravit SAMUEL FRIDERICUS
NATHANAEL MORUS.

Lipſiae ap. Weidmani Heredes et Reichium, MDCCLXVI.
plagg. 12. in 8.

Inter Iſocratis, Oratoris quondam Graeciae divinarum humanarumque rerum ſcientiſſimi, et cum dicendi laude, tum praecipendi exercitatione celeberrimi, ſcripta, primum ſibi locum Panegyricus vindicat. Nam ſive ordinem, quo orationum quaeque habita fuit, ſequaris, haec prima videtur eſſe; ſive, ſi id in dubitationem fortalle vocetur, rerum ipſarum cauſa, earumque proponendarum, argumentorumque tractandorum, mira ſimilitudine cum ceteris convenit. Hoc autem habet Iſocrates, ut cum eius oratio in eaſdem res delata fuerit, eadem etiam de iis dicendi ſimilitudinis lege ſibi conſtet.

constet. Quae tamen pro ingenio et arte viri, non omni varietate caret: non illa quidem ex locorum argumentorumque, quae, propterea quod in suo genere fore optima et propemodum unica essent, non admodum variare poterat, diversitate spectanda, sed modo in diversa adhibendi consilio, ut quibus alias in laudando usus fuisset, iis nunc in vituperando utatur, quibus in adhortando, nunc in docendo, modo in delectu et collocatione verborum, in numero denique percipienda. Quae res profecto lectores sine suavissimae variationis fructu non dimittunt. Quodsi quis Panegyricum accurata lectione plane cognoverit, is ad ceterarum orationum faciliorem intellectum pervenit. Nam semel laboriosa rerum factorumque apud historiarum scriptores inquirendorum difficultate superata, ubi ad eadem viderit oratorem respicere, in olim cognitis et exploratis denuo non haerebit. Ergo versabitur animus in imitatione iudicanda, in quo lectionis firmum praesidium, et acuendi ingenii certissima disciplina inest. Herodotus, Xenophon, Thucydides, Lyfias, Lycurgus, ad imperium maris Atheniensibus vindicandum, ad Athenas ceteris urbibus praeferendas, ad laudandos in acie caesos, ad amorem patriae maiorumque virtutem commendandam, in eorundem argumentorum usu cum Isocrate consentiunt. Quid? Aristides multis annis posterior, cum sciret Isocratis scripta haberi et legi, tamen e Panegyrico eius omnia in Panathenaicum suum transtulit, et ea fere optime dixit, quae ad superiorum, et in primis Isocratis exemplar, expresserat. His causis commotum se Vir Clariss. scribit fuisse, ut ad edendum hunc libellum animum manumque adiceret. In quo negotio primum hoc curavit, ut ex ipsis fontibus hausta, quae ad rerum intellectum valerent, momenta historica, diligenter enotaret, levaretque lectorum inquirendi taedium, errorisque periculum removeret; deinde ut nec quae ad rem criticam, et ad facultatem de lectionum veritate iudicandi spectarent, negligeret. Ob quam rem in subsidium vocavit librorum apparatus

sum, quem nondum cuiquam editori ad manus fuisse scribit, eius indicem praefationi subiecit. In his eminet editio princeps Mediolanensis anni 1493. in forma maiore, paucissimis operarum vitis inquinata, quam ex bibliotheca Paullina Lipsiensi recepit. Sed insperis eam quoque, et cum Wolfianis exemplaribus, novae editionis elegantissimi scriptoris adoperandae causa, ante multos annos consulit Cell Fischerus, ac ipse in Animadvers. ad Veller. p. 293. proficitur. Conf. etiam pag. 172. 348. 355. 372. 398. et alibi, ubi huius editionis lectiones commemorat. Atque id ideo monendum duximus, quod Vir Clariss. ignorare se scribit, an praeter Dorvillium, qui ad Charitonem eius passim mentionem faciat, alius quis eam tractaverit. Proximum tenet locum Aldina, eadem, qua superior, forma Venetiis 1513. impressa, quae cum Mediolanensi eadem fere lectiones servat, neque tamen ex ea fluxisse videri debet. Nam dissensus etiam inter utrasque, locis quamplurimis, reperiuntur. His duabus fere solis insistendum, earumque auctoritates longe pluris habendae, quam Hagenoensis, quae anno 1523. octonis prodit, quaeque nihil discrepat ab Aldina, vitis quoque servatis. Praeterea adhibuit Basileenses tres, unam Wolfii, quam maioris nomine vocare solet, alteram anni 1565. per Thomam Guarinum octonis editam, continentem textum graecum ex Aldina plerumque expressum, tertiam denique anni 1579. priori et forma et valore consimilem. Adiunxit Stephanianam anni 1593. in maiore forma, quae non ubique recensionem Wolfianam sequitur, saepe Aldinae lectiones retinuit, quaedam etiam singularia prae se fert. Manuscriptis Codicibus usus non est, praeter eos, quos Wolfius et Cantabrigiensis editionis, quae anno 1729. octonis prodit, auctor Battieus, adhibuit, quorum in hac re fidem sequitur, huius quidem dubiam et infirmam expertus, in animadvertenda et enotanda editionis Stephanianae varietate. Harum editionum notitiam sequitur dissertatio, qua de tempore editi Paegyrici coniectura proponitur, quam propter usum et praestantiam legendam commendamus imprimis.

Verso

Versionem latinam iussu de causis omisit, et siquid in verbis paulo exquisitius dictum, aut in forma noviter expressum esset, id ad iudicis interpretationem reiecit. Alienus ab proposito de verborum significatione in ipsis animadversionibus tamen disputandi, in hoc genere notationum perspicuam se praebuit. Nihilominus tamen suis locis de his quoque docte et eleganter disputando, tum eruditionis non vulgaris testimonio, tum expectationi et usibus lectorum insecvit. Praemissam igitur Argumentum auctore Hieronymo Wolfio, sequitur ipsa oratio, ad cuius Cap. I. p. 4. notio vocabuli *σοφης* ex usu antiquorum, qui eo nomine *rhorem* vel *oratorum* appellabant, declaratur: sicut etiam p. 6. vim formae *φιλοσοφῶν τῶν λόγων*, quoad designat *versari in commentanda oratione, scribere vel habere orationem*, demonstrat; in quo tamen Harpocratio notari non debebat, quasi nimis vage *φιλοσοφῶν* interpretetur *ποιεῖν*, cum eius verba plane aliter habeant, nempe sic: *φιλοσοφῶν ποιῶσθαι φάσκουσιν*, quod verum debet, *elaborare in dicendo*, ut appareat, vim eius verbi recte ab homine intellectam, scienterque declaratam fuisse. Sequi quam Latinorum fert consuetudo, Graeci pronomini- bus demonstrativis utuntur ante participia; e quo more iudicanda sunt verba Cap. II. *ἰμοὶ δ' ἄδην πρὸς τὰς τοιαύτας εἶναι, ἀλλὰ πρὸς ἰσθμῶν, τὰς ἄδην ἀποδεχομένους εἰκὴ τῶν λεγομένων.* Mox, ubi Isocrates dicit, *αἱ πολιτεῖαι, δι' ἃν οἰκῶσι τὰς πόλεις, ἄνω τὰς πλείους αὐτῶν διελήφασιν*, observandum est, *διαλαμβάνειν* esse *comprehendere, occupare*, vel etiam *dividere*; nisi malis *intercipere*, nimirum sic, ut aliae civitates Atheniensibus, aliae Lacedaemoniis adhaerant, quod in nota subiecta p. 14. docetur. Addiderim dici verbum de iter facientibus, cuiusmodi usus, neque a Reiskio ad Polybium, neque a Clar. editore laudatus est ullus locus. *Διαλαβῶν πελάγη τὰς τραπεζῶν, πρὸ διαπερῶν*, vel *διαπερῶσθαι*, nam utrumque dicitur, est apud Philonem de Nom. mut. p. 1049. ut *ἰπιλαμβάνειν χῶρον πλοῦν* de Hercule apud Theocrit. Id. XIII, 65.

quod Scholiastes explicat ἰσχυρῶν. Virgil. Aen. V, 316. *Corripunt spatia*. Cap. VI. verbis, τῶν δὲ συλλήβδην τὰς ἰσχυρίας καὶ τὰς χειρίας, pro glossemate adhaerent, καὶ τὰς ὠφελείας, τὰς δὲ αὐτῶν γυγνομένας. Cap. VII. vetustas narrationes, propterea, quod multi protulerint, multique audiverint προσέειπαι, αἰετ, μὴ καινὰ μὲν πρῶτα δὲ δευτέρων εἶναι τὰ λεγόμενα περὶ αὐτῶν. In his non spernenda est Codicis Fuggerani a Wolfio prolata lectio καινὰ; nam facilis et crebra harum vocum permutatio, cuius plurima, si id nunc ageremus, exempla possemus proferre, de qua interim videndus *Abresch*, Dilucidat. Thuc. p. 295. hunc quoque locum commode turbaverit. *Κε. α.* inania, *file cassa* et *coarctia*, elegantissima oppositione τῶν πισῶν, *firmorum*, *certorum*, quibus fides haberi debet, dicuntur. *Κενοφανείας* sic occurrunt 2 Timoth. II, 16. A quo longissime abit audacior conmutatio verborum μὴ καινὰ in ἀρχαῖα, quam Vir Clariss. probat. Sed ut, quod res est, dicamus, illud μὴ μὲν facit, ut καινὰ rectum esse putemus hoc sensu: *non illa quidem quas narrentur esse nova*, quod nova fere admiratione excipiuntur, antiqua spernuntur, *sed tamen esse firma*. Cap. VIII. τὸν βίον οἱ πρότεροι φάνοντες ἐπὶ γῆς - - κατὰ μικρὸν αὐτοῖς συ.επο.ίσωτο. Coniicit legendum αὐτοῖς; sed non est opus, cum αὐτοῖς pro αὐτῶν poni doceant multa Auctorum exempla. Comparandi sunt eorum Interpretes, quos excitat *Fischerus* V. Clar. *Animadverss.* ad *Veller.* pag. 172. Et sic Cap. XIII. καὶ ὅτι τὰ τῶν πλεονεκτησάντων καὶ τοῖς ἄλλοις ἀπασιν αὐτῶν διηγέσκωμεν. Ubi pronomen hoc non refertur ad ζῶα, *bestias*, quo, cum interprete latino, multi forte retulerint, sed αὐτοὶ sunt ἱψί, *homines*, ut verborum sententia, quam sequentia quoque exigere videntur, haec sit: *sermone praestamus bestiis, qui vero eloquendi arte valent, hi reliquis suorum, sui generis, omnibus antecellunt. Ut idem dicatur quod a Cicerone I. de Orator. c. 8. quis hoc non iure miretur, summeque in eo elaborandum arbitretur, ut quo uno homines maxime bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecellat.* Sed haec haec tenus.

Illuc

Illuc revertimur. Eodem capite leguntur, ἴδιος γὰρ ἂν δύνατο δωρεῖν τοσαύτην τὸ μέγεθος εὐρεῖν, ἥτις ἴση τοῖς πεπραγμένοις ἐστὶ. Non displicet Editori coniectura Wolfii, δωρεῖν τοσαύτην τὸ μέγεθος, et δωρεῖν explicat, praestitum, putatque permutari cum τιμῇ in superioribus; in quo forte alii nobiscum usum desiderent. Nam δωρεῖν idem valet quod χάρις, qua cum voce iungit Philo in Flacc. p. 989. et permutat in Legat. ad Cai. p. 1004. Quid ergo si dictum putemus, pro δωρεῖν τοσαύτην μεγέθους, vel δωρεῖν ἕτω μεγάλην, permutatione ab ingenio linguae non aliena, ut maneat in notione beneficii vox δωρεῖν, sententiaque sit: nemo possit tantae magnitudinis beneficium invenire, nemo tanto dono genus humanum augere quod par sit iis quae facta sunt, nempe inventioni frugum usque ad homines propagato. Cap. IX. extremo pro αἰ τὴν ἀφ' ἡμῶν ἀφορισθῆσαν, ut habet edit. Mediolan. et quaedam aliae, cum libris aliis Clar. editor mavult ὑφ' ἡμῶν, quod passivum coniunctum sit. In quo sequi videtur *ιστῆ*, in Ferc. Litt. p. 17. quam ipse sibi opinionis errore fluxerat, sententiam, qui, quoties ἀπὸ cum passivo iunctum reperitur, cum ὑπὸ confusam ab librariis putat. Quam quidem et rationibus, et exemplis, confutarunt multi, ut fere quoties de ea re dubitatio incidit, his codicum auctoritate dirimenda sit. Cap. X. verba sunt: ἀρχὴν μὲν ταύτην ἐποίησαν τῶν ἐπιγεσιῶν, τροφὴν τοῖς δομένοις εὐρεῖν. Hic loco Infinitivi, nihil unde pendeat habentis, legendum censet *εὐρεῖν*; sed pollent, ut Participia, sic nonnunquam Infinitivi, virtute Latinorum Gerundii in *do*, ut docet *Abrsch*, Dilucidat. Thuc. p. 750. A capite XIV. comparatio instituitur orationis *περὶ ἀντιδόσεως*, in qua integer locus, a verbis *Ἡγῆμαι δὲ τὸς προγόνους ἡμῶν*, usque ad Cap. XXIX. magna cum varietate, tam in verbis et formis dicendi ipsis, quam in collocatione, quae tamen sensum non mutet, repetitus est. Varietas non ab librariis, sed ab ipso Isocrate profecta, qui senior hunc locum iterum tractans, vel consulto, vel negligentior, multa mutavit. Quod idem factum est a Xenophonte.

phonte. Comparandus Hellen. III, 4. tum Ages. c. 1. Aut si, ut Plutarchus in vita Isocratis refert, unam tantum *περὶ ἀντ.* orationem dixit, nec amplius ad dicendum prodiit, vel hanc ob causam posuit nonnulla immutare, quae viderentur ad aures melius et suaviter accidere. Cap. XVI. extremo legitur, *εἰ δὲ δεῖ τὰς χροίας καὶ τὰς ἰπτικίας ἀνελόντας ἐπὶ τὴν ὑπόθεσιν πολλὰ ἰπανήθην.* Si cum ceteris interpretibus verbum *ἀνελόν* vertatur *omittere*, sententiae loci derogatur. Non enim omisit, sed apte, et consilio convenienter commemoravit, ergo Clar. editor rescribit *συνελόντας*, et ex usu formae *ὡς συνελόντι εἰπεῖν* explicat, coniunctim dicere de pluribus. Sed quaenam necessitas iubet *ἀνελόν* accipere pro *omittere*? cum significet *tollere, capere, λαβεῖν*. Ac Medii quidem exempla in promptu sunt. *Ἀνελόμενοι τὸν πόλεμον* Cap. XIV. huius orationis, *cum bellum susceperissent*, coll. Thucyd. IV, 60. Ibidem: *ἀνελόμενοι τελευτήσαντες, εσθλὸς ἐν αἰετὶ τὸν πόλεμον*, Actor. VII, 21. *Mors ἀνελόμενος ἢ θογγύτης φασαῖ;* quo ipso verbo, in eadem re, Philo Lib. I. vit. Mos. p. 605. utitur. Similiter Latini *colligere* dicunt. *Parvulum recolligit* Iustin. XXIII, 4. Firmicus Astron. VII, 1. *exp. sitis -- ab alio collectus invenietur.* *Colligere librum* Plinius in Epistolis, qui locus nunc non succurrit. *Habenas colligere* Virgil. Aen. XI. 671. Atqui id ipsum verbum hoc loco requiritur, ut vertamus: *collectis beneficiis et humanitatibus* Dicitur est de Medio. Sed etiam Aetivum in hac notione occurrit. Thucydidis e libro tertio locum affert Thomas Mag. v. *Ἀνελόν* alius est apud Aelianum V. H. III, 1. *καὶ τὸν κλάδον ἀνέλε;* paullo ante praecedit, *λαβόντων κλάδον.* *Ἀνέλεν ὁ θεός* in notione *respondendi* de oraculis dicitur, et sic fortasse, non *ἀνέλετο*, quod responsio sit collectis prolatisque verbis interrogantium causa, sicut et hic Orator ista argumenta non colligebat aut edebat sibi, sed audientibus. Quod, si placuerit, nihil mutandum, praesertim cum eadem iisdem verbis in oratione *περὶ ἀντ.* legantur. Ad Cap. XXVII. p. 70. comparatione historicorum nimium tribuisse

Isocra-

Isocratem laudandi studio, demonstratur; quae observatio ad ingenium artemque Oratoris cognoscendam valet. Ad Cap. XXXII. monetur, parum definite *ἡλικίας* explicari *ἡλικίαν*, et quale genus hominum fuerit, auctoribus Harpocrate et Scholiaste Thucydidis, accuratius docetur. Eodem capite verba sunt: ἢ τις ἄνω τεσσάρων πόρων τῶν πολιτικῶν ἢ πραγμάτων, ubi offendit in verbis ἄνω τεσσάρων, quorum vel prius, vel posterius delendum, nec talem pleonasmum exemplis defendi posse censet, quod et Wolfio visum erat. Sed quid si Isocrates alio loco huius ipsius orationis Cap. XXXVII in ἄνω ἡλικίᾳ eundem pleonasmum servavit? ut in *ἡλικίᾳ* Horat. Od. II, 11, 14. Conf. viri docti ad Ioann. IV, 6. Deinde cum πόρων εἶναι τινός sit *procul ab aliqua re abesse*, ἐπὶ τεσσάρων vero, *tantum*, non videmus lectio marginis edd. Bas. ἐπὶ τεσσάρων quid vitii habeat, aut cur ante πόρων poni non possit. Difficilem locum Cap. XXXVII, τῶν τὸ μετὰ Τριβάζου etc. notare non praetermisit, ubi in τῶν τῶν τόπων aut nomen proprium latere putat, aut commutatis transponendis sanitati restituendum. Cap. XXXVIII, ineunte legitur: ἡμῶν δ' ἡγῆμαι, ταῦτα τὴν διγύναξ, ἢ ἀποτρέπω, ἀλλ' ἐπισπύδων τὴν στρατιάν. Sic omnes edidi. Putat autem Vir Clariss. aptius legi *στρατιάν*, quamquam nihil mutavit, quoniam usus ista permutare potuerit. In quo asserendo posse se tueri auctoritate Ammonii, et Photii in Lex. MS. qui eadem sententias adhaerent. Quibus nihilo minus aperte obloquitur Ruhnkenius ad Timaei Gloss. Plat. p. 171. ubi ex ipsius linguae ingenio docet, utrumque vocabulum suam et separatam significationem habere. Nunc quidem *στρατιάν* refingere non est necesse. Nam ἐπισπύδων τὴν στρατιάν est *propellere exercitum*, quod nihil loco accommodatius, et paulo plus dicitur quam per ἀποτρέπω στρατιάν apud Demosthenem adv. Timocr. p. 474. indicat enim celeritatem. Et verbum ἐπισπύδων, ἀποτρέπω, *propellere*, fere convenit rebus animatis, Theocrit. Id. XVI, 93. ἐπισπύδων ὄδιον, *urget viatorem*. Hic igitur *στρατιάν* rectum videtur. Sed secus est in
peli-

reliquis locis, ubi pro ποιήσασθαι ερωτησῶν, neque ac apud Philonem 2. Alleg. p. 63. pro ερατουσάμους εραταίω, praefereandum fuerit ερωτησῶν. Nisi tamen ποιήσασθαι ερωτησῶν etiam possit denotare, *conficere, instruere exercitum*. Mox: ἢ γὰρ χαλεπὸς ἔσται πρὸς τὰ πολέμια, ubi nihil opus esse existimamus constantem liberorum lectionem relinquere, et desistere ad coniecturam Wolfii, προπολεμίων. Nam aliter dici videtur χαλεπὸν vel βέδιον ποιεῖν, vel infra: ἢ χαλεπὸν ἐστὶ ποιήσασθαι, quam hic χαλεπὸς; aliquid simile inest illi Thucydidi VI, 12. νεώτεροι εἰς τὸ ἀρχαῖον. Possit etiam ferri πρὸς πολέμια divisam, omisso, ut nonnunquam fit ante Infinitivum, Substantivi notionem habentem, articulo. Difficultate laborant verba Cap. XXXIX. οἰκίω δὲ τὴν νῆσον, quod, cur posita sint, ratio obscura sit, aut quem nexum habeant cum sequenti προδουρυχίω. Quae nec remouetur legendo οἰκίω, ut Vir Clar. vult, hoc sensu: *cum insulam sibi vindicare vellet*. Nam huic significationi loquendi usus, qui verbum οἰκίω de amica et blanda consociatione magis, quam de occupatione hostili et violenta, dici demonstrat, obstare videtur, qui idem etiam Medium requireret. Ad Cap. XLI. p. 109. verbi ἔξ: ἀξίωσθαι exquisitae notiones accurate et eleganter distinguuntur, quemadmodum etiam ad proximam sectionem p. 114. de significatione et usu verbi χρηματίζειν, pro *trahere rem aliquam*, deinde, *agere de aliquo re in senatu vel ad populum*, prolatis Auctorum locis, disputatur. Mox contra Wolfium et editorem Cantabrigiam docetur, Κήρυξ, quoniam Ἑυμολπίδαις iungantur, male verbi *praecones*, cum nomen sit proprium familiae, quae sacra administravit. Iam porro, quoniam Attici potius dicant ἀγῶνα μουσικόν, quam ἀγῶνα μουσικόν, ut docuit Hemsterhusius ad Aristoph. Plut. v. 1163. paullo post in verbis, ἐν το ταῖς τῆς μουσικῆς ἀδελφαι, περὶ τῆς delendum censet, praesertim cum praecedat ταῖς, unde facile erroris nata causa fuerit. Sed revocat nos superioris Cap. XLI. locus, ubi orator iungit τὰ τῶν θεῶν ἔργα καὶ τὰς νῆας, in quo explicando quis non adferat Clar. editori,

tori, qui id ad maiorem indignationem commovendam fieri praecipit. Ob quam causam etiam Lycurgus contr. Leocr. initio p. 157. et 158. dixisse videtur: *προδόντα τὸν νότον καὶ τὰ ἴδη καὶ τὰ τεμένη* cuius auctoritate ad comprobendam vocis ἴδου notionem eam, qua *templum* significat, Ruhnkenius ad Timaei Gloss. p. 68. utitur. Nam praeter hanc, designat etiam *situationemque ipsam*; quam significationem expressit in versione Wolfius. Cap. XLIII. commemoratis demonstratisque periculis, quae regis Persarum rebus imminerent, cum vicinitatem omnem aut confessis hostibus inquietam, aut amicis male fidei suspectam habeat, subnectit: *τοῖς τῶν ἐρημηθίων ὑπαρχάντων*; quae malimus reddere, *cum talia loca, ex quibus oppugnari, peti, unde impetus in eum fieri possit, adsint*, ut vocabulum *ἐρημηθίων* in propria et constanti vi et potestate maneat, quam cum Wolfio, qui etiam Virum Clariss. sequacem nactus est, et ad similitudinem quamdam in usu vocis *ἀφορμὴ* provocantem, vertere *opportunitatem*; quo et nova verbi, nec exemplis facile probanda notio, suscipitur, et venustas loci intercedit. Sed Cap. XLIV. pro *δι' ἰδέων τῶν καὶ θ' ἡμέραν ἐπικυεῖν ἀναγκαζομένους*, eleganti coniectura legit: *τῇ ἰδέῃ, inopiam succurrere συνδύει*. Sic in nota ad Cap. XLV. p. 123. recte confidit, neminem reprehensuram esse verbi *προσπιπῶν* explicationem, *deficere*. Nam sane dicitur de luctantibus, vel currentibus, quorum alter defatigatus cedit; in qua notione apud Palaephatum, Philostratum, et Philonem, aliquoties obvium est, ut mirum sit, Wolfium, et Cantabrigiensem editorem, potuisse veterem, *diem obire*. Neque vero minima probabilitatis specie Cap. XLVI. *ἐμπειρίας* mutari in *εὐπορίας*; quamquam refertur ad τῶν κινδύνων, quod fortasse opponi possit. Nam periculorum utilitas magis in eo cernitur, ut scientiam et cautionem adferant, quam ut commoda et opportunitatem. Iam, τῶν περὶ τὰ Τρωικὰ γινόμενους, Cap. XLVIII. quid vetat intelligere eos, qui rebus Troianis ubi undis, seu bello Troiano gerendo interfuerint, sicut γινέσθαι vel εἶναι περὶ τι, est in aliquo studio, in aliqua re tractanda colendaque,

daque, versari, ut οἱ περὶ τὰς ἰσχυρίας ὄντες, qui pecuniariis quaesibus operam dant, Demosth. in Phorm. p. 603. Γενομένους, quae antiquissimarum editionum lectio est, qui praeferat, retulerit ad tempus gesti belli procedens et durans, vel ad scriptorum, qui rem quasi praesentem commemorant, ea de re narrationes. Sensus certe Wolfii illam coniecturam γενομένους necessariam vix fecerit. Mox Στρατηγίας non dici in notione spectaculi, quam ei cum Wolfio editor Cantabrig. tribuit, sed ad solemnem illius legationis, ab Atheniensibus Delum quotannis mittendae, pompam respici, adhibito *Aristide* in Panath. p. 30. qui hunc locum imitatus, κομπήν nominat, verissime docetur. Sed haec sufficere putamus, cognoscendis libri bonis. Ceterum, novam Operum Isocratis editionem, voluntate Viri Clariss. institutam, curaque expolitam, cupide expectamus, et quae ad prosequendum consilium valent, ei ut sint preesto, vehementer optamus.

**BEYTRAG ZUR GESCHICHTE DES GESCHMACKS
und der Kunst aus Münzen:**

i. e.

**SYMBOLAE AD HISTORIAM ARTIUM, E
Numis: Auctore CHRIST. ADOLFO KLOTZIO.**

Altenburgi 1767. plagg. 12. in 8.

Diversa admodum fuerunt consilia eorum, qui explicandam sibi sumserunt rem numariam; cum alii numos eorumque materiam et argumenta erudita tantum commemorarent, alii vero, quod difficilius est in hoc genere, et minus speciosum ad vulgi captum atque sensum, et tamen maius, usum eorum demonstrarent, quem in Chronologia, Historia universa, Geographia, ritibusque publicis praestare posset. Vident enim saepe, quae nullus alius vidit in eiusmodi rebus. At vero perpauca in illustrandis numis id
vide-

viderunt, et videndum praesoperunt, ut ex iis artium elegantium incrementa et perfectio, artificumque ingenia cognoscerentur, eaque intelligentia ad imitationem artificum, h. e. ad usum perfectionemque artium, et ad informandam animis nostrorum hominum pulchritudinis speciem, illiusque sensum cum acuendum, tum alendum, adhiberetur. Atque hoc eo minus mirandum est, quo magis difficile est, nec cuivis datum, in antiquitatis illius reliquiis haec perspicere, et in iis explicandis cum laude versari, adeo multa requiritur monumentorum et artis regularum scientia, nec minor oculorum, quam iudicii, ad antiquam pulchritudinem exercitati, elegantia. Rem igitur gratissimam fecit iis, qui id genus literarum amarent et colerent, Vir et ingenio et doctrinae elegantia et dignitate illustris, quod de hoc numorum usu in libello, de quo dicere institimus, exponere, ex iisque quandam quasi historiam humani ingenii artiumque, quae operum exquisita pulchritudine censentur, contexere, atque demonstrare studuit, quamcunque gentem, ut numorum elegantissimorum copia esset affluentissima, ita quoque pulchritudinis deformitatisque sensu et iudicio ornatissimam fuisse, et literis artibusque elegantioribus cultissimam; et contra.

Atque in priori parte, (nam in duas descriptus est hic libellus,) quae praecipue ad usum doctrinae liberalioris spectat, *de effigibus rerum gestarum*, emblematis et titulis, seu inscriptionibus numorum, egit, in iisque plus vel minus inventionis, simplicitatis, *ἀκριβείας*, perspicuitatis gravitatisque, deprehendi ostendit, quo magis vel minus sensu studioque pulchritudinis et deformitatis, honestatis et turpitudinis, occupati fuerint hominum animi, artibusque elegantioribus culti; id quod tamen non de omnibus numis, sed de plerisque tantum vult intelligi. In altera vero parte, quae est artificio coniunctior, numos antiquos et recentiores quosdam ita descripsit, ut etiam artificii ratio-

nem aliquam haberet. Iam de praecipuis capitibus quaedam commemorabimus.

In priori parte primum de factis agit, quae in numis vel simpliciter, nuda rei gestae commemoratione in effigie facta, vel allegorice referuntur. Quod cum commune sit numis et antiquioribus et recentioribus; quibusne maius pretium statui debeat, quaerit, idque ex eorum inter se comparatione offendit. Ac numos quidem graecos et romanos, praecipue in genere allegorico, quo in primis delectabantur, Romani praecipue, commendare se, fatentur omnes, et insigni quadam perspicuitate et gratia venustate atque elegantia, quae animos oculosque lenitate sua, sensibilibusque pulchritudine capiat. Illa quidem recentiorum temporum numis prorsus denegari nequit; sed tamen non ea fuit, quae accedat ad perspicuitatem illam antiquam: quod vel uno exemplo intelligi potest, si numi conferantur, qui victoriae recuperandae gratia cusi sunt. Haec vero solis antiquis numis fuit propria, in quibus nihil est, quod deformitatem odiumque excitet vel terrorem; quod secus est in recentioribus. Exemplo possunt esse numi, in quibus Bacchus et Medusa referuntur, in quo ultimo fortasse decepti sunt artifices serpentibus, quibus caput Medusae in antiquis monumentis circumdatum est; sed in hac re longe aliter sentiebant veteres; item numi, apud Batavos cusi, et alii. Ex his intelligi potest, quantopere praestent numi antiqui prae recentioribus. Id clarius adhuc fiet, si emblemata spectentur. Horum nempe in antiquis numis magna est similitudo cum imaginibus poeticis, ita,

at Adisonis comparationem utrarumque institueret, exquisitumque pulchri sensum, in numis expressum, maxime laudaret. Atque hoc etiam de aliis antiquis artium monumentis dici potest. Verum de plerisque recentioribus non ita, neque etiam de antiquis omnibus. Scilicet causa huius diversitatis fuit diversitas incrementorum perfectionisque artium pulchrarum, quae quo magis florere, eo felicior uberisque artis numariae exquisitae atque elegantis veluti seges fuit. Numi Christianae, reginae Sueciae, emblematis exornati sunt, quae proxime ad similitudinem antiquiorum accedunt. Ipsa nempe rerum pulchrarum sensu atque iudicio valebat, artesque et antiquitatis monumenta amabat. Huc pertinent quoque missilia, quae in Gallia, sub Ludovico XIV. in primis vero quae in Anglia, recuperatae Goreae, Quebeckii, et Canadae causa, dein et Viennae a. 1762. in mortem principis filiae imperatoriae, Ioannae Gabrielae, excusa sunt. In reliquis omnibus nihil reperitur, quod prodatur ingenii et gustus elegantiam. Quodsi denique tituli numerorum considerantur, dici non potest quantum discrimen intercedat inter recentiores et antiquiores. Etenim horum tituli laudem merentur iustae et legitimae brevitatis, quae non modo conservat perspicuitatem, sed adiuvat etiam, sine molesta et ieiuna loquacitate, atque infelici sterilitate; elegantis deinde, exquisitaeque sententiarum gravitatis, sine mani lusu verborum, et tenuibus inventiunculis; scribendi denique formae eiusmodi, quae egregio tali rerum gestarum, ad feram posteritatem propagandarum, testimonio conveniat. Recentiores autem, quantum a Graecis Romanisque ingenii omnisque doctrinae elegantioris gloria, tan-

tum etiam in hoc genere superantur. Si qui tamen recentiores numi illorum similitudinem quodammodo attingunt, sunt profecto numi in Francia sub Ludov. XIV. et in Anglia cusi. Scilicet res numaria cum profectu artium ipsarum atque sensus iudicii pulchritudinis et ipsa proficit. Ad quam causam haec accedebat, quod ius numorum cadendorum arctioribus limitibus, legibusque severioribus circumscriptum esset, quam in plerisque Germaniae nostrae regionibus.

Ad alteram partem progredimur, in qua ita versatus est Vir Illustr. ut artificum in primis ingenia manusque spectaret, diversorum populorum rationem, et, quam temporis successio eodem in populo protulit, rationis varietatem explicaret, atque ita incrementa et progressus artium gustusque elegantis ostenderet. Quod quomodo factum sit, paucis videamus.

In universa numorum graecorum romanorumque censura, una et consentiens omnium intelligentium vox, ut in artibus omnibus, principatum defert ad Graecos. Cuius quidem rei diversas rationes commemoravit Auct. Cel. a Caylo prolatis; sed addit etiam aliam, non minus probabilem, hanc nempe, quod Romani a natura ad eiusmodi pulchritudinis, elegantiae, venustatis, omnisque iucunditatis sensum non videantur ficti fuisse atque formati, qui sensus Graecorum animos totos occupavit. Cicero ipse, quod non observatum est ab omnibus, ita loquitur diversis in locis de artificibus eorumque operibus, ut non modo

ca

ea ad suam rationem parvi aestimasse, verum etiam plane contempsisse, et ad omnis pulchritudinis sensum obtusus fuisse videri debeat. (Id tamen, nos quidem arbitramur, ex his locis, quae etiam pag. XII. afferuntur, non certo colligi posse, sed ita explicanda esse ea loca, ut Cicero se tantum a vanitate eorum abesse dicat, qui acerrimo pulchritudinis sensu et iudicio praediti vel sint, vel videri velint.) Principatus igitur in hoc genere Graecis haud dubie debetur. Sed sicuti artes sensim paullatimque incrementa cepere, atque per ingenia meliora ad perfectionem venire; ita quoque numi magis magisque pulchriores elegantioresque excusi sunt: et ut illae in contemptum abiere, ita et hi ad deteriora se inclinarent per incommoda temporum, et ad extremum cum Graecis ipsis eorum elegantia oppressa est; quae omnia multis exemplis egregie illustravit Vir Illustris. Ita expulsa e Graecia, sedem admodum benignam et liberalem Romae reperit ars numaria, cuius historiam, posteaquam numos Macedonum, Syrorum, atque Phoenicium laudavit, usque ad ea tempora persequitur, quibus omnis elegantiae sensus, studium, exempla, ab urbe exulaverunt; atque hac occasione, ob coniunctionem amicissimam, simul de toreutice (steinschneidekunst) Romanorum exposuit. Sequuntur deinde numi medii aevi, et ad extremum ii, qui, luce literarum artiumque terris reddita, cusi sunt in Italia, Gallia, sub Francisco I. et in primis Ludovico XIV. item in Russia, sub initium huius Seculi, in Anglia, atque Hispania. Nec denique archi-

architecturam Romanorum praetermisit, sed de ea quoque nonnulla admonuit, eiusque incrementa et perfectionem ex numis diiudicari posse, pulchre ostendit. Atque ita per partes egregie, ut solet, demonstravit, quibus temporibus artes liberales maxime florent, elegantissimeque homines de iis, omninoque rebus pulchris, iudicarent, iisdem perfectissimam fuisse rem numariam.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiae

Calendis Octobris Anno MDCCLXVIII.

GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII OPERA
omnia, nunc primum collecta, in classes distributa,
praefationibus et indicibus exornata, studio LU-
DOVICI DUTENS. Tomi VI. in 4to.

Genevae, apud Fratres de Tournes, MDCCLXVIII.

Splendidum commemoramus opus, et, cum viri, cuius scripta continet, celebritate, tum argumenti varietate dignitateque, externa vero etiam specie vehementer se ipsum commendans. Quid enim? an nobis, an Lipsiae, an Germaniae, an toti omnino orbi erudito iucundius aliquid contingere poterat, quam splendidam editionem Operum absolutam esse eorum, quorum auctori totum eruditionis campum plurimum debere, consentiens est inter aequos peritosque rerum aestimatores opinio. Hanc enim laudem qui Leibnitio denegare velint, aut turpi ignorantia excoecati, aut sectae studio abrepti, aut inani superbia inflati sint necesse est. O Lipsia! Lipsia! maximum certe semper annalibus tuis decus erit hoc, Leibnitium in te natum, educatum, primisque tantae doctrinae suae initiis impletum fuisse. Agnosce, quaesumus, agnosce, quam multum huic viro debeat, neque unquam committe, ut colenda eius memoria ab exteris, ab Anglis,
Gallis,

Gallis, Italis, superata videre. Nos quidem in recensenda hac scriptorum eius editione, hoc diligentiores esse studebimus, quo certius animus noster de eius meritis confirmatus est, quoque praestantius ipse olim nobis in his ipsis Actis diligentis Collegae exemplum dedit.

Ac primum Cl. Dutens, praefatione in opus universum, refert, Leibnitium ipsum optasse, ut opera eius ab aliquo in unum corpus redigerentur; cepisse etiam multos eorum edendorum consilium, sed rem nunquam confectam fuisse. Se vero ad aggrediendum hoc opus incitatum praecipue fuisse ab auctoribus operum quae inscribuntur: *Miscellanea Physico Mathematica Societatis Regiae Taurinensis*, quum ablegati Regis Angliae munere fungens, Augustae Taurinorum commoraretur. Atque ut in edendis Leibnitii operibus eo feliciter versaretur, litteras misit ad multos Germaniae, Galliae, atque Italiae viros eruditos, ut se de Leibnitii scriptis vel non satis cognitis, vel non ubique obviis, certiore facerent. Et plura sane hac ratione opuscula adeptum se esse fateatur, quae non modo nunquam edita fuerint, verum etiam eos latuerint, qui indicem operum Leibnitii composuere. E Germanis adiutus praecipue est, quod gratus agnoscit, a Cel. Bruckero, nec non a Gottschedio. Evolvenda ipsi etiam fuere omnia periodica opera illorum temporum, ut decerperet scripta Leibnitii illis inserta. Quare etiam multa sumit ex his ipsis Eruditorum Actis. Postquam Cl. Editor retulit, primo Volumine theologica contineri, occasione huius rei confutat sententiam eorum, qui dicunt, Leibnitium in quadam ad Pfaffium epistola confessum fuisse, se in Theodicea sua serio loqui minime voluisse, dum Baelii principia oppugnet de physici ac moralis mali origine, de bonitate Dei, hominisque libertate. Quibus ita respondet Cl. Dutens, ut dicat, quidquid putaverit Pfaffus, facilius credi posse, Leibnitium cum eo tunc ludere voluisse officiose ac specie tenus eius opinionem probans; hanc autem coniecturam

Etiam confirmari ex eo, quod Leibnitiu omne fere vitae tempus in stabiliendis iis, quae in Theodicea proposuerat, consumserit. Posthaec, quae reliquis quinque Voluminibus scripta complexus fuerit, exponit, de quibus singulis postea videbimus.

At facile intelliget lector, huc referri minime potuisse varia opera a Leibnitio edita, propter magnam eorum molem, cuiusmodi sunt: *Codex iuris gentium diplomaticus*, *Manuscripta codicis iuris gentium*, *Scriptores rerum Brunsvicensium*, *Accessiones historicae etc.* Sed recepit Cl. Editor doctas praefationes, commemoratis operibus praemissas. Ut tamen de horum operum ratione dixisse aliquid videretur, brevem accaratamque eorum descriptionem dedit. Neque etiam necesse putavit editionem hanc augere iis, quae nuper Cl. Raspius sub titulo edidit: *Oeuvres Philosophiques de Leibnitz*. Vehementer tamen laudat haec Opuscula, eaque, quum illis eadem forma sit, his sex voluminibus, appendicis loco, adiungi posse dicit.

Videamus nunc de scriptis, quae singulis voluminibus continentur. Et primo quidem Tomo contineri diximus *scripta theologica*, quibus peculiarem praefationem Cl. Dutens praefixit, quae vehementer nobis placuit. Namque in ea bene defenditur Auctor contra eos, qui contendere ausi sunt, Leibnitianam philosophiam cum aliquot Christianae religionis capitibus pugnare. Quorum temeritati occurrit Cl. Editor ita, ut doceat, neminem clariorem his religionis capitibus lucem affudisse, ac meliora nobis ad defendendam religionem arma suppeditasse, quam ipsum Leibnitium. Quod ut eo clarius fieret, summam Leibnitianae theologiae, in breve compendium redactam, ob oculos Lectoris posuit. Praecipuum hoc Volumine exhibitum opus *Theodiceam* esse credimus, quae latine ad exemplar Francof. et Lips. 1729. huic Volumini inserta est. Gratissimum etiam in primis theologiae studiosis, Cl. Dutens fecisse putandus est, inserendis eidem Volumini epistolis, a Leibnitio, Bossueto, Molano

Abbate Loccumensi, ad se invicem scriptis. Nam liber ex quo sumtae sunt, (*Oeuvres posthumes de Mr. Bossuet*) neque fatis notus, neque in omnium manibus est. His autem epistolis multa theologiae historiaeque capita a Leibnitio explicantur, praecipue vero de Concilii Tridentini auctoritate, deque libris scripturae s. canonicis, tam accurate disputatur, ut ingenue fateamur, nos nihil legisse, quo eae res tanta brevitate clarius diligentiusque expositae fuerint. Reliqua scripta sunt vel epistolae, vel alia opuscula, ex quibus omnibus patet fieri arbitramur hoc, theologiae cultores Leibnitio multum debere. Neque silentio praetereundum est, Volumini huic quaedam praefixa esse ad Leibnitii vitam doctrinamque pertinentia. Ea sunt: 1) Elogium eius per Fontenellium Gallice scriptum. 2) Vita eiusdem a Bruckero Latine litteris mandata. 3) Christiani Kortholdi disputatio de philosophia Leibnitii, Christianae religioni haud perniciofa. Tria haec scripta lectu sunt dignissima.

Sequitur Vol. II. in duas partes distributum. Prior pars Logicam complectitur et Metaphysicam. Ac largam hic Cl. Editor suppeditatam sibi videbat materiam, de Leibnitii meritis in universam philosophiam dicendi. Docet enim, Auctorem veterum philosophorum placita scite in rem suam convertisse; quae illi obscure tantum viderant, in clario-ri luce collocasse; quae eos omnino latuerant, detexisse; multa-que omnino intelligentia consecutum fuisse, quae antea nemo animadverterat. Defendit etiam philosophiam Viri ill. a temerariis assultibus eorum, qui *Materialismo* illam favere contendunt. Occurrit vero etiam iis, qui philosophiam Auctoris *Idealismo* ansam praebere perhibent. Lepida est narratio, quam Cl. Dutens ad monstrandum Leibnitii amorem in Veteres protulit, dignaque quam hoc loco commemoremus. Leibnitius docto cuidam Italo, qui viginti ferme dies apud eum commemoratus fuerat, discedenti haec dixit: Tu saepius comiter admodum dixisti, scire me nonnihil. Iam vero tibi fontes

fontes indicabo, unde hausi quicquid scio. Manu nempe prehensum advenam in cellulam introduxit, exiguumque librorum numerum ostendit, velut Platonis opera, Aristotelis, Plutarchi, Sexti Empirici, Archimedis, Euclidis, Plinii, Senecae, Ciceronis. Digna sane tanto philosopho oratio, iisque notanda, qui sibi, contemptis veteribus sapere se posse, persuadent. Neque adeo mirandum est, Leibnitii scripta quoque philosophica multo lepore esse condita, multaque luce radiantia. Egregiam enim perspicue et suaviter disputandi artem, in schola Platonis Ciceronisque didicerat. Pleraque scripta philosophica Cl. Dutens ex variis, quibus inserta erant, operibus depromsit, v. g. ex his Actis Eruditorum, ex Otio Hannoverano, ex diario Journal des Savans, ex Opere: Recueil de Des Maizeaux etc. Dedit vero etiam Cl. Dutens scripta Auctoris philosophica antea typis haud mandata. Primum enim exstant in hac parte triginta epistolae ad Patrem societ. Iesu, des Bosses, scriptae, et Cl. Editori a Gobeto, a bibliotheca Collegii Claromontani, communicatae. Indicantur eae pag. 283. Catalogi Mss. Collegii Claromontani, n. 734. his verbis: *Theca, in qua continentur Guil. Godofr. Leibnitii epistolae, partim autographae, partim apographae.* Miram eas Leibnitianae philosophiae universae lucem afferre, Cl. Editor recte arbitratur. Non solum tamen in iis philosophiam, sed et alia doctrinae capita illustrari, multas ibi animadversiones eruditas, acuta iudicia, bona consilia, aliaque utilia inveniri, intelleximus. Multa ibi de Iansenio disputantur, huiusque sententiae bene discutiuntur, atque hac occasione plura ad intelligenda Augustini dogmata monentur. Inter multa alia placet hoc Leibnitii votum: „Utinam esset aliquis, qui Petavii ac Thomassini dogmata theologica absolveret, et continuaret, non tantum addendo locos theologicos ab illis praeteritos, sed et pergendo a Patribus ad Scholasticos.“

Has litteras sequuntur sex aliae, itidem nunc primum editae, quas scripsit ad Bourguetum. Misit illas Editori le

Cat, Secretarius perpetuus Academiae Rothomagensis. Bourguetus Leibnitii ingenium vehementer admirabatur, et quascunque arripiebat occasiones eius placita defendendi. Quare studiose anquirebat commercium litterarum cum Leibnitio, ut eo accuratius indolem systematis, ut vocant, Leibnitiani, cognosceret, quod etiam scripto quodam defendere suscepit. Cuius scripti editionem cum epistolis Bourgueti sperare nos iubet Cl. Editor. Laudatae vero sex Leibnitii epistolae, scriptae illae sunt eo consilio, ut difficultates tollerentur Burgueto, in legendis Auctoris scriptis subortae.

Altera Vol. II. parte Physica generalis, Chymia, Medicina, Botanica, Historia Naturalis, Artes, etc. continentur. Leibnitium in Physica historiaque naturali versatissimum fuisse, nemo est qui negare audeat, testanturque id tot de his disciplinis opuscula hac parte comprehensa. At non exiguam fuisse etiam in eo Medicinae cognitionem, varia illius scripta hic exhibita loquuntur. Epistolae certe illius ad societatem Naturae Curiosorum; ad Schelhammerum; ad Gackenholzium de Methodo Botanica, aliaeque, luculenter id probant. Annexa etiam est Leibnitii Protogaea, cum praefatione et notis a Christiano Ludov. Scheidio a. 1749, edita. Atque ut variae res hoc Volumine propositae in maiori claritatis luce ponerentur, expressa est earum effigies duodecim tabulis aeneis, quae ad calcem Voluminis exhibentur.

Pergimus ad Vol. III. opera Mathematica continens, quorum rationem optime depictam dedit nobis Cl. Editor in praefatione. Et primum supervacaneum esse putat longo sermone persequi, quam de omnibus Matheseos partibus meritis fuerit Leibnitius, quum nemo vel mediocriter doctus ignoret, quantum nomen haec scientia Auctor acqum fiverit. Consilium enim fuit Cl. Editori hoc, ut scripta Mathematica Leibnitii breviter enumeraret, et quae ab eo nota, ac praecleara fuerint reperta, demonstraret. Quocirca
matura

matura iam aetate Virum ill. se ad Matheseos studium consulisse narrat. Enimvero nondum vigesimum aetatis annum attigisse eum, quum disputationem arithmeticae de *Complexionibus* defenderet, quae iam inde omnem ingenii illius perspicaciam praenunciare visa fuerit. Verum hoc eius Matheseos studium maxime tum apparuisse, quum Parisios profectus, arctissimam a. 1672. iunxisset cum *Hugenio* consuetudinem. Sub idem fere tempus, tradente Cl. Editore, plura in *Analysi* invenit, quae ei ad pulcherrimum *Calculi differentialis* inventum viam stravit. Reperit praeter caeteris arithmeticae circuli quadraturam, crediditque se omnium primum circuli valorem exhibuisse, per seriem numerorum ut vocantur rationalium. Verum ab *Oldenburgio* certior deinde factus est, *Newtonum* iam plura eiusdem generis, cum de circulo, tum de aliis figuris tradidisse. Iisdem quoque temporibus novam a se excogitam rationem proposuit perficiendae horologiorum, quae portatilia vocantur, constructionis, quae qualis fuerit, breviter a doctissimo Editore describitur. Eodem circiter tempore celeberrimam illam machinam arithmeticae invenit, *Paschali* machina perfectiorem commodioremque. Non multo post operam posuit in inquirenda Planetarum vi, quod spectat ad orbitas ab iis descriptas, ac primus cum Newtono materiam hanc attingere ausus est. Rationem ipse quoque invenit metiendi vivas corporum vires, seu vim corporis moti.

Et quum sibi persuasum haberet, semper esse in rerum natura eandem virium quantitatem, non vero, ut Cartesius putabat, eandem motus, orta est scientia ab eo *Dynamica* appellata, cuius specimen in his *Actis Eruditorum* dedit a. 1695. Maximam vero in arte Mathematica famam consecutus est ex iis, quae de calculo differentiali commentatus est, quorum primum specimen edidit a. 1684. Amplissimum hoc invento campum aperuit peritiorum Algebraistarum operationibus, viamque peculiarem iis ad difficiliora proble-

problemata Geometrica munivit. Difficillima porro problemata a Leibnizio soluta, gloriam ei pepererunt perpetuo duraturam. Aut enim solvit problemata, quae ipse aliis, uti Cartesianis de *linea Achrona*, solvenda tradiderat; aut ea, quae ipsi a peritissimis illius temporis Mathematicis, *Viviano*, *Io. Bernoullio*, aliisque proposita fuerant. Nec silenda est hoc loco *Arithmetica Binaria*, quam in usum vocare instituerat in calculis quibusdam, de qua multa Lector in hoc Volumine reperiet. Et omnino non solum omnia, quae huc usque cognita fuere Leibnizii opera Mathematica, in hoc Volumen congesta reperiuntur, sed plura alia insuper, nec nominata, nec cognita iis ipsis, qui vel vitam Auctoris litteris mandarunt, vel Leibnitianorum operum catalogum edidit. Omnia, doctissimi Editoris studio, ordine temporum disposita sunt, quibus ab Auctore in lucem prodita fuere. Haec enim ratio utilissima videbatur Editori, ad indicandam progressuum seriem, quibus in disciplinis mathematicis longius Vir ill. in dies processerat. Et recte quidem. Non igitur necesse est, ut plura de opusculis hoc Volumine exhibitis moneamus. Sunt ea numero nonaginta. Sub eorum initium positae sunt duae disputationes, intelligendae calculi differentialis rationi et historiae utiles, quarum una ex vita Leibnizii a Iocurtio scripta, altera ex Montuclae historia Mathematicorum, desumpta est. Utrumque hoc scriptum Cl. Editor omni praeiudicatae opinionis, vel etiam partium studii suspicione, carere existimat. Insertae etiam sunt huic Volumini duae epistolae nondum editae, ad notum illum Leibnizii in causa de calculo differentiali adversarium, *Nicolaum Fatium Duillierium* scriptae, cum huius responsione, ubi varia ad caput de gravitate pertinentia bene disputantur. Ad calcem Voluminis maioris iterum perspicuitatis gratia additae sunt tabulae aeneae, quibus figurae mathematicae expressae sunt.

Progredimur ad Vol. IV. quod tribus constat partibus. Prima continet Philosophiam in genere, et Opuscula
Sineq.

Sinenfes attingentia. Et primum quidem exhibentur epistolae quaedam Leibnitii ad Thomafium *de Nisolio* scriptae, quibus ostendere nititur, Aristotelicam doctrinam cum recentiorum philosophorum placitis componi posse, suamque sententiam profert de veteri scholastica et recentiori philosophia. Sequitur dissertatio de stylo philosophico *Marii Nizolii*. Et quum eiusdem viri librum *de veris principiis, et vera ratione philosophandi*, denuo edidisset, adiectisque notis vera comprobasset, falsa contra refutasset, recte fecit Cl. Dutens, quod hasce notas decerpfit, atque huc retulit. Sequuntur deinceps opuscula quaedam Senensium philosophiam spectantia. Ea quidem non omnia auctorem habent Leibnitium; sed illa ipsa, quae eius non sunt, monente Cl. Editore, necessaria habita fuerunt ad ea intelligenda, quae Vir ill. nova atque utilia ea de re scripserat. Et de his quidem scriptis iudicat Editor, nihil de Senensium philosophia reperiri haecenas potuisse, quod vel novitate rerum, vel diligentia ac iudicio scriptoris, plus potuerit legentium studiis satisfacere, quam Leibnitiana de Senensibus opuscula. Ceterum, prima hac Vol. IV. parte nullum est scriptum, quod non antea iam fuerit editum.

Altera pars Voluminis complectitur ea omnia, quae ad historiam atque antiquitates pertinent. Recte monet Cl. Editor, in nullo horum opusculorum offendere lectorem aridum illum ac ieiunum stylum, quo per saepe magna cum legentium satietate haec argumenta tractantur. Novissè Leibnitium, quaecumque versaret, lepore quodam non usitato condire, etiamsi nihil Veneris atque elegantiae recipere posse viderentur. Quam laudem nos non solum historicis, verum omnibus omnino Leibnitii scriptis tribuendam putaverimus. Scripta ipsa in hanc partem collata quod attinet, priori loco collocavit Cl. Dutens praefationes, quas praefixerat Auctor historicis a se editis, e. g. collectioni Scriptorum historiae Brunsvicensis inservientium; Accessionibus historicis,

Annalibus Boicae gentis, Vitae Alexandri VI. Papae, Chronico coenobii Goslarieusis etc. In omnibus his praefationibus tractatum est caput aliquod historiae, pertinentque eae ad rationem scriptorum quibus praefixae sunt accuratius intelligendam. Atque ita et reliquis opusculis, hac parte exhibitis, variae antiquitatis historiaeque quaestiones tractantur et illustrantur. Insunt e. g. aliquot dissertationulae, quibus de nationum origine, cum in universum, tum de Germanorum Gallorumque speciatim, agitur. Ornata est etiam haec pars opusculis quibusdam antea nondum vulgatis. Ex his praesertim commemorandae sunt eae, quas Auctor scripserat ad Antonium Muratorium, Annalium Italicorum conditorem, ab huius patruo, Abbate Muratorio, Cl. Editori communicatae. Fateamur vero ingenae, nos ex harum epistolularum lectione, et iucunditatis et utilitatis plurimum cepisse. Multa sane in iis historiae capita, eaque difficiliora, indagantur, feliciterque explicantur. Neque etiam veretur Leibniti, ad Muratorium veritatis amore ea scribere, quae viro Romanae ecclesiae addicto haud profusum iucunda esse poterant. Sic vituperat auctores ephemeridum Venetarum, qui scriptorem quemdam laudaverant, de Imperatorum iuribus detrahentem. Digna sunt Leibniti verba quae adscribantur: „Je me suis etonné avec quelle hardiesse on y parle contre les Droits de l'Empereur et de l'Empire, lorsqu'on donne un rapport du Livre de *patria vi testamentis* condendis p. testate, auctore Alexandro Polito à S. Sigismundo. On rapporte aussi sans aucune censure, et même avec une manière d'approbation, le sentiment étrange, mais faux et insupportable de cet auteur, que l'Empire d'Occident n'a point reçu d'autre avantage dans la personne de *Charlemagne* et de ses successeurs, que celui d'avoir la dignité de premier Prince Chrétien, sans avoir acquis aucun droit sur la ville de Rome, ou sur un autre pays, Etat, ou Royaume; et qu'en récompense de cette dignité et de cet unique avantage, il s'est chargé de l'obligation de défendre
„l'Egli-

»l'Eglise Romaine. Au lieu qu'on fait par les Auteurs du
 »tems, et par l'évidence des choses, que tous les droits qui
 »restoient encore à l'Empire d'Occident, furent consolidés
 »avec ceux de Charlemagne, Prince Germanique, Roi des
 »Francs et des Lombards; et que le Pape Leon III. l'ayant
 »reconnu pour Empereur, au nom, et avec tout le peu-
 »ple Romain, l'adora comme son maître *ad morem veterum*
 »*Imperatorum*, et qu'après cela l'Eglise de Rome fut tenue
 »pour la première Eglise Metropolitaine de son Empire.“

Tertia Vol. IV. pars exhibet Opuscula ad Iurispru-
 dentiam spectantia. Ornavit eam vere, longa doctaque
 praefatione, Ioannes Bapista Bon, Iurisconsultus Taurinen-
 sis. Qui posteaquam Leibnitii laudes persecutus est, et
 quid in singulis disciplinis ab eo praestitum fuerit demon-
 stravit, ad ipsa eius scripta, quae de Iurisprudencia agunt,
 progreditur. Et quum observasset Vir Consultissimus, Leibni-
 tio in iis, quae reliquit de Romana iurisprudencia, consilium
 fuisse hoc, ut eam a confusione in quam inciderat liberaret:
 operae pretium esse duxit, praecipuas causas in praefatione
 expendere, ob quas Romana Iurisprudencia in multis sim-
 plicem adeo fortunam habuerit, quare ratione ab ea defle-
 ctens, eo confusionis vario temporis lapsu coeperit labora-
 re. Quibus adiecit et alia quaedam, ad Leibnitii opera ma-
 iori cum fructu evolvenda, profutura. Nam cum praeci-
 pua eius scripta, quae ad Iurisprudenciam pertinent, recen-
 set, examinatque; tam Leibnitium vel contra adversarios
 docte defendit, vel in quibusdam modeste refutat. In scri-
 ptis ipsis nullum est, quod non antea iam fuerit editum. At
 gratissimum esse debet iurisprudenciae studiosis, omnia Leib-
 nitii opuscula ad iurisprudenciam pertinentia in unum cor-
 pus collecta esse. Insertae sunt e. g. duae dissertationes de
 actorum publicorum usu, Codici gentium praemissae. Quas,
 quis est, quin lubentissime cognoscat? Recte eas Cl. Bon in
 praefatione commendat. Neque silentio praeterendum
 Kk k 2 est,

est, huic parti insertam etiam esse Auctoris Methodum discendae docendaeque iurisprudentiae, quam magnus ille Wolfius denuo ediderat. Hunc librum Cl. Bon diligentissime excussit, fidelissimeque eius argumentum proposuit. Eadem illius diligentia fuit in recensendo libro Leibnitii, *de iure Suprematus ac Legationis Principum Germaniae*, itidem ad hanc partem relato. In quo quidem libro multa magno eruditionis apparatu discussa esse dicit; nonnulla tamen in eo occurrere putat, quae non ita facile probari possint, quaeque adeo notanda censet. Sed haec sufficiant de Iurisprudentia Leibnitii. Pergendum enim nunc est ad *opera philologica*, quo nomine Cl. Dutens Volumen V. inscripsit.

Recte vero in praefatione monet, ex hoc Volumine prae ceteris maxime apparere, quam felix, et quam scientiae cuilibet idoneum fuerit Auctoris ingenium. Hic Leibnitium simul agere Theologum, Logicum, Iurisconsultum, Physicum, Geometram, Naturalis historiae cultorem, Grammaticum, Criticum, Historicum. Thesaurum esse porro dicit hoc Volumen, quo subtilissimae de difficilioribus rebus meditationes, novae abditissimorum argumentorum investigationes, plurima sanioris Critices, laborumque diutissime constantissimeque exantlatorum specimina, collata sint. Et quum maxima Vol. huius pars litteris constet, ad amicos et plerosque Europae eruditos scriptis, licere ait Cl. Editor Leibnitium ipsum ibi reperire, cum eo quodammodo versari, eum ipsum audire sententias suas explicantem; ibidemque clarius, quam quibusvis operibus aliis, auctoris mores cognoscere, indolem, nativum leporem, ac animum praefertim, ad opus sedulum, atque a labore invictum. Lubentissime vero profitemur, epistolarum Leibnitii lectionem ad animi nostri voluptatem iucundissimam fuisse. In iis enim magnum illud Leibnitii pectus apertum nobis videbamus, eique omnino, qua vixit, aetati, egregiam lucem affusam conspicebamus. Nam in iis profecto inest ingenuum Leibnitii

tii iudicium de doctis, qui tum florebant viris, deque eorum scriptis et sententiis; insunt sapientissima consilia eruditae de variis rebus scripta; inest optima scriptorum illius interpretatio; insunt multa alia, et iucunda et utilia. Obiici quidem posset Cl. Editori, multa esse in hoc Volumine, quae philologicorum nomine insigniri nequeant. Ac ipse hoc vidit Cl. Editor. Sed recte respondet, argumentorum, de quibus saepe in una eademque epistola agitur varietatem, nullum alium omnino ordinem passam fuisse, neque etiam se voluisse excerpere ea, quae ad aliam scientiam pertinerent, quum ipsi vitae fuerint epistolae gratiores Lectoribus futurae, si tales omnino ederentur, quales ab Auctore suo prodierunt, iucundam insuper varietatem legentibus oblaturae. Scrip-
 ptorum vero hoc Volumine comprehensorum pleraque iam edita fuere, praeter paucas quasdam epistolas. Plurimum Cl. Editorem adiuvit hic epistolarum Leibnitii collectio a Christ. Kortholto quatuor tomis edita. Ex hac depromptae sunt etiam epistolae ad Fridericum Simeonem Loefflerum, Leibnitii cognatum, scriptae, in quibus cum varia, ut fit a Leibnitio, doctrinae capita indagantur, tum et quaedam Lipsiam nostram attingentia inveniuntur. Quam scite e. g. de nota illa Ittigii et Rechenbergii controversia iudicat Auctor? „Quaestio, ait, inter Ittigium et Rechenbergium, viros „doctos et claros, magno, ut intelligo, animorum motu „agitata, poterat tractari moderatius; et valde mihi placent „epistolae sane eruditae et prudenter scriptae, nescio cuius „Eusebii Pacotiani, qui in summa Ittigii sententiam probat, „adversarios tamen excusat. Equidem indubitatum est, quan- „docunque vera poenitentia animum cepit, remitti peccata. „Id quaeritur, an habeantur signa quaedam, ex quibus cer- „to iudicari possit, Deum indurato impenitenti non am- „plius poenitendi gratiam concessurum. Sed cum neque „ratione, neque scripturae sacrae auctoritate, quicquam tale „confici possit, frustra et male docetur, si modo docetur, etc.“
 Sunt tamen in his epistolis ad Loefflerum scriptis omnia quae-

dam, quae nollemus esse praetermissa. Cognovimus id ex quibusdam epistolarum illarum autographis, a quodam nepote Loesleri nobis communicatis. Sic in epist. 8. ommissum est aequum hoc de Spenero iudicium: „Mihi visus est Neumannus, vir alioqui doctus, culpae in Spenero, quod in eo maxime laudo, nempe quod de iis, quae nulla certa demonstratione constituere potuit, locus est haesitanter; nec quicquam a ratione alienius est, quam certa et incerta pari fiducia affirmare.“ In eadem epistola omissa sunt et haec: „Inter libros logicos et rhetoricos nullos poteras eligere rectius, quam logicam Iungii, et rhetoricam Placcii; Mathematica sunt altioris indagatis, et plus fortasse temporis postulant, quam tu illis dare poteris. Metaphysica tibi theologia magis necessaria erunt. Sed difficile erit invenire quae satisfaciant. Interim non inutiles fore puto auctores, qui eius usum ostenderunt in theologia, ut nuper fecit Rixnerus, libello in eam rem edito. Et certe magna Theologiae dogmaticae pars metaphysica est, nec aliter esse potest.“ In primis vero multa invenimus lectu dignissima in epistolis ad Io. Fabricium, Sebastian. Kortholtum, Io. Alb. Fabricium, Huetium, la Crozium scriptis. Ac si quis cognoscere cupiat, quantopere Auctor in historia ecclesiastica versatus fuerit, illum cogitata eius de historia haeresum Arnoldi, hoc volumine exhibita, legisse non poenitebit.

Supereft Vol. VI. quod duabus partibus absolvitur, quarum prior philologicorum continuationem, altera collectanea Etymologica continet. Ac prior pars eo diligentius cognoscenda est, quod plurimae insunt epistolae antea nunquam publici iuris factae. Haec vero sunt: 1) quadraginta epistolae ad Patrem des Bosses e Soc. Iesu, Cl. Editori a laudato iam Gobeto communicatae, qui eas in Bibliotheca collegii Iesuitarum Paris. invenit. 2) Octo ad Bouguetum, quas ipse le Cat misit. 3) Undeviginti ad Thomam Burnetum, equitem Scotum, quarum Cl. Editori copiam fecit Sharpus.

E qui

E quibus epistolis singulis si ea decerpere vellemus, quae lectu digna sint, totae eie nobis describendae forent. Placet tamen quaedam delibare, ut et ex iis egregium Leibnizii pectus, religio, acutissimum iudicium, et varia omnino doctrina conspiciatur. Sic ad Patrem des Bosses scribit: „Trivultianos Collectores, viros quidem eleganter doctos, „rogandos putem, ut inter recensendum malint indicare „quae eximia, aut profutura extent in libris, quam quae „vana aut spernenda. Humana mens in satyram et contemptum aliorum prona est. Huic lectorum vitio nolim „indulgeri“ — „Harduinus multum ubique spargit doctrinae, et paradoxo etiam suo prodest litteris, dum cogit „Criticos cogitare de demonstrandis artis suae fundamentis, „id est genuitate auctorum veterum, cui omnes secure innitebantur“ — „Elt (*Gerard. Cornel. van den Driesch*) in „elegantioribus litteris versatior, quam plerorumque hodie „captus fert, atque haec est meo iudicio basis verae eruditionis.“ — Ex epistolis ad Burnetum Gallice scriptis haec decerpere lubet: „C'est une affaire bien difficile, que „de réussir dans l'explication de la sainte Ecriture. Nous „n'avons qu'un seul livre dans l'ancienne langue Hebraïque; c'est à dire ce qu'il y a dans la Bible, et ses Auteurs „ont été fort éloignés de nous. Je suis persuadé, que lorsque nos Europeens posséderont mieux l'érudition d'Arabe, „ils découvriront bien des choses, qui serviront à éclaircir la „sainte Ecriture tout autrement qu'on ne croit.“ — „La „plus grande partie de cet ouvrage (*Theodicée*) avoit été „fait par lambeaux, quand je me trouvois chez la feue Reine de Prusse, où ces matières étoient souvent agitées, à „l'occasion du Dictionnaire et des autres ouvrages de M. „Bayle, qu'on y lisoit beaucoup. J'avois coutume dans les „discours de répondre aux objections de M. Bayle, et de „faire voir à la Reine, qu'elles n'étoient pas si fortes que certaines gens, peu favorables à la religion, le vouloient faire croire.“ — „L'Abbé de Polignac maintenant Cardinal,

„nal, a fait un poëme latin fort beau, en vers heroïques, „sur la Nature, à la façon de Lucrèce, mais sur des Princi- „pes opposés à ceux de cet Auteur, et par conséquent sur les „vrais principes de la Divinité“ — Quid inultis? Legendae sunt hae epistolae ipsae, uti omnino reliquae hac parte comprehensae, e quibus praecipue nominare attinet eas, quae cum a Leibnitio ad Io. Ludolfum, tum ab hoc ad illum scriptae, atque huc, cum eruditis Aug. Bened. Michaelis animadversionibus, relatae sunt.

Altera Voluminis sexti pars Collectanea etymologica complectitur, illustrationi linguarum, veteris Celticae, Germanicae, Gallicae, aliarumque, inservientia. Sed monet lectorem in huius partis praefatione Cl. Editor, ne titulo deceptus, omnia hic reperiri putet, quae reperiuntur in Collectaneis etymologicis anno 1717. cum Io. Eccardi praefatione impressis. Hic enim fasciculus, ad promovendum studium etymologicum collectus, multa variorum auctorum scripta hoc consilium spectantia comprehendit. Cl. autem Dutens, quicquid ab ill. Auctore profectum erat, ex isto fasciculo decerpit, et plurimos alios libros ibi desideratos adiecit. Primum huius partis opusculum de cultu linguae Germanicae inscriptum est. Quod quum nonnisi lingua Germanica editum fuisset, toti orbi litterato patefaciendum iudicans, in linguam Gallicam convertit Cl. Dutens, et in utraque lingua typis exprimendum curavit. Versio ipsa et accurate, et perspicuitate sua, non parum se nobis commendavit. Lectu autem dignissimum hoc opusculum putat Editor, quum Germani verum linguae suae perficiendae modum in eo reperturi, aliae vero gentes linguae Germanicae opes, eiusque prae ceteris linguis viventibus praestantiam perspecturi sint. Nec contemenda sunt reliqua huius partis scripta, quae cognoscendae vi obsoletarum Gallicae in primis Germanicaeque linguae vocum mirifice inserviunt.

In tanta igitur rerum in his Leibnitii operibus occurrentium varietate, nullus eruditorum ordo futurus est, cui non eorum lectio vehementer profutura sit. Hic theologi, hic iurisperiti, hic medici, hic philosophi, historici, philologi, plurima invenient, scientiam, cui se quisque consecravit, egregie illustratam. Iuvabunt etiam lectorem copiosi accuratiusque rerum indices, singulis Voluminibus subiecti. Errore tamen haud dubie typographico factum est, ut in indice primi Voluminis, sub titulo *imaginum cultus*, haec irrepererent: *Imaginum cultus a Concilio II. Nicaeno sub Carolo M. improbatum*. Debebat autem dici sic: a Concilio Nicaeno probatum, a Carolo M. improbatum.

Omnino vero maximas debet, et semper debet orbis eruditus Cl. Duteno gratias, cuius cura effectum est, ut Leibnitii opera tanta perfectione, tantoque splendore prodirent, quique se nullis molestiis, nullis difficultatibus, quae superandae erant quamplurimae, ab hoc opere perficiendo deterreri passus est. Laudes certe eius tandem manebunt, quamdiu Leibnitii manebit memoria, quam praeter imperitos adolescentes, et ridiculos, nemo sanus vellicat.

FRANC. IOS. DESBILLONS, SOC. IESU FABULAE Aesopiae, curis posterioribus omnes fere emendatae. Accesserunt plus quam CLXX. novae, observationes grammaticae, et figg.

Mannheimii, MDCCLXVIII. TOMI II. paginae omnino 548. in 8.

Si doctissimus harum Fabularum auctor ante hos ducentos annos vixisset, easque, detractis callide quibusdam paucis, sub Phaedri nomine tum edidisset, non dubitamus, quin respublica litteraria, certe magna eius pars, in errorem facillime inducta esset. Adeo ille per omnia Phaedro similem, ne dicamus parem, se exhibet, versu, numero,

periodo, elegantia, et ea, quam sive simplicitatem venustam, sive venustatem simplicem dixeris, neutrum mentiare. Ac profecto tanto gravior nobis Fabularum eius lectio non potuit non contingere, quanto rarior hoc librorum genus Romana veste apparet, nostris maxime temporibus, quibus paene dedecori habetur, si quis veteres imitari studeat, ut etiam a *servi pecoris* titulo ei metuendum videatur. Nobis quidem ingenue fatendum est, nos Fabularum istarum lectione et consideratione mirifice delectatos fuisse, et cum ad finem iam pervenissemus, paullisper indoluissè, quod non plures auctor adiunxerit. Quapropter eadem etiam cum voluptate nunc de iis sententiam nostram dicemus, idque non modo copiosius, verum etiam liberius, imò rigidius, quam alioqui solemus. Posterius quidem duabus de causis gravissimis facturi sumus: *Primum*, quia, cum universum opus modo laudaverimus, reprehensio nostra doctissimo auctori suspecta esse invidiae aut acerbitatis nullo modo potest; *deinde*, quia hi Fabularum libri, (si recte conicimus,) brevi habituri sunt auctoritatem classicam, ac Phaedrinae paene parem, ad quam se alii deinde conformare cupiant, quibus volupe fuerit, Fabulis latinis ludere. Ne igitur hi una cum virtutibus etiam vitia, quamvis levia, imitentur, optime cavere posse arbitramur censura quadam severa, non superficiali illa et adulatoria, quam hodie multi censores unice sectantur, et qua ne gaudeat quidem erecti scriptor animi et indolis. Omnino enim mediocribus tantum Scriptoribus et adolescentulis convenire videtur illa Criticorum facilitas, et laudibus permiscenda esse, ne a scribendi diligentia statim deterreantur, animumque abiciant. Sed in talibus viris, qualis est Desbillonius, non opus esse putamus ista mollitie, verum, indicata semel ac breviter univarsa operis praestantia, fere nihil aliud, nisi reprehendendum esse; bona enim ac dotes libri singulas non dubium est lectoribus sua sponte occursuras. — Sed indicabimus prius totum libri habitum et argumentum. Praefatio duobus capitibus absolvitur, quorum

quorum in priori cum de Fabulis in genere, tum de suis maxime; earumque consilio; altero de praecipuis fabularum scriptoribus, clarissimus auctor differit. Opus ipsum constat libris *quindecim*, in duo Tomos divisis, quibus continentur Fabulae plus quam *quingentae*, partim variorum, partim ipsius Desbillonii. Auctores, e quibus hausit, hi fore sunt: *Aesopus, Camerarius, Ioh. Pontana, Henr. Richerius, Laur. Abstemius, Gabr. Faernus, Benferadius, Eustachius Nobilis, (le Noble,) Gabr. Franc. le Jay*, et pauci alii. In quorum numero velleimus, etiam essent Britanni et Germani nostri, quorum in Fabulis multae sunt dignissimae latina veste, nec translato nimium difficiles, ut ipsi in quibusdam experiendo cognovimus. Sed forte utriusque gentis linguam auctor non calluit; quod si ita sit, hoc ei facile ab omnibus ignoscetur. Ceterum, in ipsis aliorum Fabulis tractandis versatus est sic, ut eas vel nude verteret, vel suo modo paullulum transformatas daret. Quod posterius an feliciter ubique effecerit, quia ipsos auctores ad manus iam non habemus, pro certo dicere non possumus, sed cum alias Apologorum leges tam bene servaverit, etiam hac in re bene de eo speramus. Quod autem ad eas Fabulas attinet, quarum ipse inventor est, sane negari nequit, si universe consideres, non adeo multum ingenii et acuminis in iis inesse, sed nunc ipsam earum inventionem, nunc modum tractandi, nunc *ἡμῶν*, (ut vocant) aliquantum claudicare. Sed *primum*, quis in tanta multitudine, (nam circiter *ducentae* sunt ipsius auctoris,) omnes pari pretio futuras speraverit? *Deinde* etiam non paucas reperimus valde bonas et iucundas, ad quas inveniendas, certum erat, non ingenium modo in universum, sed etiam venustatem quandam ingenii, non tam intelligibilem illam, quam sensibilem, in poeta requiri. Utriusque generis inferius exempla quaedam dabimus; nunc in enarrando pergemus.

Elocutio Fabularum, ut iam supra diximus, excellens est, et summis laudibus digna. Inter alia nobis valde placuit

enit hoc, quod non nimis abusus est licentia illa, quae in regione pari pro Iambis puris aut Spondeis crebrius reponit Tribraches aut Dactylos, quibus nihil hispidiorem versum reddit, nihil ingratus delicatis auribus accidit. Hoc ille vitium, si quis unquam alius, vitavit, eiusque versus alvei cuiusdam instar leniter defluunt, ut etiam ipsum Phaedrum interdum superasse nobis videatur. In primis in potestate habet numerum et periodum poeticam; quod qui nostris forte verbis nolit credere, (ac profecto haec res melius sentitur, quam verbis explicatur,) videat haec aliquot Fabularum principia, et ipse deinde iudicet:

Libro III. Fab. 30.

Apud olitorem quod ageret vitam nimis
 Laboriosam et interim tenuissimo
 Pastu soleret recreari, Asinus querens,
 Iovem rogavit, ut aliam sortem daret;
 Eiusque precibus exoratus Iupiter,
 Navare deinceps hanc figulo operam iubet etc.

Libro V. Fab. 36.

Fore ut iam nullis vesceretur carnibus,
 Sed herbas, aut, ad summum, pisces manderet,
 Laqueo prehensus olim, cuidam rustico
 Dixit, spondit, iureiurando Lupus
 Fidem obligavit, et sic evasit necem etc.

Libro VI. Fab. 10.

Depressa quantum ad inferos radicibus,
 Tantum propinquans Superis alto vertice,
 Annosa Quercus, dixit olim Arundini etc.

Quanta harum periodorum sit rotunditas, quam scite subiecta ad finem reiecta, ii facile intelligent, qui viam periodi Latinae probe intelligunt. — Textui Fabularum subiectae in singulis paginis sunt notae, partim physicae, partim grammaticae. Prius genus propter lectores eos erat necessaria.

cessarium, qui forte nomina animalium non facis intelligerent; tanto minus autem alterum probare possumus, immo plane supervacuum putamus. Primum enim sine causa libri molem auxit. Deinde, quibus quaesumus lectoribus grammaticas illas notulas, seu vindicias potius vocum et phrasium suarum, propinare voluit vir doctissimus? An latine doctis? at hi etiam sine istis notis sciunt quid latine dictum sit, nec ne. An latine rudibus? at istis ne haec quidem sufficient. Itaque nos, si talem librum edidissimus, eas plane omissemus. In fine adiecti sunt duo Indices alphabetici, alter sententiarum moralium, alter Fabularum et rerum.

Iam age paullo accuratius de Fabulis quibusdam discipiamus, et ex utroque genere nonnullas, speciminis causa adiectas, examinemus. Primum de alienis videbimus. Has auctor doctissimus ad unum omnes eleganter, venuste, interdum etiam ornate, (an etiam fideliter? hoc nihil ad rem,) expressit. Instar omnium apponemus Fabulam aliquam Richerii, quae est L. VI. Fab. 18.

Natura vernis pinxerat coloribus
Fetus repullulantes, formosissimi
Ridebat anni blanda tempestas, dies
Festivitati candidae simillimus
Abierat, et paraverat amicae locum
Tranquillitati. Solis aurei calor
Extulerat ab agris molliciter tepentibus
Subtilem odorum copiam, quam paullulum
Noctis serenae frigus addensaverat,
Et in parentis regna telluris sinens
Recidere florum floridarumque arborum
Diurnum odorem odore vincebat novo.

Philomela tales avida delicias capit,
Penitusque condit eruditae sensibus,
Sed efficaci mox scientiae obsequens

Inflat canorum guttur, et ad omnes modos
 Intendit, acrem nunc et arguta vibrat
 Animosa vocem more clangentis tubae,
 Nunc languida premit, frangit, obscurat sonos,
 Et deficere videtur, et medullitus
 Amore flagrans intus liquefcere.

Favonius, quem filia inter et rofas
 Dulci tenebat inertia vinctum sopor,
 Evigilat, hasque mirans tam volubiles
 Tam delicati flexiones gutturis,
 Ne cesset illa, metuit. Evigilat quoque
 Corvus, at inepto tardus ingenio, et sibi
 Quod somnus abrumpatur aegre etiam ferens:
 Quae te, mala, inquit, cuncta ubique dum silent,
 Libido cogit, tam moleste ut perstrepas?
 Tibi videris bella cantrix, et tuae
 Mihi cantilenae, moneo, valde displicent.
 Illisque iam nunc abstinere ni velis,
 Ex me feres grande aliquod infortunium.

Philomela, atroces verita minas, obmutuit,
 Multoque mane, cum vix dilucesceret,
 Periculofam praepotentis alitis
 Viciniam reliquit, et se contulit
 Celeriter in remotam solitudinem.
 Ibi sese doctis artibus operam dare
 Impune tandem posse credit, et, leves
 Per summa gramina Zephyrorum spiritus
 Cum dulce fremerent, sibilumque ramulis
 Mobilibus arbor musicum omnis redderet,
 Et Phoebus etiam candida purus face
 Innubilas per auras lucem spargeret,
 His illa paret incitamentis, canit,
 Simulque varias celebrat agrestis loci
 Amoenitates et voluptatem suam,

Sed

Sed in cavato proximae trunco arboris
 Somno sepultus, qui latebat, horridus
 Bubo excitatur; quamvis et lucem oderit,
 Paullum progressus voce ferali increpat,
 Et: Inficeros ni statim cantus, ait,
 Finieris, istam vocem importunissimam
 Ultor ego vitamque simul eripiam tibi.
 Hic denique suum misera avis studium abiicit,
 Timensque Corvos nocte, Bubones die,
 Silet, dolorue si urgeat, tantum gemit.

Fabula scripta est in homines quosdam feros,
 Musa quibus omnis suavior bilem movet.

Hac Fabula, nescimus, quid venustius aut excellentius
 fingi possit. Est enim non modo, ut ceterae, elegans, nu-
 merosa, copiosa, verum etiam ornatisima. Et quamquam
 non defuturos putamus acerbos Criticos, qui auctori notis-
 simum illud Fabularum scribendarum praeceptum: *A Fa-
 bulae simplicitate alienissimus est omnis orationis ornatus*, decies
 obmurmurent: tamen, (horum virorum bona cum venia di-
 ctum sit,) id ipsum, quod illi ad vitium trahunt, nos ad lau-
 dem poetae convertere, nulli dubitamus. Ac nos non su-
 mus ii, qui istud praeceptum negemus, aut ullo modo ne-
 gligendam existimemus. Minime vero: sed hoc loco iu-
 stam et idoneam, dicimus, causam poetam habuisse, mi-
 grandi istius alioqui verissimi praecepti, idque propterea,
 quod videbat, hanc Fabulam ad laudem artis suae pertine-
 re, eiusque universae quasi vindicias quasdam complecti.
 Quid igitur? Annon licebit artifice, artis suae praeconem
 paullo artificiosius et luxuriosius agere? Annon, mutato fi-
 ne, mutantur etiam viae ad eum finem ducentes? Iam in
 omnibus aliis Fabulis unus ac summus erat finis *docere et
 persuadere*; in hac, nisi unus, certe summus, *laudare*. Ita-
 que recte, nostro quidem iudicio, poeta ingenio hic indul-
 sit, quod in omnibus aliis locis perperam fecisset. Cete-
 rum,

rum, reliquae Fabulae alienae huius voluminis, paene omnes pari elegantia ac venustate translatae sunt, nisi quod (ut par est) minus ornatus habent. — Nunc de ipsius auctoris Fabulis agemus.

Cum inter varia carminis genera, *Fabula*, si ambitum eius spectes, proxima videatur esse Epigrammati, cuius tres vulgo virtutes faciunt, *brevitatem*, *iucunditatem*, et *acumen*: intelligitur, virtutes eius, nisi eadem sint cum virtutibus Epigrammatis, certe non multum ab iis differre. Itaque tum recte habere se Fabulam dicemus, si et *brevis sit*, et *acumen habeat*, et *sententiam moralem*, quae dicitur *in esse, vere in se contineat*, neque adeo vel latior hac sententia sit, vel angustior. Has virtutes deprehendimus in his maxime, quas, quia pulcherrimas esse iudicabamus, speciminis causa integras adiecit:

L. V. Fab. 34.

Iupiter, Modestia, et Virtutes ceteras.

Varias virtutes cum creasset Iupiter,
 Quae dulces homini et utiles comites forent,
 Produxit ultimam omnium Modestiam.
 At ipsi nulla in homine iam sedes erat
 Idonea, quam non de fororibus suis
 Aliqua occupasset. Quod animadvertens: Tibi
 Nullam quidem, inquit Iupiter, sedem licet
 Habere propriam, his ceteris qualem dedi.
 Sed istae quoties emicare coeperint,
 Te simul adesse iubeo, ne quid audeant,
 Quod non tua ipsa more blando temperes.

Hinc usque laude vera virtutes carent,
 Quibus Modestia pretium non addidit.

Hanc Fabulam, fallimur, an ipsae Charites poetae distarunt? Adeo quidem brevis est, ut nihil, salva veritate, nec abiici, nec affingi possit; adeo acuta, ut omnes partes narra-

narrationis, suis in interpretatione partibus respondeant, (unde et summa in legendo iucunditas existit;) adeo denique apta, ut sententia moralis tota in ea contineatur. Easdem virtutes deprehendimus quoque in his: L. VII. Fab. 14.

Afellus.

Librum elegantem quidam Afellus repperit,
Simul improbavit, atque discerpfit iocans.
Audaciorum stupiditas Criticum facit.

Lib. VIII. Fab. 19.

Sidera et Sol.

De principatu contendebant fidera;
Sol oritur; omnis cessat hic contentio.
Procerum superbia deficit, cum Rex adest.

Egregiae sunt etiam aliae quaedam, quas propter chartae angustias hic apponere non possumus: v. c. L. IV. Fab. 8. de *Milvio, Corvo, et Aquila*: Fab. 16. de *Lupo filium erudiente* etc. quae nobis valde placuerunt.

Interdum auctor cum aliis, seu secum potius ipse certat, cum vel brevem alius auctoris Fabulam latius diducit, vel longiorem contrahit, idque (ut fit) non eodem ubique successu. Nos quidem plerumque breviorum, (sive ea Desbillonii, sive alius auctoris esset,) longiori praeferendam esse vidimus. Exempla aliquot rem probabunt. Libri IX. Fab. 23. ducta illa ex Aelopo, Fontana, Benferadio, et aliis, haec est:

Gallus et Vultur.

Imperium late gentem in gallinaceam
Sibi afferuerat victo Gallus aemulo.
Hinc se superbus tollit ad culmen domus,
Suam ipse cantu celebret ut victoriam.
At Vultur audit, et advolans illum rapit.
Impune victor nullus insolens fuit.

Min m

Quid

Quid hac Fabula brevius, suavius, rotundius? Eam vero auctor forte non satis ornatam ratus, ita diduxit, Libro IX. Fab. 24.

Idem Argumentum.

Pacificè agebant Galli duo: supervenit
Gallina, bellumque simul. O amor, Ilium
Tu perdidisti! Praelium fatis diu
Inter feroces aemulos dubium fuit;
Addebat animos nempe spectatrix frequens,
Quam fama, pugnae nuncia, huc acciverat.
Sed unus altero inferior tandem, et male
Mulcatus, hinc se proripit celeri fuga;
Et, abscondat ubi dedecus, latebram petit,
Helenamque non unam, ah! suo partam gemens
Relinquit hosti, praemium victoriae.
Interea recti scandit ad fastigium
Victor superbus et epinicion sibi
Canit ipse, acutis ingeminans clamoribus
At Vultur, auras ambiens dum circumat,
Quaeritque praedam, audivit, et simul ingruens,
Stulte triumphantem occupat, lacerat, vorat.

Non negamus, etiam huic fabulae suas dotes esse, suas Veneres; sed tamen, quis eam priori illi anteferre sustineat? Videamus de singulis. Sententia moralis e fabula nascitura, adeoque *finis* fabulae, erat haec: *Nullus victor insolens impune agit.* Ut huic sententiae conveniens narratio fingeretur, quae nec plura, nec pauciora contineret, opus erat commemorare: 1) *victorem aliquem*, 2) *eius insolentiam*, 3) *poenas*

3) *poenas huius insolentiae*. Id etiam auctores a Desbillonio laudati recte fecerunt. Quid iam noster, ut hos superet? Velut ille apud Horatium.

— reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Et gemino bellum Troianum orditur ab ovo.

Antequam enim Gallum *victorem* denunciaret, bellum, e quo victor redibat, describendum, et late quidem, existimat:

— — — praelium fatis diu
Inter feroces aemulos dubium fuit etc.

An haec belli descriptio necessaria erat ad eliciendum *ἐπιμύθηον*? Neutiquam. Sed ulterius ascendit, et *causam istius belli* commemorat:

— — — — — supervenit
Gallina, bellumque simul. O amor, Ilium
Tu perdidisti!

Quam bella foret haec sententia, nisi alieno loco poneretur. Deinde, an necesse erat, lectorem causam belli ante cognoscere, quam bellum ipsum? Multo minus. Sed nondum factis. Etiam *pacem*, quae bellum istud praecesserat, attingit.

Pacificae agebant Galli duo:

Quasi vero non per se intelligatur, si bellum exardescat, antea pacem fuisse! — Non diximus haec, ut hanc fabulam in se nullius pretii esse, sed tantum ut eam breviori illi postponendam probaremus; in quo etiam, ut speramus, omnes peritos consentientes habituri sumus. Simile exemplum reperimus in Libri II. Fab. 10. et 11. de *Rufico et Morte*, hoc tantum discrimine, quod ibi, inverso ordine, brevior ac melior fabula Desbillonii, longior contra ac deterior aliorum est. Eas pariter integras appositas inter se comparassemus, nisi chartae parcendum foret. Omnino periculosum est, cum aliis in aliquo artis opere contendere, maxime tum,

cum alterum opus, quod aemulere, statim adiungitur, ut lector utrumque e vestigio inter se comparare possit. Itaque cum etiam apud veteres poetas nullum exemplum extet, quo unum idemque argumentum bis eodem loco tractaverint, nos auctorem melius arbitramur facturum fuisse, si alterutram semper omisisset.

Unam omnino in toto opere fabulam reperimus, quam prorsus nollemus viro doctissimo excidisse, adeo indigna ingenio eius, ne dicamus infalsa est, Libri XIV. *nonam et vicepsimam*. Quae quia paullo longior est, quam pro huius loci angustiis, (fuit enim poeta solito hic loquacior,) in gratiam lectorum eius argumentum breviter enarrabimus, ut ipsi iudicare possint. — „*Cimex, Pulex, et Culex*, in unum aliquando locum conveniunt, ubi sua quisque facinora praedicat; Cimex vero sibi potissimum palmam deberi ait, quod tam insigniter foeteat, et hostes suos ea re procul a se pellat. Ut eius rei fidem faciat, iubet ceteros secum ire in conclave *Felicitatis*, mulieris optima et sanctissima, eamque laceffere. Dictum, factum, conferunt se una in cubile, et foeminam invadunt. Culex primum dubitanter agere, Cimex eum instigare, tandem omnes simul, collatis viribus, denuo impetum facere. Felicitas e somno expergitur, dextra manu Pulicem elidit; sinistra, alapam sibi ipsa infligens, Culicem necat; Cimicem vero digito amotum, per famulas tolli, et vivum comburi iubet, adiecta gravi ad Cimicem admonitione, se quidem satis misericordem et piam, at infirmam esse nolle. — Huic narrationi auctor adiecit hanc sententiam: *Haec vera virtus, quae severa est in loco.* —

Quis unquam mortalium in hanc cogitationem venisset, ut ex ista narratiuncula hanc sententiam eliceret; vel, ut verius dicamus, quis unquam poeta non huic tam gravi sententiae graviorem fabulam excogitasset? Sed si tamen
adeo

adeo cupiebat auctor in re feria ludere, et Cimices cum sociis agentes et loquentes inducere, quid illa rerum superfluarum, nec ad caput narrationis quidquam pertinentium congeries? Cur ex omnibus mulieribus, quas ista animalcula mordere potuissent, non quamcunque aliam delegit, sed piam et sanctam? Si vero talem, cur non alios, ac digniores hostes, in eam excitat, quam contentissima haec animalia, in quibus severitatem suam demonstraret? Si denique et haec; cur Cimex de mulieris *charitate in se, ut hostem*, tanquam Theologus aliquis, loquitur? Si de *venia* loqueretur, ferri quodammodo posset, sed *charitas* hoc loco plane intolerabilis est. Quid deinde infelix illa et immerita alapa, quam sibi Felicitas, enecando Culice, infligit? Ea profecto sine ulla causa impingitur. An porro virtus est, Pulicem necare, qui momorderit, aut Cimicem ancillis comburendum tradere? Non credimus. Si sententiam moralem addidisset hanc: *Impune stulta laedit raro audacia*, tolerabile id fuisset, certe fabulae ipsi convenientius. Denique, (quod caput rei est,) cum summus poetae finis sit delectatio, quidquid hanc vel in optimo alioqui carmine, turbat vel tollit, id totum carmen quasi evertit, certe eius effectum impedit. Iam quid aliud laude illa sui foetoris Cimex lectoribus, nisi nauseam et fastidium, creat, quibus semel ingruentibus, omnis delectatio e reliquo carmine capienda prorsus evanescit. — Hanc fabulam ideo accuratius examinavimus, ut appareret, bonum etiam Homerum subinde dormire. Ceterum, his dicendis nihil detractum volumus caeterarum elegantiae ac venustati, quippe qui neque hanc propter verba, sed propter rem et argumentum reprehendimus.

Nihil excellentius et suavius legimus viri Cl. Prologis, quos utinam singulos singulis libris praemittere voluisset. In his enim, cum solus sibi relictus sit, totus apparet ingenii eius naturalis quidam nitor, et Genius plane Phaedrinus. Nunc, cum decem modo libris praefatus sit, vehementer

eum rogamus, ut, si quando haec editio fabularum repetenda fuerit, (quod brevi futurum confidimus,) reliquis quinque pariter Prologos addere ne gravetur. Videtur omnino vir doctissimus ad lambos natus esse; quod dum fateamur, facile speramus fore, ut censuram nostram, etiam ubi forte ipsi displicuerit, tamen aequo animo suscipiat, et propter causam supra a nobis dictam, quot ipsi naevos ostendimus, tot in se laudes putet. Hoc enim ei pro certo confirmamus, si ipse esset scriptor aliquis de trivio, nos ista vitia vel excusatorios utcumque, vel certe alto silentio obliteraturos fuisse.

**CATALOGUS CODICUM MSS. BIBLIOTHECAE
Mediceae Laurentianae, varia continens opera Graecorum Patrum. ANG. MAR. BANDINIUS, I. U. D.
eiusdem Bibl. Praefectus, recensuit, illustravit,
edidit,**

Florentiae, 1764. fol.

Bibliotheca Medicea quantis instructa sit Librorum MSS. divitiis, eorum praecipue, quae ad graecas litteras et latinas pertinet, non facile a quoquam ignoratur, qui vel mediocriter in hoc genere litterarum versatus sit. Igitur quid mirum, si a longo inde tempore votis doctorum virorum expetitur, ut esset, qui tanti thesauri inutiliter reconditi recognitionem susciperet, et quae vel illustrandis Auctorum tam sacrorum, quam profanorum, locis obscurioribus idonea, vel alio quocumque modo rei litterariae proficua forent, secum communicaret. Post multa vota irrita, tandem Ao. MDCCXLII. factum est, ut iussu Francisci I. Rom. Augusti, pars Bibliothecae ea, quae contineret Libros Orientales, recenseretur Auctore Franc. Rezzonio, proloque subiceretur. Qui labor laudabilis postea tamen dissi-

cult-

cultatibus quibusdam impeditus, pluribus annis haesit, donec ad Bibliothecae praefecturam accederet Bandinius V. Cl. cuius studio debemus hanc coepta illius laboris continuationem. Rezzonius enim cum opus inchoasset ab recensente Librorum MSS. Orientalium, Noster illud persequitur hoc Volumine recensendis Codicibus graecis ad doctrinam theologiam spectantibus, alio volumine et reliquos, uti pollicetur, adiecturus.

In praefatione Libri Auctor exponit de Bibliothecae Medic. fatis, quorum summa haec est. Dispersa per occasionem expulsi Ducis Petri, Bibliotheca a Mediceis, quantum fieri poterat, rursus collecta fuit, atque a Purpurato eiusdem gentis Ioanne empta. Qui postquam Pontifex sub Leonis X. nomine factus esset, Romam eam in domum suam deportandam curavit, viro aliquo docto, qui curam Librorum gereret, ei praefecto. Extat epistola ad Leonem X. Gensini, in qua se *Bibliothecae Sanctitatis Tuae Custodem* ipse appellat; unde apparet, curam Bibliothecae, quoad esset Romae, neglectam nullo modo fuisse. Mortuo Leone, librorum iste thesaurus Iulio Purpurato ex Medicea gente cessit, qui et ipse Pontifex postea factus, insigniter auctam Bibliothecam referri Florentiam iussit. Praeter hanc Bibliothecae historiam Auctor quoque commemorat, qui viri docti, et quo quisque tempore, ex Bibliotheca quidquam publicarint, qui Manu scriptis eius Codicibus ad emendationem Auctorum antiquorum usi fuerint, quive super ipsa Bibliothecae ratione commentati. Tantum de praefatione. Iam quae sit ratio Catalogi ipsius in universum videbimus, de rebus singulis postea dicturi. Describit Auctor primum Codd. ipsos, eorum aetatem, scripturas genus, auctoritatem; deinde, quae quocunque volumine contineantur, diligenter recenset, intertextis non raro animadversionibus suis, quae vel ad rem litterariam pertinent, vel alia ratione utiles esse legentibus possunt. Quibusdam in locis reperies quoque ad-

notatas lectiones varias, quae tamen non sunt adeo frequentes, ut frequentiores non optaverimus, praecipue in Libris scriptis N. T. ubi, si discefferis a loco 1 Io. V, 7. quem in Codd. suis deesse scribit, nihil facile adnotatum deprehendes, quod Criticorum in illustrando sacro textu operam adiuvare possit. Quam maluisse, Virum Cl. quod nimiae diligentiae interdum ad recensionem scriptorum singulorum alicuius graeci Patris adhibuit, id adhibuisse potius ad colligendas lectiones textus sacri varias, si forsan earum subsidio obscurioribus quibusdam locis luminis aliquid adfunderetur. Ita maiorem certe, nisi diligentiae, tamen utilitatis laudem adepturus, ut videtur, erat. Praeterea e Codicibus quibusdam Catalogo suo passim inseruit particulas antea nondum impressas, id quod et alii, nominatim Montefalconius, in describenda Bibliotheca Coisliniana, fecerunt; quarum aliis accessit et versio latina, sed paucioribus, aliis graece solum editis; quod nec improbabat, qui graeca graece doctis scripta intelligat. Paulo difficiliore forsan fuerint lectores, si quid recte iudicamus, in probando ordine, quo Catalogum Auctor exaravit; est autem ordo loci librorum, quem in libris describendis secutus est, isque, quantum iudicare licet e Catalogo, est mire perplexus, immo nullus. Nam neque quos vel natura, vel argumentum coniungit, libros, neque qui ab eodem scripti sunt Auctore, in Bibliothecae scriniis coniunctos, sed omnia mixta omnibus deprehendimus; unde factum est, ut, quo commodior haec libri ratio esset scriptori, hoc molestior eadem fieret legentibus, quibus aut labor assiduus, aut fortuna necesse est obiiciat locum, quem in usum suum convertere velint. Poterat sane occurri huic incommodo adiiciendis operi indicibus, quibus ordine aliquo, sive ab Auctorum nominibus desumpto, sive ab argumenti similitudine, commemorarentur libri ita, ut uno quasi coniectu oculorum cognosci posset, quid quovis Catalogi loco quaerendum sit; sed nec indicis quidquam est. Igitur, quum ab Auctore ipso nihil sit subsidii, lectoribus vero nostris aliquo modo

modo satisfaciendum, deligemus ipsi ordinem dicendi, quem naturae convenientissimum iudicamus. Dicemus autem, 1) de Codd. biblicis, ad quos et referimus Commentarios in Codicem S. ita quidem scriptos, ut textus simul sit exhibitus. 2) De Codd. Patrum. 3) De iis, qui ad Ius graecum, Canonicum, et Martyrologia pertinent; de quorum unoquoque genere qui nobis praecipua mentione digni videntur, indicabimus; namque omnes et singulos indicare propter multitudinem non possumus, nec si possemus, vellemus.

Codd. biblicis eo sensu, quo paullo ante diximus, adnotari meretur Catena in Prophetas vulgo maiores dictos; quae ad Sec. XI. refertur, et apud Auctorem diligenter descripta reperitur p. 19. Namque, praeter praefationes et argumenta librorum, textui cuiusque Prophetae praemissa, enarravit quoque nomina commentatorum, qui fuerunt maximam partem doctores Ecclesiae gr. doctrina et fama insignes. Textum ipsum curiose contulit Auctor cum pluribus exemplaribus impressis, quibuscum eum ita conspirare ait, ut sibi nihil fere discriminis animadversum sit; unde colligitur, Codici Romano textum maxime convenire. Exempla et specimina scripturae, qua Codex exargutus est, exhibentur Tab. I. Optat Auctor, ab aliquo viro docto Codicem edi, quoniam Holstenius, alique Criticorum non ultimi, praeclearissime de eo sentiant, adfirmantque prae multis aliis dignum, qui usibus doctorum virorum accommodetur. In Fabricii Catalogo eius mentionem fieri non meminimus. Memorabilis pariter est Codex, Catenam continens in complures Psalmos, non antiquissimam quidam, (est enim ex Sec. XIV.) sed excerptis insignem, quae in Catenis paullo rariora sunt: qualia sunt ex Origene, Hippolyto, Theodoro, et aliis, quae neque in Catena Corderiana, neque in reliquis exemplarihus impressis reperiuntur. Ceterum Psalteriorum haud exiguum numerum habet Bibliotheca, nudorum partim, partim Commentariis, vel aliis carminibus biblicis


N u n

ut


ut Moſis, Davidis etc. aduكتورum; quae omnia tamen non adeo magni momenti ſunt. De uno illorum admodum mendose ſcripto Cl. Bandinius tradit, ſcripturam graecam multum ad hebraicam accedere: ſed cum eius rei ſpecimina addere non placuit, quod factum valde cuperemus, nec iudicandi nobis praebuit materiam. Praeter tot Pſalmorum Codd. graecos mentione dignus videtur Liber Iobi ſcriptus, qui commemoratur p. 385. cuius ſcriptura ſere eadem eſt cum ſcriptura Codicis Anglicani, ex quo Catenam in Iobum edidit Iunius. Verſu omnis textus ſcriptus eſt. His in Libros V. T. Catenis adiungamus alias quasdam in N. T. quae Evangelia vulgo dicuntur. Solito brevior eſt Auctor in iis deſcribendis, et verſatur eius diligentia maxime circa Librorum externa, raro admixtis brevibus animadverſionibus in textum ipſum. Antiquiſſimi duo Evangeliorum Codicis, quorum ſcripturae exempla exhibentur Tab. 3. referuntur ad Sec. IX. Litteris ſcripti ſunt uncialibus, additis tamen Accentibus et Spiritibus. Alium horum Codd. Auctor Seculi X. eſſe adfirmat, in quo, ait, locum de Adultera apud Ioan- inde a v. 52. Cap. VII. ad v. 12. Cap. VIII. totum deeſſe, neque quemquam Commentatorum, quorum viginti amplius Catenae conſiciendae operam navarint, mentionem eius facere; quod non adeo mirum videtur, cum totius loci in textu, quem explicarent, nullum eſſet veſtigium. Ad haec obſervat, locum, ſi quo in Codice reperiatur, ſemper ſere vel margini adſcriptum reperi, vel alieno textu coniunctum. Digna omnino eſt haec Auctoris obſervatio, quae ipſius verbis legatur. Pag. 150. deſcribitur Codex N. T. qui, ſi excipias Apocalypſin et Evangelii Ioannis aliquam particulam, reliquos N. T. libros continet omnes. In Evangeliaſis maximam partem reperiuntur diſtinctiones in Capitula, ſive Eusebii Canones; in Codicibus vero Epistoliarum Apoſtolicarum praemiſſa diverſorum PP. argumenta. Pag. 158. commemoratur Catena Seculi XI. in qua ſunt Evangelia cum interpretationibus Anonymi, prout Nolter iudicat, minime

contemnendis. Porro adducuntur et Evangelia plura ex Sec. XII. et XIII. de quibus tamen, cum antiquitate non commendentur, non est quod dicamus. In universum ista Codicum N. T. collectio a multitudine videtur commendabilior, quam ab utilitate et praestantia. Quare nec plures hoc loco adducere lubet, sed quaedam de reliquis Codd. addere, quorum recensio ab Auctore hoc priori Catalogi volumine facta est, quique vel Patrum graecorum continent scripta, vel ad Ius Canon. pertinent et Martyrologia. Et ne plane neglexisse ordinem Auctoris videamur, tenendum est, hos, de quibus diximus, et reliquos Codd. biblicos omnes, contineri serenis Bibliothecae V. — — X. Quatuor primis enim non collocati sunt nisi Libri sermonis atque doctrinae Orientalis, quorum recensio, ut supra adnotavimus, iam olim dedit Cl. Rezzonius.

His praemonitis, dicamus nunc de Codicibus Patrum Graecorum. Eorum Codices praecipui, velut Basilii M. Gregorii Nazianz. Eusebii, Cyrilli Alexandr. Chrysostomi, Gregorii Nysseni, reperiuntur in serenis VII. VIII. et IX. Sed valeant iam serenia, videamus de libris. Ediderunt quondam Tollius et Muratorius varia de Gregorii Nazianz. Poematibus, ex nitidissimo Bibliothecae Medic. Codice, qui ab Auctore diligenter describitur. Omnia enim carmina non solum recenset, sed in cuiusque recensione exquirat quoque, utrum typis exscriptum, et quo loco, quo tempore id factum sit. Est in hoc Volumine magna pars carminis, in Cyprianum et Iulianum, ab Augusta Eudocia compositi, cuius argumentum exhibuit Phocas in Bibliotheca. Huius igitur tum epitomen, ex qua cognoscitur, quantum desit in carmine, quale nunc est in isto Cod. Gregorii, tum fragmentum ipsum, cum versione utrumque latina, Cl. Bandinius Catalogo inseruit. Alius eorundem carminum Codex recensetur p. 257. eadem, qua prior, ratione. Porro describitur et Codex Orationum eiusdem Gregorii, quarum argumenta, sicut ea



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM

LEIPZIG 1768

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG. IX,88.

reperiuntur in fronte cuiusque Orationis, Auctor suppedetavit, una cum Versione latina. In Cod. aliquo, quo continentur diversorum Patrum scripta, est et oratio *de poenitentia Ninivitarum*, quae tribuitur Chrysofomo. Cl. Bandinius licet eam diserte non dicat Chrysofomi esse, tamen ita honorifice de ea statuit, ut videatur tacite ad sententiam eorum accedere qui Chrysofomum pro eius auctore venditant, certe Chrysofomo auctore eam, ait, non indignam videri; quapropter, et ut lectores ipsi iudicare queant, totam eam typis exprimendam, et Catalogo inferendam curavit. Et negandum quidem non est, multa in oratione ista bene et eleganter dici; sed nec desunt partim structurae verborum ab oratione Chrysofomi alienae, partim tropi coacti et frigidi, qui ingenio tanti Oratoris minime conveniunt. Ex quo genere v. c. est locus, ubi orationis auctor, *scilicet*, ait, *cymbam suam in poenitentiae Niniviticæ mare deducturum*; quam allegoriam frigidissimam vix quisquam sustineat tribuere Chrysofomo, orationis allegoricae tanto artificio. Haec, et eiusmodi plura, quae facile reperiet, qui orationem perlegerit, iudicio Auctoris nostri non videntur admodum favere. Ex Codice Ioannis Damasceni, in quo libellus eius inest *de Fide orthodoxa*, intelligitur, quod Lequienus iam observavit in traditionibus suis de Cod. MS. Florentino, auctorem opus suum distribuisse non in Libros, sed in Capita solum. Inseruit Auctor Cl. Catalogo Caput huius Libri XXX. totum, quod bona parte longius hic quam in Codicibus impressis reperitur. Eiusdem Damasceni Codicem, qui continet *Parallela sacra*, describit p. 367. eumque confert cum Vaticano, et eo, quo usus fuit Purpuratus de Rochefoucault. Quae collatio utilis esse potissimum potest ad emendandas traditiones Lequieni, quas paullo ante laudavimus. Codicis, quo continentur quaecumque contra opiniones Palamae, Barlaam, et Acindyni, decreta et scripta sunt a Synodi Patribus, imprimis ab Ioanne Cantacuzeno: descriptio reperitur pag. 342. Mentionem eius valde honorificam fecerunt iam Holstenius et

et Montefalconius; sed Noster, ut descriptionem suam redderet aliquo pacto utiliore, inseruit Codicis Prooemium, in quo exponitur historice de lite Patrum illorum, quomodo orta ea sit, quomodo gesta et composita. Quibus traditionibus si fides habenda est, intelligi vix potest, qua ratione ductus Petrarcha, cuius Barlaam praeceptor fuerat, tantopere eum suspexerit. Namque si res iudicatur ex prooemio isto, bonus ille Barlaam tanta existimatione dignus nullo modo fuit. In animadversione quadam exposuit Bandinius V. Cl. de vita et fati Graeci illius docti, qui, quoad in Italia degeret, litteris restaurandis bonam operam navavit. Nitidissimus Sec. XI. Codex, descriptus ab Auctore p. 486. continet Theodoreti quaedam scripta, quorum praecipuum *de Curatione Affectionum graecarum*. Qui cum multis locis diversus sit ab exemplaribus impressis, non sine utilitate forsitan adhiberi possit novam illius Patris editionem adornaturo, si varias lectiones colligere et conferre diligenter velit, id quod et operi Auctoris, si adicere eas placuisset, magno ornamento futurum erat. Exhibuerunt viri quidam docti, nominatim Fabricius in Bibl. gr. argumenta Capitum Codicis nondum impressi, quo continetur Nicetae *Theaurus fidei orthodoxae*. Eiusdem libri Codicem descriptum reperies ab Auctore pag. 430. Et quoniam argumenta Libri IV. huius operis in Codice Medic. valde discrepare videret ab iis, quae edidit Fabricius, placuit ea singula inferere cum indice nominatorum in Cod. Auctorum. Cosmas bis edidit *Topographiam suam Christ.* et quum altera editio priori multis auctior prodiret, factum est, ut Codices pluribus in locis discreparent. Huius operis Codex, qui refertur ad Sec. X. est in Bibliotheca Med. Factus est, ut perhibet Auctor, ad editionem alteram, et Montefalconius, quum hoc Cosmae opus ederet, interveniente Cel. Salvinio, eo usus fuit. His Codd. Patrum addi meretur Collectio variorum scriptorum Philonis, in quibus Auctor multas, ait,prehendisse se lectiones diversas ab iis, quas videret in exemplo impresso,

quod ad manus esset; editionem Philonis quidem a Cl. Mangeyo adornatam se non vidisse, sed ei lectiones huius Codicis suppeditatas a Cocchio esse, variis de causis conicere. In quo nec falsus est.

Haec iam satis dicta sint de Codicibus PP. Adiciemus quaedam de iis, quae ad Ius Canonicum pertinent. Eorum Codd. primus, quem et Ant. Augustinus maximi fecit, describitur pag. 1. Continet centum amplius Canones, in quibus singulis recensendis Auctor ita veretur, ut, quinam eorum typis iam antea fuerint exscripti, quibusque in collectionibus reperiuntur; deinde quibus in locis discrepent ab exemplaribus impressis, ostendat. Inscriptio totius operis haec est: *Κάνονες διαφόροι cum expositione Zonarae, Balsamonis, et Anonymi*; quanquam et sint in ista Collectione quae ad Ius Canonicum proprie non pertinent. Alia Collectio commemoratur pag. 70. cuius Auctor accuratam dedit recensionem. Nobis ex ea sufficiat adnotasse Decretum Synodale *de bonis monasticis*, quod apud Leunclavium in Iure Gr. Rom. inter eius generis decreta non reperitur. Ceterum et ad hunc Cod. observatum curiose est ab Auctore, quibus in locis singulae partes ab exemplis impressis, si qua sint, discrepent, quod in reliquis quoque Collectionibus fere omnibus factum deprehendes; e quibus exempli causa quaedam adferemus. Ad Collectionem pag. 395. observatur, Catalogum Synodorum, Photii operi *Nomocanon* dicto praefixum, in exemplo Mediceo esse multo ampliorem eo, quem inseruit Bibl. Iur. Can. Iustellus. Hoc enim auctior ille est triginta amplius Numeris. Porro Zenonis Imp. *de novis Aedificiis Constitutio*, quae primum in Iustiniani Novellis edita reperitur, in Codice Medic. scripto multis locis discrepat ab illa impressa. Huius generis animadvertiones et reliquis Collectionibus ab Auctore recensitis adiectae sunt, ad supplendum Fabricii opus valde utiles. Pag. 320. est formula Athinganorum, alias, ut quidam volunt, Pauli.

Paulicianorum, qua illi in recipiendo baptismo usi fuerunt, ut abiurarent errores suos. Hanc formulam adire debet, qui istorum hominum dogmata, mores, ritus cognoscere adcurate velit.

Iam adiciamus pauca de aliis, quae nobis in opere Cl. Bandinii memoratu digna visa sunt, ad tria genera librorum, de quibus haecenus disputavimus, proprie non pertinentibus. Pag. 166. inserta reperitur Iustiniani Epistola ad aliquos, qui in litteris ad istum Imperatorem datis accusati Nestorianismi, Ibae causam dixerant. Fuisse eos Clericos Aegyptios, vel totam aliquam eius regionis Ecclesiam, variis ex causis coniecitur, certo dici non potest, quia manca est ab initio Epistola. Demonstrat Iustinianus ex Ibae Epistola ipsa, cum Nestorianis eum sensisse; cuius Epistolae argumentum nisi iam notum ex Actis Concilii Chalced. esset, ex his Imperatoris litteris satis posset intelligi. Iban, scribit Iustinianus, Epistolam a se scriptam defendi non posse, ipsum fateri eo, quod pro sua eam agnoscere noluisse. Porro in hac Iustiniani Epistola reperiuntur et fragmenta diversorum Patrum, nominatim Theodori Mops vesteni, Procli Patriarchae, Eunonii, cuius posterioris *διαλογία pro Ιβα* *epistola*, quae aliquoties hic commemoratur, nos non meminimus alibi excitari. Quae ex Theodori scriptis adducuntur loca praecipua, sunt ex Opere eius contra Apollinarium, ex Comment. in Psalmos, et ex Libro de Incarnatione. Horum aliquo in loco Theodorus dicitur Paulum nominat Auctorem Epistolae ad Hebraeos. Patriarchae Procli locus, qui commemoratur, est ex Oratione eius in *θεοτόκον*. Anathasii Simaetae Oratio, quae paullo inferius occurrit tota descripta, nihil fere habet, quod tali cura dignum videatur; quemadmodum nec Nicephori Callisti Panegyricus in Mariam Magdalenam, qui pariter ab Auctore insertus est, multis se lectorum commendabit, nisi forte ab eleganti scribendi genere, quod in Nicephoro potissimum laudatur.

Hæc

Haec sunt, ad quae, dum voveremus Cl. Bandinii opus, paulo persistere e re iudicavimus. Quod ad Martyrologia attinet, quorum Codd. plures ab Auctore describuntur, ea libenter omittimus, persuasi, neminem facile fore, qui utilitatis aut voluptatis quidquam exinde capturum se speret, nisi forte qui Martyrologia ista conferre cum iis velint, quae recensuit Fabricius in Bibl. Gr. His vero parum profutura videntur Excerpta, adeundum est opus ipsum.

I. L. E. PÜTTMANNI, ICTI ET ANTECESSORIS, Probabilium iuris civilis liber singularis. Accedit eiusdem Dissertatio iuris canonici, de Legislatore Ephesino, ad cap. 5. X. De praescript.

Lipsiae, apud S. L. Crusium, MDCCLXVIII. in 8.

Qui aliquot abhinc annis Observationum et Interpretationum librum singularem in lucem emisit, idem iam institutum persequitur auctor Probabilium Iuris Civilis, quae lectoribus nostris commendata cupimus. In eo maxime versatus est V. C. ut lectionem receptam, et ad Pandectas quod attinet, Florentinam, a criticorum vindicaret audacia, simul etiam multis difficilibus iuris civilis locis lucem accenderet. Summa capitum, quae libro Probabilium singulari continentur, haec est. *CAP. I.* interpretatio l. 57. D. mandat. *CAP. II.* legi 22. C. de Fideiuss. lux accensa. *CAP. III.* Tacitus defensus. Recepta lectio l. 10. §. 4. D. de usu et hab. l. 3. C. de quadr. praesc. et l. 47. D. de R. N. ab iniusta Petr. Paul. Iusti erili vindicata. *CAP. IV.* Qui sint ii iuvenes, popularesque, quorum meminit Callistratus in l. 28. §. 3. D. de poen. *CAP. V.* Receptarum lectionum Δώδεκας. *CAP. VI.* Ad l. 2. §. 4. D. de O. I. et C. Moyses Dist. 7. *CAP. VII.* l. 3. C. comm. utriusque iudic. non nisi ad divisiones dolo malo factas pertinere.

tinere, contra Iac. Voordam ostenditur. *CAP. VIII.* Plinii locus de vicefima hereditatum explicatus. Matth. Roeveri emendatio explosa. *CAP. IX.* Ad L. 23. D. de R. I. *CAP. X.* De matrum in liberos potestate, ad l. 4. D. de curat. furios. *CAP. XI.* Mendo vacare l. 15. §. 4. D. de div. temp. praesc. l. 26. D. de manumiff. l. 39. D. de furt. l. 156. §. 2. D. de R. I. l. 11. §. 3. D. de exc. rei iud. contra Franciscum Rygerbos ostenditur. *CAP. XII.* Proba recta esse verba Ulp. Fragm. l. 20. §. 10. l. 1. pr. D. de test. milit. §. 7. I. quib. ex caus. man. non lic. §. 1. I. de mil. test. l. 10. §. 2. D. de l. et l. l. 19. §. 2. D. de O. l. 1. 2. §. 1. D. de R. C. l. ult. D. de duob. reis cont. l. 3. D. de bon. cor. Corn. Valer. Vonekii emendationes explosae. *CAP. XIII.* Vindicata lectio recepta l. 1. §. 6. D. de susp. tutor. Sam. Petiti crisis exhibita. *CAP. XIV.* Negotiorum gestor etiam iure Pandectarum a praestatione casus fortuiti regulariter immunis. Sam. Petiti error notatus. *CAP. XV.* Explicata, et ab emendatione Sam. Petiti vindicata l. 65. §. 1. D. de leg. II. *CAP. XVI.* Ad l. 40. D. de hered. instit. *CAP. XVII.* De permissis iure Pontificali intra annum luctus secundis nuptiis. *CAP. XVIII.* Pilatum in eo, quod de Christo statuit, supplicio, haud migrasse Setum Tiberianum, nec Theodolium M. decem illud dierum spatium, quod Setum Tiberianum statuerat, in triginta dies propagasse, defenditur. *CAP. XIX.* Exceptionem Seti Macedoniani fideiussoribus etiam filiorum familias accommodari, contra Io. Laur. Drechslerum ostenditur. *CAP. XX.* Novi operis nunciationem omnem verbalem, realem autem, quam vulgo vocant, *σιδερέζουλον* esse, evincitur. *CAP. XXI.* Petri de Toullicu, de auctoritate curatorum aetatis sententia, expenditur et emendatur. Erunt fortasse, qui cum hunc indicem legerint, caput quassent, et quidquid hoc est descriptionis naso adunco suspendant, nihil, aut parum utilitatis hae omnia in foro praestare, clamaturi. Sed hi erunt fere, qui ipsi plane *ἀμύστοι*, omniaque *πρός τὰ*

ἀλλοτρία referentes, nihil quaerunt, nisi quod, ut Püttmannus ait, annonam abundantiorē faciat. Laudem semper apud omnes bonos meruerunt, qui, Cuiacii Bynkershoekii-que vestigiis insistentes, novis subinde processibus ius civile in melius producere atque illustrare conati sunt. In his autem Püttmanno vel ideo locus haud ultimus debetur, quod non, more aliorum, urit et fecat, sed, mitiorum potius exemplo criticorum, omnia prius tentat, quam ad emendationis remedium delabatur. *Primo* itatim *capite* correctorum se opponit audaciae, legemque § 7. D. mandat. in qua multi frustra ingenii vires periclitati sunt, ita explicat, ut iam nulla plane difficultate laborare videatur. Eadem felicitate *Cap. II.* interpretatur legem 22. C. de fideiussor. novissime etiam a *Iac. Voorda* tentatam; nec non *Cap. VI.* l. 2. §. 4. D. de O. I. in quo simul Pomponius contra criminationes *Henr. Brokefi* malevole defenditur. Magnopere etiam nobis arrisit *Cap. VIII.* ubi pulcher locus Plinii Panegyri. cap. 37. ab emendatione *Matth. Roemr.* vindicatur, simulque multa de vicefima hereditatum lectu digna adferuntur. Sed cum gratius ea omnia in ipso Probabilium libro legantur, eo lectores nostros, quibus haec studia curae cordique sunt, ablegamus. Quod ad Dissertationem *de Legislatore Ephesino* attinet, in ea sane auctor non minorem iuris Canonici scientiam, quam in Probabilibus legum notitiam Romanarum, ostendit; non ex Brunnemanno eiusque similibus sapiens, sed *Ant. Augustini, Cironi, Alteserrae, Iani a Cista,* vestigia premens. Docet autem *CAP. I.* Alexandrum III. in cap. 5. X. de praes. Legislatoris Ephesini nomine non alium, nisi Theodosium Jun. intelligere, simulque causas aperit, quare Theodosius Jun. hoc nomen tulerit. Deinde *CAP. II.* ostendit, quid in iure praescriptionis immutaverit Alexander III. et quo valeat nova ipsius legislatio. Denique spem etiam facit V.C. edendae *jurisprudētia Plinianae*, et distribuae *de memoria damnata*, nec non colligendorum et in lucem edendorum *opusculorum Gotsfr. Mascovii,*
ad

ad quae perficienda ipsi vitam, sanitatem, et otium applicamus.

LETTRE D' UN ANONIME A MONSIEUR J. J. Rousseau: seu Litterae Anonymi ad IO. IAC. RUSSALIUM, quibus errores refelluntur, ab auctore in libro commissi, qui inscribitur le Contrat Social, seu Contractus Socialis.

Paris. 1766. pl. 16. in 8.

Auctor, cuius subtilitas ingenii in disserendo, et digna Philosopho modestia in reprehendis adversarii erroribus, potissimum nobis probatur, duplici utitur ratione ad luxurians Russali ingenium coercendum, erroresque refutandos. Nam ostendit, R. et malum egisse Philosophum, et vanum Historicum. Primum enim illi inesse libro, quae nimis *vage et ambigue* sint dicta, v. g. *hominem natum esse liberum*. Quae sententia enim si intelligatur de facultate aliqua, homini innata, faciendi quicquid placeat, tanquam falsam, experientiaeque repugnantem, esse reiiciendam; si vero accipienda sit de facultate, a natalibus profecta, interdum et sub quadam conditione faciendi quicquid libuerit, esse vagam et supervacaneam habendam. Sententiam R. *per pacto sociali civitatem esse dominam omnium honorum, quae civibus sint*, nisi intra fines suos coercatur, esse falsam. Eiusmodi esse etiam notionem *potestatis absolutae, quam natura det cuilibet homini in membro, et pactum sociale in omnes suos*.

Deinde reprehenditur in Russ. illud vitium, multis aliis commune, qui, ut novi aliquid docere, caeterisque acutiores esse videantur, ab usu loquendi recedant, verbisque alium affugant temere sensum, quam qui vulgo eis tribuitur, etiam si eadem sententiae ab aliis sententis planius atque diligentius

tius sint prolatae. Sic v. c. per *potestatem legislativam* intelligere Russ. *facultatem constituendi conditiones societatis civilis*; et per *summum imperantem*, (Souverain,) *populum*, *quatenus constituat leges civitatis fundamentales*; verba *Principis* et *Magistratus* promiscue tanquam Synonyma usurpari, cum tamen illud significet in sensu latiori eum, qui sit caput Civitatis, hoc vero eum, qui nomine Principis aliquam Reip. partem administret. *Depositum Reipublicae*, (le dépôt du Gouvernement,) quo R. sit usus, nec definiat, esse plane obscurum. Sic etiam verba *Democratiae*, *Aristocratiae*, et *Monarchiae*, plane novo et inusitato dici sensu, quorum significatio vera et usu recepta, ex Heineccii Elementis Iuris N. et G. disci possit, qui liber dignus sit, qui legatur a tironibus. Nec minus obscura esse verba, *Civitas non legibus sustentatur, sed potestate legislativa*.

Vitium, quod Dialectici vocant *idem per idem*, commissum esse, A. demonstrat ex eo, quod R. docuerit, *formam Reip. simplicem per se esse optimam propterea, quod simplex sit*. Tum aliquam R. in iudicando inconstantiam intelligi ex eo, quod in *libertate et aequalitate* civium legum consilium collocet, cum tamen alibi doceat, homines in statu naturae omnes esse liberos et aequales, et se, ut occurrerent incommodis, quae ab ista libertate et aequalitate orirentur, in societatem vitae coisilè. Porro alia a R. sine argumentis proici, ut rei veritas nullo modo pateat: cuiusmodi esse enunciatum illud, *an voluntas generalis errare possit?* Alia dici alieno loco, v. c. *vim centrifugam aliquam nationes commovere, ut alia adversus aliam agat*; non enim omnes lectores, nisi physicorum peritos, posse intelligere, quam vim ac potestatem habeat vis centrifuga: item, quod sub finem libri II. demum exponat *de divisione legum, dicatque se non nisi de legibus politicis agere*. Hinc enim effici ait A. ut, quae praecefferint, sint obscura, vaga, et difficilia intellectu. Alia vero, quae ad rem pertineant, omitti: v. c. definitionem *liberta-*

libertatis. Cum enim neget R. se illud verbum sumero in eo sensu, quem Philosophi vulgo ei tribuant, plane esse obscurum obiicit A. quam vim subiici velit. A. defendit Grotium, negantem I. B. et P. I. 3, 8. *summam potestatem ubique et sine exceptione esse populi, omneque regimen eorum, qui regantur, non qui regant, gratia esse institutum*, adversus criminationes Russi, qui, loco male intellecto, Grotium patrum ac defensorem tyrannicae dominationis esse putat. Denique A. refellit loca, ubi R. a vero prorsus aberraverit: v. c. Russi arbitrat, *cum omnium antiquissima, eaque naturalis societas, sit coniunctio parentum filiorumque, quas proficiscatur ab inopia proles, nisi cura parentum accesserit, vinculum illius societas mutuorumque officiorum tolli, liberis ad eam aetatem adultis, ut semetipsi tueri, atque ea, quae ad cultum victumque pertineant, parare possint; atque cum coniuncti resistent, illam societatem non a quadam naturae necessitate proficisci, sed a voluntate paciscentium libere.* A. obiicit, nisi verba, *semetipsi tueri, et ea parare, quae ad cultum victumque pertineant*, late accipiantur de officiis naturalibus omnibus, esse falsissima propterea, quod in statu naturali obedientiam parentibus debitam liberi negligere non possint, nisi ea officii alii repugnet magis necessariis. Deinde a natura ipsorum, nec ab arbitrio hominum inductum esse hunc ordinem, ut alter alterius auxilio egeat, adeoque aliqua eidem officiorum praestandorum obligetur necessitate. Denique R. esse nimis inconstantem, quod, cum instituerit exponere de hominibus quales sint, delabatur ad statum naturalem, qui neque usquam apud barbaras gentes sit, neque unquam fuerit. R. docet, *cum omnes sint nati aequales ac liberi, neminem alienare suam libertatem, nisi utilitatis suae gratia:* A. obiicit, auctorem neque probasse, neque unquam probaturum esse, *omnes esse natos aequales ac liberos, aut libertatem*

tatem a se alienare, aut, si id possit, fieri proprias utilitatis gratia.

Etsi R. videtur sequi hypothesin Pufendorffii de *passio sociali*; tamen ita, ait A. immutat illam, ut nisi prorsum falsa evaserit, certe non nisi conveniat Democratiae; cum tamen illa Pufendorffii omni societati civili sit apta. Nam si e sententia R. fundamentum societatis civilis cernitur in defendendis tuendisque civibus singulis, eorumque bonis; et quicumque se societati alicui adiunxerit, non minus liber restat, quam si nunquam socius evaserit: hypothesis neque satis generalis est, ait A. neque per naturam rei admitti potest. Non sola enim defensio et salus civium ipsorum, eorundemque fortunarum, a societatem facientibus spectari potest, sed etiam commodior vivendi ratio. Deinde fieri nequit, ut si quis e statu naturae transeat in civilem, nihil prorsus libertatis amittat.

Sententia Ruffi, qui docet, *societate induci moralitatem actionum*, tanquam falsissima, et bonis moribus perniciosissima, rejicitur. Si enim nihil, nisi quod legibus vel iubetur, vel veratur, honestum aut inhonestum putandum est: sequitur, ut neque ingratus animus in vitiis sit numerandus, neque beneficentia in virtutibus. Nec verior est sententia ea, qua R. contendit, *leges iustitiae, nisi sanctio naturalis accesserit, esse vanas, quod iusto malefaciant, et improbo bene, si neuter illas neglexerit.* Nam primum Deys tam arctam virtutis et felicitatis esse voluit copulationem, ut nunquam fere fieri possit, quin vitium cedat in damnum auctoris. Deinde si vel maxime intuentibus nonnisi externam hominum conditionem res secus se habere videatur, tranquillitas animi tamen cum in veris bonis sit numeranda, neque virtus unquam perniciofa, neque vitium utile est iudicandum. Eiusmodi est etiam opinio Ruffi. contendentis, *te nihil quicquam debere cuiquam, nisi quod promiseris.* Quis enim est tam in-

humana-

humanus ac barbarus, ut, si vel maxime nulla intercesserit fides, periclitantibus de vita, quam servare possit, auxilium ferre recuset? Reprehenditur R. quod putet, *populo semper et ubique esse potestatem legum mutandarum abrogandarumve*. Nam primum interdum fieri potest, ut populus paciscatur conveniatque, se sine consensu alterius, quocum pactio- nem inierit, leges neque immutaturum, neque plane abro- gaturum esse. Deinde si mutatio sine detrimento aliquo eius, cui Resp. commissa est, et cuius commoda aequae in paciscendo spectata sunt, fieri nequit: populo per se mu- tandi pacti ius reliquum non est. Cum R. *ad actionem ali- quam liberam producendam duas causas concurrere* dicat, *alte- ram moralem, alteram physicam*: hic aperte inter se confun- duntur, ait A. causa et medium. Reprehenditur etiam R. quod in capite, quo praecipis, non omnem formam Reip. conve- nire omnibus regionibus, cum Monteskio nimium tribuere videatur *climatibus*, in iudicandis hominum moribus. Et- enim, ait A. exemplo Perfarum et Belgarum inprimis con- stat, populos sub eodem coelo natos, et iisdem in regionibus nutritos, diversis temporibus, diversis quoque moribus praec- ditos esse.

Altera parte epistolae A. totus est in refellendis errori- bus, quos R. recensendis ritibus atque institutis Romano- rum commisit. Verum hic nimio studio contradicendi ab- teptus, nonnulla male reprehendere nobis videtur. Nam v. c. obiurgat R. quod Romanorum morum simplicitatem, magnitudinem animi, liberalitatem, contemptum lucri ac mer- caturae, et amorem agriculturae laudaverit, cum profecto mores eorum fuerint valde corrupti. Ab initio enim fuisse
lacrones,

latrones, raptosque feminarum, iniustos, quod necem Servii Tullii non ulti fuerint, et bellum gesserint terras occupandi gratia. Has criminationes facile refelleremus, si in rebus fatis notis tempus consumere luberet. Ceterum ratio, qua A. in referendis Romanorum ritibus atque institutis utitur, nobis minus probatur, suspicionemque de mala fide historica iniicit ex eo, quod non ad fontes recurrit, sed rivulos tantum sectatur. Etenim Rosini, Novoportii, Pitifci, Vertotii, aliorumque, imprimis Nationis Gallicae, quos A. solos sequitur, non ea existimatur auctoritas, ut quis tuto, et sine errandi periculo, illorum vestigiis insistere possit in rebus talibus.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCLXVIII.

*PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS, GIVING
some account of the present undertakings, studies, and
labours, of the Ingenious, in many considerable parts of
the World. VOL. XLVII. for the Years 1751. and 1752.
reprinted according to the London's Edition.*

Wittenberg, by C. C. Dürr, Printer of the University,
1768. 2 Alph. Tabb. aen. XX. quaternis.

Quas, sub auspiciis huius anni, cura et impensis quatuor
Professorum in Academia Wittenbergenfi, Sorore no-
stra dilectissima, *Langguthii* nimirum, *Bochmeri*, *Ti-
tli*, atque *Zeiheri*, Virorum de litteraria republica praeclare
meritorum, recudendas nunciavimus Transactiones Philoso-
phicas, Londini ab annis 1751. et 1752. ad nostra tempo-
ra publici iuris factas, eas nunc prospere coepisse publicam
in lucem prodire, multa cum voluptate indicamus. Sane
steterunt promissis Editores; imo vero primo hoc Volumi-
ne plus praestiterunt, quam erant polliciti; nostraque adeo
expectationem non modicam, quod fateamur, magnopere
superarunt. Est enim Opus hoc in chartae augustae forma
quarta, recentique typo, tam pulchre ac emendate descri-
ptum, tantumque est adiectarum XX. Tabularum, aeri incisa-

P p run,

rum, artificium, ut Londinensi etiam exemplo dabiam faciat palmam, additaque duplici quadam dote, mox describenda, nonnullam prae ipso praerogativam mereatur. Fronti operis primarium decus conciliat Augustissimum Serenissimi Principis Electoris nostri nomen, cui, Principatus primordia, eo tempore faustissime capta, sacraque Natalitia, tum propediem celebranda, Editorum pietas religiose gratulatur. Sequitur Programma Latinum ac Germanicum, quo, aliquot mensibus ante, nova haec editio nunciata est, conditionibus profecto tam aequis, ut, nisi numerosiores intercedant emtores, indemnes evadere Editores nequeant. In Praefatione, mox subiecta, docetur primum, hoc in primis diligenter esse praestitum, ut eotypus cum archetypo per omnia, per numerum paginarum, in margine Signo * indicatum, perque non mutatum indicem, consentiret; tum vero notatur, „in Infinitorum Analysis exemplis signa differentialia, quae Anglis fluxionum vocantur, eorundemque ab Newtono acceptum quantitates differentiales exprimendi modum, cum illis Leibnitii signis, modoque, extra Angliam ubique gentium dudum receptissimis, permutata esse;“ quae res gratia atque utilitate sua omnium punctum facile feret. In primis vero non possumus non vehementer probare ac laudare, duplicem illam, cuius modo meminimus, dotem, qua hoc suum opus auctum voluerunt Editores; de qua sic differunt: „Substituimus nempe in locum Conspectus Anglici, titulos ac seriem Observationum, in fronte libri, nude referentis, Latinum earundem indicem, sed modo Lowthorpiano, tantopere comprobato olim, (vide sis Acta Nostra, Supplem. Tom. IV. pag. 290.) vereque frugifero, suas in Classes, Mathematicam, puta, Physicam, Medicam, et Miscellaneam denique, hoc est, varii ad humaniores litteras pertinentis argumenti, distributarum; indicatis simul praestantiorum Observationum Summariis paulo plenioribus, adiectisque hinc et inde, ut sponte veluti, temporis angustia pressis, sese obtulerunt, nonnullis adnotatiun-

tationculis. " Quod suum institutum sicuti is maxime non ingratum inutileque futurum confidunt, qui, Anglicam nescientes linguam, curiosiores tamen, perlibenter requirant, quidnam in his Commentariis, laude sua non defraudandis, tractatum relatamque contineatur, suos in usus forsitan idoneum: sic in universum quoque, ad commodius iudicanda, imo ad iuvanda etiam, studiorum doctrinae incrementa, tenues has opes atque symbolas suas non omnino nihil facturas esse, non una de causa persuasissimum sibi habent. Tandem vero consilii sui rationibus, in Programmate expositis, quare scilicet maluerint edendas abs se Transactiones sua lingua loqui, easdemque adeo Londinensi exemplo omnino consentaneas prodire, unicam hanc, eamque admodum probabilem, addunt, longe nimirum facilius esse, ut quis paucorum mensium spatio Anglicam linguam addiscat, et Transactiones, sua in re, intelligendi facultatem sibi impetret, quam ut istae satis accurate in aliam quam linguam convertantur, et ad eos non allidatur scopulos, quos *Sturpinus* atque *Sandius*, *Oldenburgio* ac *Morhofio* censoribus, non evitaverint. Quid? quod sic etiam se effecturos sperant, ut non pauci ad addiscendam Anglorum linguam alliciantur; quum, praeter illam, vix alia, rebus naturalibus apte et concinne describendis, magis conveniat: propterea quod, ex elogio *J. B. Menkenii* nostri in Orationibus Academicis, ea libertate Angli utantur, ut voces quasque optimas et aptissimas e variis linguis depromant, et civitate donent.

Quemadmodum in his omnibus facile cum Editoribus consentianus, Operique, tam bene coepto, ac quos successus, et fautores ac promotores quamplurimos, sincere optamus: sic hanc occasionem perlibenter amplectimur, veteri nostro instituto, (vid. Acta nostra ad An. 1727. pag. 270.) ea nunc et in posterum commemorandi, quae in Transactionibus ab Anno 1751. continentur, et in nova hac editione, more Lowthorpiano et Mottiano, in suas classes, et meliorem

ordinem digesta sunt. Eorum vero, quae ab Editoribus his observationibus addita hinc atque inde sunt, pro universi nostri instituti ratione, brevissimam tantum faciemus mentionem.

Continentur igitur Classe I. MATHEMATICA.

Art. 4. p. 20. TH. SIMPSON Methodus generalis, valorem expressionis algebraicae, quantitates radicales continentis, serie infinita exhibendi; ubi theorema binomiale Newtonianum, aliudque Eiusdem de radicibus aequationum, demonstrantur. — Elegantis huius tractatus occasione, *VV. CC. Kästneri, Segneri, ac Aepini* merita de hac causa, publico encomio dignissima, Editores laudant.

Art. 74. pag. 441. FRANC. BLAKE, de Trigonometria sphaerica ad planum reducta. Peculiaris ac facilis habetur Auct. methodus; *Wolffos* tamen, *Segneros, Kästneros, Baermannos*, aliosque, utramque Trigonometriam ad unam alteramque regulam felici successu reduxisse, monetur.

Art. 29. p. 197. *Idem Auctor* Cylindrorum voluminis dati, quibus vi aquae ebullientis vapores motum producunt, lucrosissimas considerat proportiones. — Numeratur in praestantissimis et admodum ingeniosis inventis haec machina, digna quae ulterius perficiatur. Et Cylindros quidem praefert A. maiore basi et minori altitudine praeditos, licet ipsa machinae huius constructio nondum omnibus numeris absoluta sit.

Art. 72. p. 436. Machinam, qua aqua ignis ope elevatur, five Machinam *Saverii*, eo, ut ipsa sola agere possit, modo emendatam, a *Moure* inventam, I. SMEATON describit. — Num *Saverii* organon, ex nova quadam epistomiorum ac vectium structura et applicatione, quidquam correctum auctumque sit, dubii proflus Editores haerent. Vide sis illam Tab. aen. XIX.

Art.

Art. 82. pag. 494. *Eiusdem* emendationis polyfasti, f. novae trochlearum combinationis, descriptio. — Utrumque trochleas, et iuxta, et infra se, disponendi modum A. coniungit, hoc fine, ut fune circa mediam, aut proximam ei trochleam acto, haud amplius obliqua tractio metuenda sit. v. Fig. 6. Tab. XVIII.

Art. 56. pag. 352. Instrumenti cuiusdam, plano horizontali cognoscendo idonei, a *Serjon* inventi, brevis descriptio, per SHORTUM data. *Shortus*, ut ad perficiendam hanc methodum aliquid conferret, antlia *Smeatoni* perquirat, num situs turbinis horizontalis etiam in vacuo habeat locum? aeremque huius situs causam minime habendum esse experimentis didicit. — Conferri meretur Programmata III. *Segneri*, Halae 1755. editum, quo theoriam turbinis summo persequutus est acumine.

Art. 62. pag. 376. Epitome observationum astronomicarum, ab *Hallersteinio* Pekini 1746. et 1747. habitatum, per BEVIS. Potior pars loca Planetarum ad fixarum comparata, micrometro accurate visa et mensurata, enarrat. Idem *Augustin, Hallerstein*

Art. 50. pag. 319. Instrumenta quaedam, in eodem Iesuitarum Collegio Pekinensi collecta, recenset.

Art. 22. pag. 159. Occultatio Veneris per Lunam, tempore diurno Londini a BEVIS observata, a. d. 16. Apr. a. 1751. It. v. — Usus est A. Instrumento transitorio *Shorti* tripedali, quod in similibus casibus maxime commendari meretur.

Art. 30. pag. 201. Subsequitur *Bradleyi* Observatio Occultationis Veneris per Lunam, a SHORTO relata; quae telescopio reflectenti sex pedum Grenovici facta est.

Art. 49. pag. 317. Eclipsis Lunaris d. 21. Nov. 1751. a SHORTO observata.

Art. 29. pag. 164. SHORT de singulari quadam Lunae apparentia, A. 1725. d. 16. Aug. n. sc. quam *Bianchini*, ope telescopii 110. ped. Lond. observavit, et *Shortus* An. 1751. d. 22. Apr. telescopio reflectente 12. ped. a se conspectam confirmavit.

Art. 11. pag. 62. PATRIC. MURDOCKE ad *Rob. Smith* Ep. de medio apogaei lunaris motu; qua A. controversiam, inter *Buffonum* et *Clairautum* enatam sic dirimit, ut commissum a *Clairauto* errorem calculo elementari eruat, et leges Newtonianas, pro motu corporum coelestium stabilitas, corroboret. Lecta est d. 31. Jan. 1750.

Art. 38. pag. 263. Epitome Epistolae EULERI ad *Wetsteinium*, super quaestione ab Acad. Petropolit. proposita: num theoria *Newtoni* explanandis in motu Lunae irregularitatibus omnibus sufficiat? id quod cum *Clairauto*, aliter nunc ac nuper sentiente, adfirmat. Lecta est d. 24. Oct. 1751. — Meruit postea hoc praemium A. 1753. idem *Clairautus*, eiusque dissertationem, ac *Euleri*, patris, theoriam motus Lunae, laudata Academia typis evulgari curavit.

Art. 43. p. 281. Epist. RICH. DUNTHORNEI ad D. *Long*, Cometas recenset, in veteri quodam *Misto* Biblioth. Cantabrig. memoratos, interque illos unum, A. 1264. visum, post 292. annos A. 1556. reducem factum contendit. — Quod dubium maxime videtur.

Art. 69. pag. 415. Epistola IO. SMEATON ad *Jo. Ellicot*, de emendanda Antlia pneumatica. Loco unius foraminis, in gula seu valvula, septem foramina sexangularia, ut in fig. 4. Tab. XVIII. videre est, sic componit, ut omnia simul vesicam sustentent; aeris etiam comprimendi apparatus, uno simplicique epistomio regendum, antliae suae applicat: vid. Tab. XVIII. fig. 1-5.

Art. 81. pag. 479. IO. ELLICOT descriptio duplicis methodi, irregularem horologii motum, ex actione caloris et frigoris in penduli virga nascentem, corrigendi; ad quam intelligendam faciunt, quae in Tab. XX. videntur, figurae.

Art. 88. pag. 517. IAC. SHORTI Epist. de inventore apparatus, quo pendulorum irregularis, a calore et frigore pendens, motus corrigitur. Artificium hoc, quod *Geo. Graham* primus excogitavit, *Harrisonus* primo est exsecutus, *Frotheringham*, *Berridge*, *Casimi*, et *Ellicot*, opera et scriptis insigniter emendarunt.

Classis II. PHYSICA.

Art. 3. pag. 4. IO. PRINGLE Tabulae et Observationes Thermometricae, Anni 1748. ad Soc. transmissae, quum exercitus Anglici in Belgio Medicus mereret. Militis, 103. graduum *Fahrenh.* calorem perferentis, exemplo Auct. hominem intensiore adhuc, quam quo animalia encantur, aestus gradu vivere posse, putat confirmari. — Verumtamen exemplum apud *du Hamel* prostat puellae, 130. graduum *Reaum.* h. e. 324. grad. *Fahrenh.* aestum in furno, sine ullo sanitatis detrimento, quadrantis horae spatio sustinentis, maiorem forte passuram, nisi egredi ex furno iussa fuisset. vid. *Supplem. au Traité des conservat. des grains.*

Art. 9.
Art. 58. pag. 357. THOM. HEBERDEN Observationes meteorologicae, in insula Madera annis 1747-1750. institutae, secundum quas pluvia per annum, ex media quantitate, ad digitos 31. colligitur, et menses Ianuarii ac Decembres maxime pluviosi sunt; itaque

Art. 59. pag. 360. Observatio WILH. VAN HAZEN, de quantitate pluviae, quae Lugd. Batav. anno 1751. ad digitos 41. cecidit, pluvii diebus 163. quae nostris, et alibi in Europa factis observationibus, maximam partem respondent. Art.

Art. 1. pag. 1. GUIL. SMITH, Ep. de globo igneo, d. 22. Iul. A. 1750. in libero aere viso; de quo

Art. 2. pag. 3. Ep HENR. BAKERI nonnulla recenset. — In qua tamen huius phaenomeni observatione plurimum perspicuitatis et accurationis ab Editoribus desideratur. Ipfius enim globi diameter, tanta magnitudine, duorum sc. graduum, Solis diametrum quater fere exsuperans, apparere non potuit; neque caudae magnitudo, a *Smithio* observata, respondet ei, quam *Bakerus* in litteris suis *Folkeſio* commemorat. v. Fig. 1. Tab. 1.

Art. 7. pag. 39. Aurora borealis a PETRO GABRIELI, 1750. d. 27. Febr. n. ff. Hag. Com. observata. v. Fig. 2. Tab. 1.

Art. 36. pag. 248. PHIL. CARTERET WEBB, de Iride inverſa, dupliciter in gramine viſa. — Exemplis Auct. cognitiss, quae *Rohault* et *Langwith* (non *Langrish*) habent, addi possunt quae *Menzelius* in Eph. N. C. Ao. 1686. Obl. 134. Potsdami a se viſa pingit ac describit, et quae plura, addita explicatione, allegat *Hanovius*, *Physic.* Tom. II. §. 256. *Iac.* etiam *Bernoullius* *Opp.* T. I. p. 400. quomodo figura eiusmodi iridis determinetur, docuit.

Art. 52. pag. 330. IOS. PALMER, de fulguris effectibus *Southmoltonii* in Comitatu *Devoniensi* observatis. — Notari meretur, quod fulmen hoc, turrim percutiens, filis contisque ferreis per muros in templum ductum sit; ut tot tantaque pericula cavere tandem aliquando discamus.

Art. 89. pag. 524. HENR. EELLES, de causis Fulminis agit, easque ad electricitatis effectus, inter primos, revocat. — Elegans est, et nunc satis comprobata animadversio, quod ex corporibus vicinis, altero fulmine tacto, altero illaeso, posterius electricum habendum sit. Quae autem de diversa actione fulminis ac pulveris pyrii comminiscitur, ea non satis videntur evicta.

Art.

Art. 91. pag. 534. G. MAZEAS Epp. 5. de Experimentis, fulminis atque ignis electrici eandem indolem probantibus, cum successu in Gallia repetitis.

Art. 92. pag. 553. De similibus experimentis NOLLETUS ad *Watsonum*; cum expositione apparatus, quo vis electrica ex nubibus, cortis ferreis in altum erectis, derivatur.

Art. 93. pag. 559. Epit. Ep. MYLII et LUDOLFI ad eund. super electricitate aerea. — Omnibus his litteris eo maius est statuendum pretium, quod historia electricitatis, ex nubibus deducendae, ab hoc temporis articulo quasi primordium trahit.

Art. 44. pag. 289. Ep. BENI. FRANKLINI, Philadelph. 20. Jun. 1751. data, varia de fulguris effectibus commemorat. Ignem electricum, in malis navium apparentem, filo metallico in aquam, ad avortendum periculum, ducendum proponit; et acum magneticam, fulmine, navem feriente, tactam, et prorsus variatam fuisse, meminit. — Pulverem aeternum pyrium electrica scintilla, inaudito Europaeis exemplo, quod putat, abs se incensum, in eo magno perire fallitur; Goettingae enim et Dantisci, idem experimentum, multo ante felicissimo tentatum captumque est.

Art. 95. pag. 565. *Eiusdem* litterae, Draconis electrici mira phaenomena exponentes, quo modo is ad vim electricam nubium, deorsum ducendum, comparatus sit, ostendunt; quod experimentum a *Franklino* acceptum,

Art. 96. pag. 567. teste, in Anglia a variis repetitum, *Watsonus* commemorat. — Idem de *Roma* in Gallia tentavit, sed maiore dracone: vid. Hist. de l'Ac. Roi. des Sc. Par. 1752. et *Houou. Phys.* T. I. §. 812. Praeterea

Art. 31. pag. 202. alia *Franklini* experimenta electrica, secum communicata, WATSONUS recenset. —

Nostrates, in litteris *Franklini*, Germanice versis, et *Wilki* studio et accessionibus ornatis, potiora eius inventa descripta inveniunt.

Art. 34. pag. 231. WINKLERI experimenta enarrantur de odoribus, ope electricitatis vitra permeantibus; de quorum tamen veritate, experimentis cum globis atque tubis vitreis, ab eodem transmissis, sollicitè institutis, nondum convicti Angli, adhuc dubitant. — Sed observationes suas, binis novis experimentis ab eo tempore V. Cl. confirmasse, ex eius litteris, hoc ipso anno ad Editorum aliquem datis, didicimus.

Art. 61 pag. 362. WATSONUS, de phaenomenis electricitatis in vacuo, quibus, antlia Smeatoniana usus, didicit, aeris crassioris absentia, non modo non impediri electricitatem, sed ignem etiam electricum, per spatium 32. pollicum, ingenti splendore transiisse. Idem confirmari pulchre vidit, in vacuo Torricelliano, quem apparatus Tabula XVI. repraesentat.

Art. 55. pag. 345. BOHADSCHII Differtatio de utilitate electricitatis in curandis morbis, Pragae, 1751. a *Watsono* translata et recensita, nec sine causa plagii damnata. — Inprimis exempla morborum, vi electrica curandorum, *Pivati* fide allegata, Bononienses partim in suspensionem vocarunt, Commentar. T. III. p. 84. C.

Art. 65. pag. 359. BIANCHINI experimenta medicinae electricae, ex versione et recensione *Watsoni*, quibus maxime probari videtur, vitrum odoribus fragrantissimorum corporum non esse vi electrica permeabile, adeoque non extra dubium, etiam medicamentorum virtutes, fluido electrico, tanquam vehiculo, in corpus humanum transferri posse.

Art. 48. pag. 315. RICHI. SUPPLE de eruptione Vesuvii, coepta 28. Oct. 1751. — Art. 67. p. 409. et Art.

Art. 78. p. 474. de eadem brevis relatio IO. PARKERI, pictoris Anglici; a quibus auctoribus, tanquam testibus oculatis, torrens ille igneus, quem Vesuvius tum evomit, Lava dictus, qua materiam et motum, accurate descriptus habetur.

Art. 10. pag. 48. Epitome Observat. in Italica caverna, Grotta dei Cani, ab *Nolletto* factarum; ex quibus potissime notandum, thermometer *Rcaum.* extus in aere libro 18. graduum, in spelunea ad 29. ascendisse: quare vaporem huius antri non quidem venenatum, sed nimia aeris raritate ad respirationem prorsus ineptum, ipse expertus iudicat Auctor, ut ex multis etiam aliis experimentis institutis didicit.

Art. 57. p. 353. TH. HEBERDEN Observaciones in monte Pico, in Tenerifa insula, institutae; inter reliqua, notatu digna, quae huic monti aut propria, aut cum aliis altioribus ac ignivomis communia sunt, eius altitudinem 2566. orgyiarum, quae sex pedibus Lond. consent, aetli mari docent.

Art. 17. pag. 126. Ep. PETR. WARGENTINI, R. Ac. Sc. Suec. Secret. latino, de variatione acus magneticae per auroram borealem, intra diem quinque integros gradus excedente. Quod commercium inter lumen boreale et aciem magneticam dudum *Halleius* suspicatus est, id *Celsius* deinceps, atque *Hörtens*, certissimis experimentis atque observationibus evicorunt; quibus nunc Auct. iure meritoque adiungendus est. — Additur, *Horrebovium* iam A. 1748. in Elem. Philos. Natur. idem phaenomenon ad liquidum perduxisse; et *Winklerum* nuper peculiari Programmate rem omnem exposuisse Lipsia.

Art. 6. pag. 31. IO. CANTONI Magnetes artificiales, nullis naturalibus adhibitis, parandi methodus, c. Tab. II. Fig. 1-6. — Quod inventum, etiam inter primariae Saeculi nostri referri mereatur, quum in compendio exponi nequeat, notasse satis erit, totam hanc tractationem, Diario, Biblioth.

Biblioth. raisonnée, T. 47. P. 1. insertam, illamque, auctam quasi et Germanice redditam, in Promptuar. Hamburg. legendam esse. Postquam vero etiam alii duo Angli, *Knight* et *Mitchel*, in eadem re perficienda laborarunt, non satis clare exposito apparatu, conferri merentur *Traité sur les Aimans artificiels*, traduit de deux Ouvrages Anglois de I. Mitchel et I. Canton, par le Pr. *Rivoire* etc. Paris 1752. c. f. aen. et *Küngenstierne* atque *Atheulmi* scripta.

Art. 32. pag. 211. Ep. HENR. ELLISII, de Ventilatoris, ab *Hallejo* inventi, praestantia, in nave, cui Magister praeserat, variis experimentis probata, cuius summum meritum in aere depurando, vitae sanitatique navigantium adeo proficuo, ponendum est. Qua occasione Auct. refrigerationem aquae in fundo maris, thermometro ad 3900. pedes demisso, exploravit; — quam eius temperaturam, cum illa in cavis Observatorii Parisini inventa, conformemprehendi, additur, licet *Ellisi* observatio sub aequatore instituta fuerit.

Art. 80. pag. 477. BENI. RAII descriptio tubae aquae, s. marinae (*Water-Spout*) in comitatu Lincolnensi A. 1752. observatae, — secundum Edit. admodum frigida.

Art. 84. pag. 500. Ep. WILH. HENRY, de Fonte Cupreo, in regione Wicklow, Hiberniae; de qua Cupri Vitriolo impraegnata aqua, in sequenti Vol. 48. pluribus exponitur. Interea haec omnia, in Germanicam linguam translata, legi possunt in *Promptuar. Universali* Part. VIII. pag. 230.

Art. 15. pag. 109. IAC. PARSONI Diff. de Classe Phocae marinae, c. fig. aen. in Tab. VI; — quod animal, satis accurate descriptum, ad *Leones* marinos *Stelleri* potiori iure referendum videtur. Conf. *Novi Commentar. Ac. Sc. Pet. p. T. II. p. 360.* et *Promptuar. Hamb.* quod huius descriptionis versionem Germanicam exhibet. Etiam de Leone marino *Pontopulmus* et *Hydrobatus* egerunt, quem *Aufonius* in mari australi quoque vidisse observatum est.

Art.

Art. 20. pag. 146. EIUSD. Relatio de teneriori Cercopitheco, *Sagouta* vulgo dicto, ex descriptione *Linnaei*, *Simia caudata*, auribus villosis, patulis, cauda hirsutissima longissima, unguibus subulatis, pollicum rotund. quaecumque Auct. descriptio ac delineatio accuratissima egregie convenit, imprimisque unguum differentia, a *Kleinio* non animadversa, pulchre exprimitur. Longitudo eius a naso ad caudae radicem digitorum $7\frac{1}{2}$, pondus unciarum 12. aestimatur; masculus, femina paullo maior, in Tab. VII. depingitur; deque victu delicatuli animalis pauca sub finem adduntur.

Art. 50. pag. 319. HALLERSTEINIUS sub finem epistolae, supra iam ex parte laudatae, animalis Moschiferi, (damulae odoriferae,) in finibus imperii Sinici degentis, aliquam mentionem iniicit, idemque in Tab. XIV. depingit; cuius exactam descriptionem, hic desideratam, suppeditat *P. F. Gmelin*, in Diss. de specifico antidoto novo adversus morsus animal. rabid. Tubing. 1750.

Art. 71. pag. 429. IO. BOND de Machina Ceteri ferendis idonea, ut iacula e longinquo securius protici possint; quare balistam veterum iis accommodare suadet.

Art. 8. p. 40. COLLINSONI Observationes quaedam de Cancro marino, *Kleinio* communicatae, de singulari eius facultate, qua pedes suos diffringere, remove, ac novos substituere valeat; quod phaenomenon Auct. omnium primus proposuerat, *Kleinus* autem, nunc plene convictus, in dubium olim vocaverat. Conf. Commentar. Soc. Dantisc. Vol. II. p. 199. quibus rei huius historiam *Kleinus* inseruit, eandemque iconibus illustravit.

Art. 73. pag. 439. IAC. PARSONI Ep. de testis Cancerorum. — Propositae Auct. hypothesei haud prius accedendum putatur, quam constet, num et haec Canceri species, ut reliquae, in Ventriculo suo Calculos inclusos habeat nec ne? id quod in eius historia adhuc desideretur.

Art. 26. pag. 184. IO. HARRISONI Epp. II. Cantabrigiae in Nova Anglia datae, de nova Vespae specic. — Et vespam et domicilium curiosius describit Auct. et aliquam inter easdem et apes comparationem instituit.

Art. 14. pag. 95. VITALIANI DONATI, Inventa nova ad Coralliorum historiam spectantia. c. Tab. III. IV. et V. — Eadem haec in maiore eius opere, et in epitome *Rubbi* Italica, occurrunt; nec non in huius versione Germanica, Halae 1750. edita.

Art. 75. pag. 445-469. PEYSSONNELLI Tractatus MStus de Coralliis, contractus et Anglice versus per *Wih. Watson*. — Insigni eruditionis apparatu, et experimentorum copia, Corallia et reliqua marina producta, e. c. madreporas, poros, escharam, non inter plantas marinas cum *Boccone* et *Marfilio* referendas, sed opus esse infectorum, urticae praesertim, seu polypi marini, demonstrat.

Art. 86. p. 505. IAC. PARSONI Ep. de formatione Coralliorum et Corallinorum. — Paulo ante recensitam *Peysfonneli* novam opinionem impugnat, variis contendens argumentis, Corallia non posse infectorum opera efformari; ex habitaculo eorum ad operam et opificia non statim posse concludi; securitatis gratia se eadem in corpora marina, fibrosa et porosa, solere recipere. Sunt praeter *Kleinum*, et Hist. Naturalis scriptores alii, qui *Peysfonnelo* hac in re adversantur.

Art. 24. pag. 166. Catalogus L. Plantarum Horti Chelseyani etc. Ao 1750. per WILMERUM, ut mos est, sec. ordinem litterarum instructus.

Art. 64. pag. 396. EIUSD. Catalogus L. Plantar. ad a. 1751. Hortum Societatis pharmaceuticae, Chelsei prope Londinum a. 1723. ea lege Societati concessit Ill. *Sloane*, ut quotannis 50. novas plantas introducant, donec numerus 2000. exiterit. Hinc primum indicem edidit, a0.

1739. *Jf. Rardius*; et nunc Horti huius curam iam diu gerit expertus ille hortulanus, *Phil. Millerus*: ex quo adeo viridario res herbaria egregia augmenta haecenus accepit.

Art. 83. pag. 498. Epitome Ep. a DIXON ad *Watsonum* datae, de globis vegetabilibus, in fundo cuiusdam lacus copiose repertis, *Confervae globosae* speciem see. *Watsonum* constituentibus.

Art. 35. pag. 241. WATSONI brevis relatio de horto Episcopi Londinensis, qui Fulhami est, cura ac sumptibus *Henr. Comptoni*, Episcopi Londin. a. 1675. fundato, et ad a. 1713. egregie conservato. Discimus exemplo 33. Arborum, a *Watsono* recensitarum, in quibus *Pavia* et *Benzoin*, quam commode peregrinarum stirpium quamplurimae alieno et liberiori aeri affuefieri possint.

Art. 25. pag. 169. Eiusd. WATSONI Observationes, ad Sexum florum pertinentes, occasione Ep. de eadem materia a *Mylio* Berolini scriptae. Praemissis nonnullis de faecundatione Palmae feminae, Berolini a *Gleditschio* instituta, et *Kuempferi* cumprimis testimonio illustrata, aliisque de sexu plantarum in genere, abunde nunc cognitis, duplici exemplo receptam doctrinam de usu sexus admodum frequenti, deque a *Linnaeo* stabilitis Monoeciarum, imprimis Dioeciarum, Classibus, reiiciendis potius, quam conservandis, confirmat, *Milserumque* in Moro, et *Rathgeb* in Lenticis, Venetiis observasse commemorat, easdem has arbores, iuniores si sint, masculos tantum flores ferre, adultiores autem factas etiam fructus exhibere.

Art. 46. p. 301. EIUSD. Relatio de arbore Cinnamonis, cuius Corticis et Ligni fructum satis conspicuum, ex India per *Beni. Robins* ad *Dr. Lotherland* missum, Auctor accepit, deque eius historia et fatis, nonnullis repetitis, monet, optimum provenire in insula Ceylon.

Art.

Art. 70. pag. 428. IDEM de Aphylo *Io. Bauh.* et Dentaria heptaphylla *Clus.* refert, se utramque in regione Middlesex prope Harefield invenisse, et priorem quidem alio natali loco, quam quo se illam reperisse *Raius* memorat. Haec Squammaria *Rivini* est, ad Lathraeam a *Linnaeo* per curas demum posteriores relata.

Classe III. MEDICA.

Art. 27. pag. 188. Ep. T. COE de Homine valde obeso, a. 1750. Camudolani in Essexia mortuo, annos 30. nato, pondus 616. libr. explete. — *Sennertus* exemplum habet non dissimile viri, in publicum tamen prodeuntis, supra 600. libr. pendentis, non 400, ut Auct. *Allenium* et *Chambers* emendandos putat; cui, *Riolani* Sen. duo Rabbin ventrosissimi, et puella 3. annor. ponderis quasi 82. libr. a *Kaefnero* in Promtuar. Hamburg. descripta, associantur.

Art. 42. pag. 278. Epit. Litterarum IO. BROWNING, de homine quodam Nano, 15. annor. 2. ped. 7. poll. longo, pondó libr. 13. quod infans recens natus saepe exsuperat. Fuit ad ann. 7. satis alacris, tumque ponderis libr. 19. ab eo tempore ad summam maciem paulatim redactus. — Similia exempla ex *Transact.* No. 495. Art. 10. et ex *Vandermondei* Diario, T. 12. pag. 167. notatu fere digniora, subiiciuntur.

Art. 19. pag. 142. IAC. PARSONI Ep. de Hermaphrodito Londini viso, potiori iure ad chorum feminarum, longiore clitoride sexum virilem mentientium, referendo; — quod exemplis, in Commentar. Petropolit. T. I. in Collect. Breslavienf. An. 1719. itemque a *Mertrudo* et *Morando* descriptis, confirmatur.

Art. 60. pag. 360. THOM. PERCIVAL Descriptio et Delineatio Infantis duplicati, sive femellae bicorporae, maioris satis perfectae, minoris mutilatae ac monstrosae,
Sororis

Sororis Sterno adhaerentis. — Fratris, pectori fratris connati pulcherrimum exemplum, *Bartholin. Hist. Anat. Rar. Cent. I. O. 66.* habet.

Art. 37. pag. 253. Epit. aliquot Epp. ab IO. HUXHAM et MICH. TRIPE scriptarum, de Cadavere, Stavertouii in cella quadam concamerata templi, post annos 80. integro, et sine putredine reperto. — Tria eiusmodi cadavera, per annos 60. incorrupta servata, memorat Prointuar. Hamburg. T. 9. p. 586.

Art. 47. pag. 305. CAR. MORTONI Disquisitio de causis motus voluntarii musculorum; qua evincere conatur, motum musculorum voluntarium esse sensationem acutissimam, velocissime peragendam, sensusque adeo et motus nervos male distingui. — Sed ista hypothesis, pugnantia coniungens, non admodum probatur.

Art. 12. pag. 75. HERRISSANT Experimenta cum veneno *Lamasensi* et *Ticunasensi* in vivis animalibus facta, Gallice descripta et versa. Ab oppidulo *Lamos*, et gente *Ticunasensi*, nominantur, et ex plantis scandentibus, Gall. *Lianes* vocatis, coquantur; quorum primam mentionem *Condaminus* fecit, et descriptionem deinceps dedit *Bomare* in Dictionario.

Art. 28. p. 194. Ep. IO. STEDMANNI, de effectibus *Hyoscyami albi*; quos, quum *Watsonus* nigro potius adscribendos inoneat, Editores evincunt, utramque plantam merito suspectam ac noxiam habendam esse, modumque ostendunt, quo *Hyoscyami nigri* folia calorem albidum induere potuerint.

Art. 41. pag. 273. GEOFFROY Observationes de Vitro Antimonii cerato, in variis morbis pertinacioribus, fluore albo cumprimis, laudato, et in dysenteria magno, et *van Swietenio* frequentato remedio, *Pringlio* tamen non ita probato. Vitri huius cum cera combinationem, inter primos docent *Edimburgenses Tomo 5.*

R r r

Art.

Art. 94. pag. 560. FAGET Observaciones de remedio styptico, a *Bressardo* circa A. 1750. invento, *Agarico* sc. pedis equini facie, annosioribus innascente quercubus. — Ut fungus ille Chirurgorum, *Bovista*, huic invento an- sam procul dubio dedit: sic fungis etiam Betulae, Fagi, Ulmi, Carpini, itemque illi Vinoso, in dolis et muris cellarum crescenti, eadem virtus competit; quod copiosius in *Promptuar. Univ. Nat. Art. et Scient. P. 6.* et apud *de Bomare* et *Crantzium*, expositum reperitur.

Art. 5. pag. 27. Ep. GEORG. BAYLY, de usu corticis Chinae Chinae in Variolis, malignis praecipue, confluentibus ac gangraenosis; quibus observationibus egregie confirmantur, quae *Morton* atque *Moore*, itemque *Huxham*, *Pringle*, *Werlich*, de divina eiusdem virtute in dictis morbis dudum proposuerunt, quamque Editores in illa, A. 1757. populariter grassante, maligna et petechiali febre, abunde comprobata experti sunt.

Art. 9. pag. 43. et Art. 77. pag. 472. III. HOR. WALPOLE Relatio ab ipsomet exarata, de Calculo, quo laboraverat, cuiusque diris a cruciatibus liberatus est, usu Saponis, et aquae calcis vivae, ex ostrearum testis calcinatis paratae, ex consilio Edimburgensium, Vol. 5; quo lithontripicum illud Anglicanum *Jo. Stephens* mirifice confirmatur.

Art. 39. pag. 265. Epit. Epp. II. CAR. ALSTONII, de Calcis vivae singulari proprietate, suam virtutem per tres tantum annos conservante, nunquam ante observata; quam in rem consulendus in primis est, qui hoc argumentum de Calce viva recentissime ac solidissime tractavit, *L. Fr. Meyer*, Pharmacop. Osnabrug. in Tentaminib. Chem. germanice conscriptis A. 1764. et *Crantzium* quoque evoluendus.

Art. 16. pag. 123. Relatio de Iliaca passione, ab intestinorum crassorum paralyfi orta, ex repressis praesertim rheumatismis. Propinatus propter alvum vakte adstrictam
mercus

mercurius vivus, neque tamen per inferiora cum excrementis eiectus, sed per superiora cum iisdem ex parte reiectus, postque fata, caeco intestino gangraenoso ac perforato, in cavum abdominis effusus, quam caute cum illo mercandum sit, satis evidenter docet.

Art. 62. pag. 384. et Art. 87. p. 514. MORDACH MACKENZIE Relatio de Peste Constantinopoli saeviente, aliquot epistolis comprehensa. Vidit illam per 20. annos sporadice saepius, quam epidemice grassantem, perque unicum annum Constantinopolim ab isto malo liberam; docetque, dispositos illam adgredi, per contactum propagatam tantum, absque tradita ambienti aeri malignitate: quare foribus clausis tuti vivant, etiam in proximis aedibus saeviente hae.

Art. 76. pag. 470. RICH. BROOKE Ep. de Infectione Variolarum; rectius, de nova methodo Variolas excitandi per contactum. Fufius hanc suam methodum, eodem fere tempore, exposuit *Auctor* in Diario, viris ingenuis dicato, (The Gentleman's Magazine,) ad An. 1752. sibi que incruentam hanc chirurgiam in aliquot infantibus ad votum successisse commemorat: sed eodem experimento, a Dr. *Congers* in quatuor infantibus deinceps instituto, eventus spem fefellit, in eorum nullo nec febre variolosa, nec variolis excitatis.

Art. 85. pag. 503. Epit. Epistolar. de successu quem Variolarum Infitio *Genevae* habuit, circa An. 1751. longe exoptatissimo; deque novo experimento, motu in consueto loco per vesicatorium, dissectaque vesicula, excoriatae parti pulvillum, varioloso pure intinctum, superimponendi, feliciter capto.

Art. 97. pag. 570. Epit. Epistolae BROWNI, Sarisberiae datae, de Infectionis Variolarum successu ibidem observato. Ex 422. Subiectis, intra 6. menses inoculatis, 4 morti praeda cesserunt, uno magis per negligentiam oppresso; 5. aut 6. repetita licet chirurgia, variolas non experta sunt. —

Laetiora longe huius efficacissimae medicinae experimenta cepit *Davidus Schultz*, in Suecia, inter 7. ad 8000. hominum nullo neque mortuo, neque in minimo periculo versato, cuius rei fidem imprimis facit *J. A. Murray* Hist. Infit. Variol. Suec. Gotting. 1767.

Art. 68. pag. 412. THOM. WILBRAHAMI Relatio de Hydrophobiae quodam casu, viri annor. 30. a cane in manu altera leviter admorsu, vulnuscule mox sanato, sanitate nihil quidquam interrupta. Sed post 9. menses, praeter opinionem, primum vomitu, altero die hydrophobia, corripitur, morbo iam quarto die diris cum symptomatibus ad fastigium perducto.

Art. 13. pag. 92. TH. DEBENHAMI Observatio de femina, ex cuius corpore ossa fetus extracta fuerunt. Femina 44. annor. 7. liberorum mater, sentit dolores ad partum, paucos sanguine effusa cessantes; post annum integrum dolores iterum vehementes ingruunt, propinato anodyno paulum cedentes; paulo post dolor, tumor, rubor circa umbilicum; aperto tumore, atque ampliato vulnere, ossa fetus exeunt atque eximuntur, laesis ab ossiculis intestinis faeces etiam hoc loco egrediuntur, et ossa quaedam per vaginam excernuntur, aegra deinceps feliciter persanata.

Art. 90. pag. 530. *Epit. Epistolar. II.* TH. HOPE, Parisiis scriptarum, de methodo *Davieli*, medendi Cataractae; cui inventi gloriam adserit, et felicem huius methodi eventum testis oculatus depraedicat; quam in rem conferri volunt Editores *Commentar. Medic. Lips.* Voll. II. et XIII. in elogio *Davieli* commemorantes, hanc operationem ab *Ac. Reg. Sc. Paris.* A. 1707. iam problematicae propositam, post A. 1730. vel millies ab hoc laudato Chirurgo dexterrimo, exoptato semper cum successu fuisse institutam.

Art. 66. pag. 407. Relatio IOS. WARNERI, de operatione Empyematis feliciter praestita, interque 10. et 11. costam,

costam, 4. pollices a vertebra, scalpello peracta, puris un-
 eiis 20. emisiss, aegroque, mox remittentibus sympto-
 matibus, intra 6. hebdomadas integrae sanitati restituta.

Art. 79. pag. 475. IDEM de frusto ossis, una cum
 calculo ex feminae vesica urinaria feliciter extracto, urethra
 oblique incisa, aegraque, iam altero die urinam retinente,
 mox integre curata. Frustulum ossis nucleum calculi con-
 stituit, eiusque canitates lapidosae et pilosae particulis refer-
 tae comparuerunt.

Art. 40. pag. 267. Relatio de nuper inventa acu tri-
 quetra ad perforandum hydrocephalum, auct. LE CAT, fi-
 guris in Tab. X. expressis. Apparatu hoc, licet admodum
 ingeniose excogitato adhibitoque, eventus tamen expectatio-
 ni non respondit, infante quinto post operationem die mor-
 tuo.

Art. 45. pag. 292. EIUSDEM Observationes de
 fungosis vesicae urinae excrescentiis, in vidua, calculo ali-
 quot annos laborare credita, inciso vesicae collo, repertis,
 partim extractis, partim contritis, aegra tamen post duo
 dies violenta febre extincta. Instrumenta operationi apta
 reddita, cum vesica excrescentis obsita, in Tab. XI. XII.
 XIII. delineata sistuntur.

Art. 51. pag. 324. EIUSDEM epistola de duobus
 Herniarum generibus admodum raris; altera, per ruptu-
 ram peritonaei facta sacco tamen adhuc comprehensa, in
 Tab. XV. depicta; altera per peritonaei dilatationem oriun-
 da, duobus veris saccis inclusa; cum duabus aliis observatio-
 nibus Anatomicis.

Art. 54. pag. 341. EIUSDEM Anatomica disse-
 ctio Herniae, in Tab. XVII. delineatae, et in *Transactionib.*
 No. 460. iam communicatae ac descriptae; post fatum
 aegrae incurabilis, cum ano praeternaturali olim ex nosodo-
 chio discedentis, nunc autem reversae, cultro anatomico in-
 vestigatae.

Classis IV. MISCELLANEA.

Art. 53. pag. 333. Ep. IAC. DODSONI, de ratione, qua indices hominum quovis anno demortuorum, utiliores reddi queant; sc. notando eos, qui in loco conditorum indicum nati moriuntur; indicando sexus sequioris morbos; sollicite connotando aetates vitae humanae profectiones, praesertim intra annos 40. 45. 50. quorum plurima iam satis excusit *Süssmilchius*.

Art. 18. pag. 131. Epit. Litterarum, per FREEMANN Neapoli missarum, de ruinis urbis Herculaneum dictae; cuius situs describitur, et pars theatri diruti, sed nondum prorsus eruti. — Observant tamen Editores, cum ista descriptione non prorsus consentire, quae *Requier* in *Recueil historique et critique etc.* Paris. 1754. observata habeat.

Art. 21. pag. 150. Epit. Epistolae, Neapoli missae, de Herculaneo, continentis descriptionem loci, et quidquid ibidem inventum sit.

Art. 33. pag. 216. Observationes TH. PERCIVAL, de Romanorum coloniis et Itativis, in Comitibus Cestriensi et Lancastrienti, c. Figg. in Tab. VIII. et IX. delineatis; quos duo posteriores Articulos, in sequenti Volume recensendos sibi servant Editores, chartae angustia hic exclusi.

CHRISTIANI ADOLPHI KLOTZII OPUSCULA
varii Argumenti.

Altenburgi, ex Officina Richteriana, MDCCCLXVI.
plagg. 21. in 8.

In vario quamvis argumento hi libelli, unum tamen genus scriptorum referunt. Etenim omnes ingenium non vulgare

gare aut mediocre; multam et accuratam veterum lectionem; libertatem ingenuam cum modestia coniunctam; in veterum libris interpretandis, locisque singulis pensandis aestimandisque, acumen et solertiam; denique in eorum institutis, praeceptis, et artibus, ad usum transferendis, peritiam facultatemque felicem, testantur. Unde recte fecit Auctor, qui moveri se passus est amicorum hortationibus, quibus effectum est, ut nullo ipsorum damno, plurimi in eiusdem cum iis commodi, haec scripta coniunctim relegendi, servandique, societatem venirent.

Prima est dissertatio de *Lipſii latinitate*. Pauca, tanquam minus huc pertinentia, de moribus viri attinguntur. Lipſii latinitas, quod ex primis eius scriptis intelligitur, primum ad Ciceronis imitationem conformata fuit. Cum autem quosdam sui temporis istam aemulationem eo usque videret intendere, ut nihil, quod in Cicerone non legeretur, verbum nullum, nullam dicendi formam, in suis scriptis auderent ponere, parum illi solliciti, an vim quoque et animam orationis Ciceronianae referrent; revocatus a studio pristino, omissis coaetaneorum tricis, peculiarem sibi orationis fugendae formam adsevit, quam non iam diceres Ciceroni, vel Caesari, vel Nepoti, vel Livio similem, sed ex omnibus antiqui temporis scriptoribus, maxime tamen ex se ipsa expressam. Num in eo recte fecit? Fatendum est. Nam semel latinitatis praeae terminis constitutis, ex omnibus scriptoribus, quibus opus est, ea ad usum in scribendo transferre licet. Si tamen ulla est ei cum quoquam similitudo, certe est cum Seneca: quod nonnullos sic interpretari meminimus, quasi, qui Ciceronis copiam, auctoritatem, gravitatemque, in dicendo scribendoque, assequi se posse desperasset, converterit animam ad Senecae breviter, acuminata, lususque verborum exprimendos. Reprehensum se; quin etiam vituperatum ab hominibus sui temporis, ipse loquitur; fecerunt idem, qui postea venerunt; quorum nonnulli,

nulli, ob invidiam, malignitatem, et reprehendendi ferociam, breviter dimittuntur, alii alia de causa non audiuntur. Quid autem accusant? brevitatem, antiqua verba, obscuritatem. Videamus de singulis. In primo crimine diluendo respiciendum est ad argumentum scriptorum Lipsii. Hoc brevitatem hanc ferebat. Idem scriptores porro, in diversi generis libris non eandem rationem scribendi servant. Virgilius aliter in Eclogis, quam in Aeneide scribit: Cicero in Epistolis ad Atticum aliter, quam in orationibus vel in philosophicis. Neque vero arguta sententiosaque dictio est in vitio reponenda. Quod ad alterum attinet, ad antiqua verba, si forte Plautina intelliguntur, ipse se Lipsius defendit, qui Plauti lectionem alicubi scribit, *stilum perficere*. Poterit illud adungi, quod ipse Cicero Plautinis Terentianisque uti non refugerit. Considerentur rursus Lipsii libri. In Antiquitates illustrantibus, et Criticis libris, hoc ferendum. Nec minus in Epistolis, in quibus scribit ad viros doctos, qui magis quam reliqui, quorum in manus forte veniant, respiciuntur. Ait Lipsius, *sunt opinione alia, alia natura antiquo*, utique pro doctorum, vel indoctorum sensu. His remotis, concidit quoque tertium. Nam et hoc crimen tantum respectu legentium viget. Qui in aliqua disciplina hospes est, ut qui in mathematicis, ei libros ad eam pertinentes obscuros esse necesse est, quos quidem alii, gnari eius, nulla difficultate intelligunt et interpretantur. Sic qui morbo regio laborat, ei omnia flavescunt: qui parum latinis literis est exercitatus, ei ubique occurrit in quo haereat. At adspersit Graecorum verba. Hoc fecerunt alii. Sufficit in orationibus non fecisse. Eius exemplum corrumpit iuventutem. Non sua culpa. Male, si qui, cum non possent, idem tentaverunt. Ergo qualis tandem sit Lipsiana oratio, ipsius verbis cognoscitur. Vindicat enim sibi *stilum habere aliquid eruditum, et acre, et non calcatum*. Auctor sententiam suam declarat his verbis: „Est enim illius oratio brevis, parca, fortis, virilis, vivida, doctum aliquid spirat, ab omnibus
leno-

„lenociniis et a fuce remota quidem, sed iucunda tamen et
 „suavis, adstricta verbis, sed plena succi et sanguinis. Mem-
 „bra sunt crebra et abrupta: interrogationes et exclamatio-
 „nes frequentes: structura verborum arcta et pressa, sed fa-
 „cilis eadem atque illaborata, illaboratae certe speciem ha-
 „bet: sententiae sunt novae, acutae, et inexpectatae: pauca
 „saepe verba praeclaras sententias continent: verba ipsa la-
 „tina, pura, casta, interdum, ubi locus eis aptus, prisca et
 „antiqua: adpersi subinde versiculi, sententiae veterum,
 „proverbia: ex antiquis dictis, et prisca ritibus, orationis Ve-
 „neres saepe derivatae: lepores adsunt permulti, et amabi-
 „lis quaedam venustas: brevitatis est simplex, non arida, non
 „frigida, non elumbis, non adfectata, et iucunda et fortis:
 „nulla obscuritas, nullae tenebrae etc.“

[Sed fortasse illa brevitatis Lipsianae orationis, una cum
 brevitatis Senecae, quaecumque convenit, non quod ex ea ex-
 pressa sit, sed quod sponte ad eam inclinaverit, intercidit.
 Certe brevitatis non recte iudicatur punctis crebrioribus. Alio-
 quin in sermone imperitorum, et mulierularum, et puero-
 rum, mira esset brevitatis, cum contra habeat. Caret He-
 braeorum sermo periodis, crebrae sunt interpunctiones. Ne-
 mo tamen de brevitatis gaudeat, si quis amicus sit, sed pluri-
 ma, quae abundant, repererit. Ausim hoc affirmare, ne-
 que hoc aequis rerum aestimatoribus probaturum spero, ar-
 gumentis denique, si quis dubitet, planum facere posse, ma-
 iorem multo esse Senecae, quam Ciceronis, loquacitatem ver-
 bositatemque. Unde haec? ex neglectu periodorum.
 Periodi huius quamvis longae, plus habent brevitatis, quam
 illius crebra puncta. Vitium est commune etiam nostris ho-
 minibus, qui, quod certam periodorum legem nesciunt cum
 aliquid scribendum est, vel, ut in circulis matronarum, so-
 lutas quasque sententias spargunt, vel corrupto ordine ora-
 tionem impediunt. Hinc brevitatem quoque eorum, qui
 longas periodos trahunt, notari videmus. Thucydidem
 nonne

nonne scimus brevitate notum, eoque nomine obscurum, periodorum tamen longitudine omnibus satisfacere? Quid? huius imitatores Sallustius, Tacitus, diverſi ſunt a Senecae diſtione, et tamen breves.]

Iſta quidem, cum primum inter ſodales Latinos ſenae receptus eſſet, ex more A. diſputavit. Ex officio autem et pro tempore ea, quae initium huius diſputationis faciunt, quae ſeparatam ab reliquo argumento tractationem habent, et ad grati animi ſenſum, argumentis idoneis declarandum, referuntur. In videndis, quae rei cauſaeque convenient, ſollemtem, et in eloquendo amplum, copioſum, artificemque non vulgarem, probant et reliquae orationes. Iſtarum duo adhuc ad eandem ſocietatem pertinent. Altera, qua dignitatem utilitatemque ſtudiorum humanitatis laudat; altera quam ſub diſceſſu recitavit, qua lenenſem iuventutem, ad contuenda magnorum in iſta urbe in quacunque parte doctrinae virorum exempla, ab avorum memoria repetita, graviter cohortatur. In oratione, eodem loco habita, qua dies natalis Amaliae principis Vinarienſis celebratus fuit, preſſo pede Veterum in tali genere exempla ſequitur. Laudatur Amalia primum a natalibus et ſtirpe, deinde a pulchritudine, tum ab ingenio et artibus, mox a cura domus, pietate, iuſtitia, denique cura civium, et potiſſimum Academiae. Sequitur Oratio adeundi muneris profeſſorii cauſa Goetttingae dicta; in qua, non ut vulgo fit, aliquam ex arte ſua materiam tractat, ſed ex re propoſita, et iis quae ea oratori ſubminiſtrat, eleganter diſputat. Omnia ad unam ſummam, grati et perſuſi gaudio animi declarandi, revocantur. Quod fit commemorando, a quo hoc munus acceperit, per quos viros, qui ipſe fit, quo in loco ſibi nunc vivere heſat, cuius amoenitas laudatur, ipſius muneris ratio quos labores, ſed quam iucundos ſecum ferat, cum ipſi in quotidiana conſuetudine virorum omnis aevi celeberrimorum ſapientiſſimorumque vivendum ſit. Denique civibus, collegis, Academiae univerſae, fidem obſtringit. Huic

Huic Orationi praemissa fuit profusio, de populari dicendi genere. Querelae saepe fiunt de amissa eloquentiae praece, qua Demosthenes Philippum exterruit, Cicero Catilinam eiecit, populum concitatum lenivit, iudicum animos vel ad iram provocavit, vel ad misericordiam flexit, vi et auctoritate. Atqui nostris temporibus ne quidem opus est hominibus ista veterum eloquentia. Nec in foro et in iudiciis, nec in concionibus multa contentione agendum est. In gratulando, in deferendis recipiendisque muneribus et honoribus, fere omnis nostra se eloquentia iactat. Quibus de rebus quae dicere conveniat, sponte se omnia offerunt. Quo magis mirandum est, in his quoque viros alioquin non indoctos, quid proferendum sit nescire, ad argumenta dicendi quaerenda longe abire, doctas et subriles de arte sua, aut de quodam doctrinae capite habere. Adeo homines coecutiunt, ut quod deceat, et in medio positum sit, non videant; quae minus conveniant, aliunde non sine labore arcessant. Neque vero cogitant, in tali consensu esse multos, qui, quoniam de re ab sua arte professioneque aliena disputatur, sudent, aestuant, et finem dicendorum exoptent. Qualem ergo tunc Orator se gerere debeat, cognoscitur maxime ex popularitate, quam omnis oratio habere debet, monente Cicero I. de Orat. c. 3. ubi peccare eos dicit, qui a vulgari sensu in dicendo abhorreant. Tum ex dauno, quod neglecta ista popularitas facit literis earumque existimationi, quasi qui eas tractarint scholae tantum locis, non vitae officiis obeundis ornandisque apti sint. Porro, ex origine eloquentiae a quaestionibus finitis, non infinitis, quae philosophis relinquuntur, repetendo. Hinc intelligitur popularitatis indoles, de qua Auctor his verbis loquitur: „Popularis igitur Orator, totum animum, omnemque cogitationem in illa re, quae dicendi occasionem praebuerit, defigat: non solum, de qua re sibi dicendum sit, sed etiam quid hoc tempus, hunc locum, hos auditores deceat, videbit: hinc totius orationis conformandae rationem petet, eamque ita instituet, ut quae

„sibi proposuerit consequatur. Indagabit causas: naturam
 „rei considerabit: auditorum sensum et voluntates observa-
 „bit: atque imprimis hoc dabit operam, ut mores dicentis
 „ex oratione pelluceant et quodammodo cognoscantur, ut
 „optabilem de prudentia, probitate, benevolentia, modestia
 „sua, in animis audientium opinionem concitet. Senten-
 „tiis utetur neque subtilioribus, neque obscuris, eoque dicen-
 „di genere, quod suae causae maxime accommodatum esse
 „intelligat.“ Ad extremum additur, nullam causam, de
 qua quidem dicendum sit, esse posse tam tenuem, ut Orato-
 rem elinguem destituat, nec probabilem dicendi materiam
 praebet. Quodsi talis inciderit, tamen refugium Oratori
 in loco quodam communi, sed eo, qui ita sit cum causa
 coniunctus, ut non quaesitus, sed sponte natus, et unicui-
 que facile reperiendus videatur, paratum esse. Hoc artifi-
 cio Auctorem usum fuisse deprehendisse nobis visi sumus in
 oratione, qua Friderico M., Friderici Wilhelmi Borussiae
 iuventutis principis, cum Elisabetha Christina Ulrica nuptias,
 nomine Academiae Halensis gratulatus est, cum ad domus
 Brunsvicensis erga Borussiae gentem, pietatis, officii me-
 ritorumque documenta collaudanda digreditur. Cui audi-
 endae in Programmate de Friderico M. postgenitis caro,
 praemisso, quantam haec nuptiarum conciliatio ad amorem
 ei totius gentis promerendum, et ad posteros propagandum
 vim habeat, quantumque ista laus, reliquas ipsius laudes
 antecellat, demonstrare conatur.

In dissertatione de felici Horatii audacia primum eam
 esse fere Lyricis propriam monet; tum deinde in quibus
 cernatur docet. In initio Odarum abrupto, in continuata
 per plures strophas sententia, in perturbato ordine, vel
 cum animus vehementius commotus est, vel extra hanc
 causam. Hic bene contra plurimos, nec indoctos Horatii
 interpretes, admonet, verborum Od. IV, 15: *Phoebus volen-
 tem praelia me loqui Victas et urhis, increpuit lyra: ordinem*
 esse

esse hunc, ut *inrepuat* non iungatur cum *lyra*, sed referatur ad *loqui*, sic: Phoebus volentem *lyra* loqui proelia, et victas urbes, *inrepuat*. Porro, in digressionibus, in saltu ab uno ad aliud, in sententiis audacibus: verbi causa cum de fama sua, loquitur, Augusti laudes celebrat, pulchritudinem pingit, et vim amoris indicat. Veluti cum canit IV. 13. *quae me surruerat mihi*: quod comparat cum Callimachi, qui eodem sensu ἀσπάζειν dixit, locis, Epigr. 32. ἔγνω Ἐυζιθεός σε συνήσπασε, et ep. 43. Addi poterat Epigr. 47, 3. αὐτὴ Νέμεσις με συνήσπασε: et non tantum apud Poetas, sed reliquos scriptores, verbum hoc de vehementiori quadam vi usurpari. Unum ex pluribus, apud Philonem locum, commemorasse iuvat de Plant. N. pag. 219. ὅλον τὸν νῦν ὑπὸ θείας κατοχῆς συνασπασθεὶς οἶστρον. Ex quo simul intelligi potest, id, quod nobis certe visum est, nimis hic evagatum fuisse Auctorem, et ad audaciam ea quoque, quae non oportebat, retulisse. Tum ad elocutionem conversus, observat audaces figuras, veluti cum, quae hominum sunt, rebus inanimatis tribuuntur. Mentio fit loci IV, 4, 42. *Dirus per urbis Afer ut Italas, Ceu flamma per taedas, vel Euris Per Siculas equitavit undas*. Scribit, negari non posse, poetam Euro quoque equitandi notionem tribuisse: sed nobis tamen ad *dirus Afer* referri videtur *equitavit*, quocum etiam per temporis praeteriti rationem coniunctum est, et per Syllepsin tantum ad flammam et Eurum, ita ut aliud aptius his, qualia sunt verba *corripere* et *perrumpere*, ex *equitare* suscipiatur. Hunc morem in aliis scriptorum locis facile agnoverunt et explicarunt interpretes. Vid. Cortii index in Sallust. voce *Ellipsis*: Drakenborch. ad Silium XII, 64: Ernesti ad Xenophont. Mem. S. II, 1. Od. III, 1, 30. ubi adhuc legebatur — *arborē nunc aquas Culpante nunt torrentia agros Sidera*, putat legendum esse *αγρὸ*: acute, et, ut opinamur, recte. Sed quam Od. III, 24, 51. attulit, emendationi, *Eradenda Cupidinis Paruis sunt elementa*, pro *Praui*, non multum tribuimus: primum propter verba in eadem syllabas exeuntia; deinde

propter ambiguitatem, non enim statim expeditum est, utrum Cupidinis elementa parvi h. e. pueri ipsi, an alii in parvis eradere debeant. Utrumque vitium sollicite cavent poetae et scriptores alii. Refert huc porro, rara vetera, et insolentiora nova verba, qualia sunt: 1, 3. *diffociabilis*, pro eo qui valet dissociare. *Catus*, et *decorae more palaestrae* I, 2. 1. de quo dubitamus. *Motus civicus* II, 1. *inaudax raptor* III, 20. *malis vino lavere* III, 12. *Mollibit* 23. *clarare* IV, 3. *tutela Deliae deae*, pro eo quem tuetur dea, 16. et alia. Denique Graecismos, quos breviter tangit, et plura ex Vechneri Hellenolexia desiderantes repetere iubet. Laudamus diligentiam, qua, quidquid fere poeticum nec pedestre est, observatur in hac dissertatione et explicatur. Quo tamen ipso audaciae fines nimis dilatatos arbitramur, et ad ea quoque, ad quae ipse fortasse non respexit, accommodata Quintilianiani verba, quae toto libello fundamento sunt, Inst. Or. X, 1. *Horatius* — *verius figuris et verbis felici sine audax*.

De *Nemoribus in tectis aedium Romanorum* dissertatio ita descripta est, ut primum de Luxu Romanorum in universum disputentur quaedam, quo, sicut institutum fuit fontes intra tecta duci, et alia eiusdem generis, ita hortos, quibus vehementer delectabantur, in tectis haberi coeptum. De inventore nihil certi constat. Sergio Oratae quidem a Plinio H. N. IX, 79. et Valerio Max. IX, 1. balneorum pensilium inventio tribuitur; sed hortorum eiusmodi usum, si quis ex eodem XV, 14. Plinii demum aetate susceptum putet, sciat, eos iam ab Horatio Epist. I, 10, 22. et Tibullo III, 3, 15. commemorari. Petiisse autem a Thebanis, aut a Babylonis, probabile est, quorum hortos pendentes accurate describit Diodorus Sic. L. II. p. 98. ed. Hanov. et Curtius V, 1, 32. qui *hortos pensiles* dicit. Sed an apud Romanos quoque hi horti pensiles vocati sint, in dubitatione est. Nam *tonsilis sylvae* apud Senecam Nat. Quaest. I. praef. non in *pensilis*, a quo cum Lipsio III. Auctor non plane alienus videtur, formanda est, cum is locus non clare de hortis in alto
et

et super tecta satis, loquatur, adeoque et qui ante fores, aut in porticu fuerint, intelligi possint, de quibus et Horatium loqui verosimile est III, 10, 5. *Audis quo strepitu ianua, quoniam nemo intra pulchra situm tecta remugiat*: ubi *satum*, quod est multo latinus, cum Bentleio tuto recipiendum suademus, contra quem, quae Ill. Auctor dicit, nihil valent. Non fuerunt hi horti iidem cum hortis Adonidis, sive arbusculis floribusque e vasis humo oppletis excresecantibus, quos more nostrorum temporum in fenestris Romani habuisse videntur, Martial. XI, 19. Nam saepius scriptores *sylvarum* et *nemorum* et *viridarium* mentionem faciunt: Seneca pater Contr. V, 5. *alunt in summis culminibus mentita nemora*; Seneca philosophus ep. CXXII. *Non vivant contra naturam — quorum sylvae in tectis domorum ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egissent*; Iauolenus l. 12. Dig. de fervit. praed. urb. *Aedificia — viridia supra eam altitudinem habere possunt* —. Virgilii locus VII. Aen. 170. huc trahi non potest. Antiquis temporibus, quae recentiorum sunt, per errorem tribuit Seneca in Thyest. v. 464. *nulla culminibus meis imposita nutat sylva*. Quaeritur, quas habuerint in tectis arbores? Auctor respondit lotos fuisse, Volkharti sententia, qui amaras platanos quoque putat, reiecta. Verumtamen locus, quem in eam rem addert, Plinii, commemorat quidem lotos, sed ibi de hortis potius tectis domibusque adiacentibus, quam iisdem impositis, sermo est. Deinde quis non intelligat, non unius eiusdemque, sed varii generis arbores et fruteta fuisse, vel solo *sylvae* vocabulo admonitus? De his sylvis loqui putat Rutilium Itin. v. 111. *Quid loquar inclusis inter laquearia sylvas? Vernula qua* [nam sic recte dubio procul legitur] *vario carmine ludat* [vel *iudit*] *avis*. Quod esse non potest. Nam *inter laquearia* quomodo aliter intelligamus, quam locos quosdam domus, et cellas magnitudine amplas, ornataque parietum splendidas, quae arbuscula plantasque illatas, virides semper florentesque fervent; idque et propter frequentia, *Vere tuo nunquam mulceri defuit*

definit annus *Deliciasque tuas victa tuetur hiems*, et propter verbum *inclusas*. Caveae in iis ayium quarum, pariendis ovis et excludendis, proles augetur. Quam poeta *vernulam*, eleganter, hoc est domesticam avem, nominat. Quod Auctor huc trahit Ovidianum illud: *indocili loquax gutture vernat avis*, alienum est. Structura talium tectorum, qualis fuerit, facile licet existimare. Exponitur tamen ex meate Lipsii ad Senec. Ep. CXXII. in fine dissertatiunculae.

De epistola ad amicum *de minutiarum studio* et rixandi libidine grammaticorum quorundam, cui libellus contra se emillus scribendae occasionem dedit, nihil est quod dicamus, quam haec pauca, cum nihil vehementis, nihil irati, nihil importuni, nihil minacis habere, contra sapientiae plurimum, omnia iucunda, iocosa, adperso acumine et narratiunculis, gratissima varietate delectantibus, et quamvis longam nullo taedio legi.

Pergimus ad Libellum *de Verecundia Virgilii*. Verecundiam poetae ex ipsius vultu, qualis in Musei Capitolini Vol. I. Tab. II. exhibetur, Auctor agnoscit. Sed eandem referunt quoque imagines poetae apud Fulv. Ursinum et Leon. Augustinum, mire consentientes cum eo eius ore, quo offertur in gemma, omnibus antiquitatis notis spectanda, de qua tradit b. Christius in programme a. 1754. edito, et ob hoc ipsum suspecta non habenda. Nam in ista quidem gemma adolescentulus forma egregius, et quam proxime ad eximium virginis speciosae decorem accedens, spectatur, hedera coronatus, et canentis in morem labellis lemiter hiantibus. In iis autem, coma in cincinnos cirrosque lepide composita, atque in tunicis, humero nudato, cultus est. Unde laudatus modo Christius iudicandum monet, artifices veterum manus eleganti acumine sic poetam inter Latinos principem, qui puer forma quoque florisset, reddere in imagine voluisse, ut species illa anceps inter Musam et poetam.

poetam, divinam ingenii talis vim amplius laudaret. Verecundiae quoque ei Donatus et Servius testimonium praebent, ita tamen, ut hanc laudem, libidinis pronioris in pueros crimine tollere videantur. Certe in his, sicut in ceteris narratiunculis, horum hominum fides suspecta, praesertim si quis cogitet, eorum verba insuper a descriptoribus interpolata, cuius rei non obscura cernuntur vestigia. Videnda quae Heynius ad Virgilium nuper disputavit. Deinde intelligendum est, alterum altero non tolli, et bene Ill. Auctor tandem addit: „Verum non licet nobis aliquid „certi de hac re statuere.“ His autem eorum hominum verbis, quibus ore probus laudatur, superstruit disputationem omnem, in qua docet, ab omni verborum obscenitate abstinuisse, et rebus turpioribus exprimendis honestiores loquendi formas adhibuisse, vitasse quoque verba quaeque fordida. Quae laus ipsius, etsi verissima sit, tamen ista verba ad eam rem non pertinent, quibus non nisi forma laudatur. Graecorum exempla, quae veteres verecundiae in sermone studiosos fuisse probent, larga manu congeruntur. Purgantur deinde loci quidam Virgiliani a turpitudinis nota, sed ita, ut Auctor in hac re quodammodo laborasse nobis videatur. Veluti in interpretando illo Ecl. II. 2. *Delicias dommo.* Iterum III, 7. *Parcius ista viris tamen obicienda memento.* In his certe nihil turpe, si, quod verum, *viris* cum Auctore Cel. explicetur, *nobis*, vel, quod malimus, quoniam illud nimis languet, *importerritis, nihil timentibus;* sed reliqua, *Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis, Et quo sed faciles Nymphae risere sacellos* nondum sunt perpurgata, non propter faciles, nam nihil vident qui aliter accipiunt, quam *mites, benevolas*, nec cogitant differre *faciles viris, et faciles simpliciter*, sed propter cetera. Dicamus paucis. *Et — et accipiendum videtur pro cum — tum: qui te*, ellipsin habere verbi alicuius nequitiam indicantis, manente nihilo minus verecundiae laude poetae integra.

Sequuntur Excursus tres, quorum primus pastorum in eclogis Virgilio mores examinat. Hic observatur, in aliis bene expressam simplicitatem huic hominum generi communem; in aliis a moribus pastorum aliena dici, animadvertitur. Interdum enim nimis docte loquuntur Ecl. I, 62. ubi ad indicandam rem, in effectum nunquam venturam, fluviorum, eorumque non vicinorum, sed magno intervallo seiunctorum, mentio fit. Interdum nimis delicate, ut cum aliquis *Ariusis vina* Ecl. V, 71. fundenda promittit. Nos quidem putamus haec ferri posse, cum nonnunquam et rustici rebus urbanorum vel nomine tenus gaudeant, et ista iactantiae saepe causa commemorentur a pueris maxime, vel adolescentibus, elegantiae laudem prae ceteris appetentibus. In Ecl. II, 11. *Alia serpillumque herbas contundit olentes*, ad sensum messoris et rustici contendit explicari debere *bene*, non *male odoratas*, quod necesse sit, istas suaviter olere messoribus quidem. Nos putamus simpliciter exponendum *fragrantes*, *valde olentes*. Neque vero quod patientiores sunt, et magis adfueti ferendo odori gravi et foetori isti homines, ideo etiam suavem et iucundum sentiunt. Hisce quaestionibus obviam ivisse putamus Heynium, in dissertatione praemissa eclogis, de Carmine Bucolico: ubi politiores data opera ab Virgilio pastores induci docet.

Virgilio quarta ecloga, quae vaticinium de Christo Salvatore continere quibusdam olim visa est, occasionem Excursus II suppeditavit. Indicatur autem qui factum sit, ut profanorum scriptorum quoad verba cum sacris interdum similitudo sit. Causa nonnulla est in descriptorum christianorum interpolationibus, quarum aliquot specimina referuntur. Sed ista disputatio, ut ipse Auctor fatetur, nullam cum huius eclogae explicatione coniunctionem habet, in qua ab omni corruptione libera omnia et integra Virgilio relinquit. Et huic quaestioni nunc demum satisfactum est ab Heynio.

Excursus

Excursus III. explicationes et emendationes quasdam eclogarum poetae continet. Ecl. V, 40. pro, *inducite fontibus umbras*, legit *frontibus*, et exponit, e cupressu ferta obvolute capitibus. Sed nondum nobis persuadet. Ibid. v. 36. *Candidus insuetum miratur lumen Olympi*. Legendum conuicit *lumen*: sed videndum an id latinitas ferat, quae potius desiderat *lucem*. Non magis recte aliquis dixerit, *lumen diei*, in *lunine urbis vivere*. Aliter apud Ciceronem *lumen curiae* dicitur. Si quid videmus, et aliquid tentandum est, legendum arbitramur *culmen Olympi*: nam et *lumen* et *culmen* solere confundi, Nic. Heinsius ad Claudianum I. Rapt. Prof. v. 8. docet; et cum sequentibus rectius sic omnia cohaerent:

*Candidus insuetum miratur culmen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnic.*

BENIAMIN GOTTLIEB LAURENTII BODENI,
in Studiorum Universitate Wittebergenfi Prof. Publ.
Carmen, in tristem obitum IOANNIS WINCKEL-
MANNI, per insidias reipublicae litteratae ante
diem erepti.

ALEXANDRO ALBANI, EMINENTISSIMO CAR-
dinali, summo eius, dum viveret, Patrono, atque
omnibus Artium Fauctoribus sacrum.

Vidi reclusos, tristis, ohe! mauct
Infixa tristi visio pectori,
Vidi per umbram noctis atrae
Terribiles Erebi hiatus.

116 NOVA ACTA ERUDITORUM

Quae monstra vidi! Talia non avi,
Quum stagna lentae traicerent Stygis,
Non ante viderunt Ulysses
Talia Dardanidesque monstra:

Altis sedebat sub tenebris stupor,
Late superbis imperiis tenens
Gentes, diu quem Numen ingens
Pars hominum potior colebat.

Vefana coniux, luminibus carens,
Horrenda visu, (barbariem vocant,
Haerebat ad sponsi finiftram,
Brachia nexa cruenta collo.

Concussa tandem regna fua artibus
Auctis dolentes, non fine murmure
Deliberabant, quid salutem
Imperii dubiam iuaret?

Eheu! tyrannum, cui caligae dabant
Cognomen *), artis perniciem, advocant,
Aptum viris truncare colla,
Ac ftatuas mutilare fanctas.

*) *Caligula.*

Sicis

Sicis cruentis et laqueis manus
Et os veneno mortifero duplex
Armant in artem, et sic paratum
Ire iubent superas ad auras.

Parens cruentis imperiis, obit
Suspecta cultu regna, nefaria
Nunc morte, tollendis patronis
Artificum, nociturus arti.

Morbus, ministro barbarico datus
Fidus comes, vim sufficit improbam,
Si caedis instrumenta coeptis,
Sique doli fuerint minores.

In *Christianum*, Saxoniae Decus,
Hic virus efflat pestiferum, ulcera
Per corpus effundens, et ipsam
Eiciens animam sub auras.

Miscentur aegris compita luctibus,
Artesque plangunt, haud secus, ac pia
Proles adempti patris urnae
Cum gemitu illacrymatur alto.

Cernit gementes barbarus, ac simul
 Caros Alumnos Functi, *Hagedornium*
 Unaque *Lippertum* Minervae
 Eripere e gremio minatur.

At diva natos protegit aegide.
 Vivunt: sed hostis teter anhelitus
 Unius (horrente arte) visum,
 Alterius vitiabat aures.

Hinc multa transit monstrum hominis loca,
 Sternens et ipsos artifices humi,
 Sternens *Hogarthum Vanlounque*
 Innumeros aliosque sternens.

At, cur abes, dic, cur abes, Hercules,
 Domare praefens monstra ferocia?
 Dic, cur abes defensor acer?
 Dux malefide novem fororum!

Teli sub ictu est, qui lapidi tuo
 Dignos honores restituit, colens
 Numen, te ubi nentem (virorum
 Opprobrium) reliqui videbant. *)

Per

*) *Intelligitur Hercules Baluederensis truncus, qui olim, Bat-
 tefio teste, credebatur exhibere herosm effeminatum, colum
 fufum.*

Per quem revixit, quum nimum diu
Iners iaceret, tecta situ horrido,
Ars prisca, *Winckelmannus*, ingens
Gloria Teutoniae, est sub icu.

Cessas tucri vindicem amabilem
Divinitatis? Turpe! Memor suae
Formae celebratae per illum
Sero, memor tamen est *Lycaeus* *)

Gratus relicto subsidium parat
Armatque thyrsu terribili manum
Cellarii, sed tardus iste
Auxiliator adest ruenti. **)

facet,

fusumque ducentem inter Omphalae ancillas. Noster au-
tem Winckelmannus suos ei reddebat honores, cognoscens
Herculem, exuta mortalitate, euntem in caelum. Vid.
Artis Historia, p. 369.

*) *Vid. Artis Hist. pag. 161.*

**) *Constat, in diversorio Tergestano, ubi caedes facta, au-*
dito strepitu advolasse cellae praefectum, cuius adventus
ficarium quidem, relicta praedo, dedit in fugam, bonum ta-
men hospitem, gravissimis iam vulneribus affectum, ex ipso
mortis faucibus amplius eripere non potuit.

520 NOVA ACTA ERUDITORUM

Iacet, iacet vir candidus, artidum
Spes una: nil, nil auxilium iuvat,
Sicario se, caede facta,
Proripiente Stygis sub umbras.

Sic dente dentem rodit et aufugit,
Suae salutis dum metuit, lupo,
Nec, quam peribat praedo, praedam
Praeripere ore parat cruento.

Sed vulneratus dentibus, unguibus,
Agnus gemit sub corde, suoque se,
Stillantibus membris, cruore,
Fronte premendo solum, volutat.

Occisor altos pectore presserat
Dolos, amicum se simulans bonum,
Ac per verendum nomen artis
Fallere doctus erat maligne.

Nil suspicatur, quem Charites suo
Candore lactant, fallere nesciae,
Hinc noster, eheu! palliato
Crediderat male cautus hosti.

Pectus

MENSIS NOVEMBRIS A. MDCCLXVIII. 527

Pectus recludit: quidquid habet, patet,
Hostique fidens, in penetralia
Antiquitatis ducit istum,
Ad Charitum periturus aram.

Ut nauta navi saepe sua perit:
Docto nocebat docta peritia,
Sicque, fortunae dolosus
Effugiens laqueos, cad:bat.

Praefaga fati non revocabilis
Frustra sibi mens praecinuit necem:
Ceu praecinis frustra suprema
Fata tibi, moriture cygne!

Exhalat ergo vulnere spiritum
vir maximus: sed non sine lacrymis
Ollum osculis Musae legentes
Ecipiunt referuntque ad astra.

Quid corde summo tam lacrymabiles,
Quid voce questus, Euphrosyne! refers?
Ah! filium desles, ut olim
Daulias ales Ityn gemebat.

U u u

O diva!

O diva! luge: sunt tua funera.
Tu iusta fac, tu promeritum decus
Infer sepulchro, tu parenta:
Laudibus eminet ille nostris.

Quis, o quis undam Tibridis alveo,
Quis ripae arenam, quis Capitolii
Adfundat augusti nitorem
Marmoribusque palatiisque?

Quis praeco tanti magnificentiam
Malet viri? Non tale decus terit
Oblivio, non livor atris
Pone frequens nebulis obumbrat.

Adis, venuste sculpere Socratem
Perite, pulchra nate dea, puer!
Vultumque Winckelmannianum
Marmore candidiore ponas.

Romana fronti sit gravitas, lepor
Germanus ori, vis oculis potens
Accerrimis, irae stupori
Naribus in tumidis minantes.

Attol.

Attollat istas leniter, ut deus
In Vaticano vertice Pythius
Irafcitur monstro, neque irae
Dedecorant iuvenem venustum.

Princeps virorum Mercurialium,
ALBANUS, ostro nobilis aureo,
Carum hoc caput dextra tremcare
In medio statuet deorum.

Albana, pulchris marmoribus nitens,
Ab hoc novum iam villa decus capit,
Sicut polus, stellis coruscis,
Nobis nomen habet, quod addat.

Tu, quem fefellit spes iterum tuum
Civem fovendi, Teuto, tui memor
Huc tende, civem dum revisis,
Huc oculos animumque tende.

I, quo probi post fata migrant viri,
I, i sub umbras Elyfii facras,
Hic, hic eum mirare missum
Manibus, ingenio beatis.

Nunc *Phidias*, nunc *Praxiteles*, novum
 Hunc advenam, nunc *Cous* et aemulus
 Pictor salutant itque *Myron*
 Itque *Scopas* comes ac *Lysippus*.

Una poetae doctiloqui manum
 Praebent amico suaviaque oscula,
 Interpretem tantum leporis
 Nolle sui, sibi gratulantes.

Adest virorum turba celebrium:
 His gaudet hospes coetibus additus.
 At nos *Vale Sa've* precantes
 Serta rofasque damus sepulchro.

NOVA LITTERARIA.

Prospectus d'un Journal Militaire, qui sera établi à Francfort sur le Mein par une Société d'Officiers.

Inter Commentarios diurnos, qui nostro Saeculo super
 omni fere litterarum genere tam frequentes comparue-
 runt, desideravimus huc usque commentationes super re
 militari; id quod eo magis mirandum videtur, cum ars bel-
 lica tantum habeat necessitatis, gravitatis, et difficultatis,
 quantum vix ulla alia. Quare cum indicem eiusmodi com-
 mentationum Francofurti edendarum conspiceremus, com-
 muni-

municare eius argumentum cum lectoribus nostris in animum statim induximus. Indicis auctores, expositis rationibus, quibus maxime motos ad scribendum animum convertisse se aiunt, breviter indicant capita dissertationum, quas operi isti suo quoque tempore destinarunt. Quorum antequam rationem ob oculos lectoribus nostris ponamus, lubet verbis auctorum ipsis ostendere, quam egregie sperent de suscepti laboris utilitate: „Que fait-on, inquit, si „à force de le (art de la guerre) perfectionner, et le reduire „à la portée de tant de monde, on ne parviendra pas à le rendre inutile ou de peu d'effet; comme deux corps égaux „mûs par des forces égales détruisent réciproquement leurs „forces en se rencontrant.“ Quam spem licet acutissime excogitaram, sensibusque humanis mirifice ablandientem, dolemus non alio fundamento, nisi similitudine duorum corporum aequalium, niti, aequali vi ad se tendentium. Videntur enim in accommodanda ista similitudine, auctores, cum pari arte confudisse pares vires, nisi persuaderi sibi quis velit, scribendo atque docendo effici posse, ut diversarum provinciarum vel gentium belligerantium vires reddantur aequales. Sed levidentia haec sunt, nec videtur ratio ista nisi ingenii ostendendi causa ab auctoribus addita esse, cum firmiter iam et evidentioribus consilium scribendi nobis, et, ut credibile est, orbi litterato satis probassent. Rerum ab auctoribus operis pertractandarum capita haec sunt. Agetur 1) de ratione virium bellicarum cuiusvis provinciae aut gentis, quales quantaque eae revera sint; de exercitus Europaei cuiusvis comparatione, stipendio, et singulari conditione. 2) De mutationibus et vicissitudinibus tempestivis, quae referuntur ad cuiuslibet exercitus partim comparationem ipsam, partim disciplinam, arma, vestitum, vires, etc. 3) De honoribus militiae insignioribus, et de iis, quibus quoque tempore conferuntur; de obitu, vel missione nobiliorum belliducum et praefectorum, eorum praecipue, qui famam sibi rei militaris et nomen compararunt. 4) Recensentur quae

utiliter, vel ingeniose tamen, inventa fuerint, ad res belli terra marique gerendas pertinentia. 5) Describentur accurate castella, quae nota sunt, munitissima, antiquarumque gentium pugnae maxime memorabiles, addita aciei cuiusque delineatione. 6) Tradetur brevis historia Tacticae antiquorum, h. e. rationis, qua usi fuerunt in operibus machinique bellicis struendis. 7) Instituetur recensio librorum praestantiorum et utiliorum, super re militari haecenus in lucem editorum, adiunctis in singulos eorum animadversionibus criticis. 8) Excerptentur ex eorundem librorum optimo quoque praecipua, quae una cum iudiciis et adnotationibus criticis passim inferentur Commentariis; quibus excerptis adiciuntur praeterea Chartae topographicae, aliaeque adumbrationes, in usum belligerantium confectae atque publicatae. 9) Neque deerit locus rebus memorabilibus, quae aguntur coram iudicio militari; enarrabuntur v. c. constitutiones, decisiones, decreta militaria, una cum expositione accurata causarum singularum. 10) Dissertetur breviter de praecipuis artis bellicae momentis, de iis potissimum, quae pertinent ad scientiam usu et experientia acquisitam. 11) Postremo instituentur et narrationes historicae atque copiosae, de locorum campestrium diversitate, de variis movendi exercitus modis, de instruenda acie, et quae singula ad expeditionem bellicam necessaria sunt.

Haec est fere summa rerum in Commentariis his militaribus pertractandarum; quamquam nec denegabitur locus aliis, quae vel, ut saepenumero fieri solet, inter scribendum ultro se obtulerint, vel ab aliis rei militaris peritis bene et distincte scripta inferenda operi ad auctores perlata fuerint. Hi, si qui fuerint, ut sciant, quibus potissimum in rebus ingenium exercendum sit, auctores, circa quae rerum argumenta labor eorum singulis Anni mensibus versabitur, indicarunt. Destinarunt vero *1. Ianuario*: rationes, quibus confirmetur, non esse artem bellicam tenebris obtectam scientiam.

tiam. 2. *Febr.* Possè scientiam militarem disci regulis solis, uti fecerunt v. c. Lucullus, Mauritius Arausionensis. 3. *Mart.* Etiam usu tantum et experientia, prout didicerunt eam Michridates, Henricus IV, et innumeri alii tum antiquorum, tum recentiorum. 4. *April.* Nec non regalis et usu coniunctis, quod probatur exemplis Montecuculi, Eugenio, Principum Brunluicensium, Paoli etc. 5. *Mai.* Pronuntiare, utra harum disciplinarum, si necessitas eligendi urgeat, sit praefenda. 6. *Iun.* Utrum ludi militares, quales nunc sunt in diversis provinciis, possint haberi pro seminariis ducum belli idoneorum. 7. *Iul.* Utrum officia diurna, sicut apud Europaeas gentes usu veniunt, efficiant bonum militem. 8. *August.* Constituire, quae sit optima militis educatio. 9. *Septembr.* Indicare in universum ea, quae addiscendae arti bellicae adferant aliquid subsidii: et 10. *Oct.* quacnam ex his subsidium proximum habeant et praesentissimum. 11. *Novemb.* Definire ad veritatem, et demonstrare secundum leges dialecticas, in quo cernatur proprie ars militaris. 12. *Decembr.* Quod optimum sit eiusdem artis systema?

Iam si qui sint, qui super horum argumentorum aliquo commentari velint, isti sciant, commentationem quamque non debere prolixiorē esse XVI. paginis octonis impressis, debere scriptam esse francogallice, atque redditam opus adornantibus uno mense prius, quam typis exscribi eam cupiant. Opus hoc, quum singulis hebdomadibus binae schedae sive XXXII. paginae octonae prelo subiiciuntur, facile intelligitur quantos flagitet sumtus; quare et visum est auctoribus subscriptionis viam inire, ita, ut professi nomen in quacunque cursus publici statione, vel etiam, si hoc magis placet, apud Bibliopolas, praenumerato in ternos menses IV. florenorum pretio, opus per eadem temporis intervalla, suae quisque subscriptionis loco teneant. Subscriptionis tamen lex ultra mensem Aprilem valitura non est. Denique, si quis ad auctores commentariorum ipsos convertere

tere se malit, neque hoc incommodum erit, modo uti velit inscriptione libellorum sequenti: à Mess, les Directeurs du *Journal Militaire à Francfort sur le Mein.*

Haec sunt fere, quae scire in universum de Commentariis istis militaribus Lectores nostros volumus; neque defuturos arbitramur, qui opera et benevolentia laborem tam utiliter susceptum adiuvent atque promoveant, idque eo magis, quod etiam nostro tempore, cum omnis generis litterae et artes nacti sint auctores suos idoneos, ars sola belli derelicta fere iaceat et inculta.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLXVIII.

HEXAPLORUM ORIGENIS QUAE SUPERSUNT, auctiora et emendatiora, quam a Flaminio Nobilio, Ioanne Druſio, et tandem a Bernardo de Montefalcone concinnata fuerant, edidit, notisque illustravit, CAROLUS FRIDERICUS BAHRDT, S. S. Theol. Baccalaureus, et Antiquitatum Sacr. Prof. Publ. Ordinarius Erford. PARS I.

Lipsiæ et Lubec. apud Christian. Gottfr. Donacium, 1769.
pagg. 671. in 8.

Pergratum fecit hoc opere doctissimus *Bahrdtius* iis omnibus, quorum interest, accuratorem sibi litterarum divinarum cognitionem comparare. Etenim optimorum Scripturae sacrae interpretum sententia est haec, in indagando reperiendoque librorum divinatorum sensu, nihil fere melius felicisque adhiberi posse, quam Hexaplorum Origenianorum reliquias. Iam, quum Montefalconii editio in paucorum manibus versetur, laudabilem sane suscepit operam *Bahrdtius*, reliquiis istis auctius emendatiusque edendis. In recensenda vero eius opera nos ita versabimur, ut primum commemorando praefationis argumento, cum omne, quod

in ea proponitur, Editoris consilium, tum quae ibi ad Hexaplorum indolem diligentius cognoscendam monita sunt, repetantur: deinde de notis et observationibus, quae subinde Montefalconii prolegomenis aspersae sunt, videamus: denique ipsa, quae primo hoc Volumine exhibentur, Hexaplorum fragmenta contemplemur.

Ac primum in praefatione monet Bahrđtius, nihil magis ipsi in edendo hoc opere curae fuisse, quam ut emtorum suavitibus parceretur. Cui consilio ut fieret satis, primum Montefalconii editione verba Hebraica litteris Graecis adscripta plurima eiecit, quum ipsi haec res parum utilis, et plane vaga atque incerta videretur. Sunt autem qui his reliquiis non parum tribuant, sibi que eas creptas esse non lubenter patiantur. Nam etsi viro doctissimo concedere coacti sunt, in diversis regionibus monente Hieronymo diversum pronunciandi morem obtinuisse; quid impedit tamen, inquit, quo minus modum, quo Origenes verba Hebraica pronunciaverit, cognoscamus. Iam porro eodem consilio versionem latinam omisit, cui Montefalconius singularem columnam adsignaverat. Non solum enim hanc versionem, partim propter eorum indolem, qui ad Hexaplorum lectionem accedant, partim propter Lexica, quae ad calcem operis inveniuntur, supervacaneam esse dicit: sed et saepissime falsam, interdum ineptam, raro satis accuratam. Eandem ob causam habendum esse duxit delectum in notis. Nam videmus eum omisisse 1) eas, quae pertinent ad sensum vocabulorum; has vero reddet in lexicis: 2) eas, quae ipsi videbantur mera, et saepe frigida satis scholia, a Montefalconio ideo excerpta, quia tum erant, ut dici solet, anecdota; 3) eas, quae simpliciter lectionem textus repetunt, nomenque codicis, cui debebatur lectio, adscriptum proferunt. At si quis, ut sit, cupidus sit scire, cuius haec vel illa lectio codicis sit, quid tum? Tum nemini interdictum est, respondet Editor, ad editionem maiorem recurrere. Solum igitur

tur textum, id est, Graeca veterum interpretum fragmenta exscripsit, emendavit, auxit, notisque paucioribus illustravit, quibus se nihil aliud, quam ipsam lectionis crisin, lectorem docere voluisse profitetur. — Montefalconii autem notas omnino suas fecit, et eum suis permiscuit. Non tamen ingratum multis lectoribus foret, si doctissimo Editori placuisset notas suas, signo quodam, quoad potuisset fieri, distinguere, ut, si maioris editionis non copia sit, quae eius diligentia aucta atque emendata fuerint, lectores intelligant. Iam vero, quam Editor in augendis veterum interpretum fragmentis rationem secutus sit, demonstramus. Primum scilicet totam appendicem editionis Montefalconianae, in qua lectiones Codicis Corsoliniani exhibentur, ad sua loca revocavit. Atque id valde placet, quoniam in editione Montefalconii incommodum est lectoribus, lectiones non coniunctim legere. Deinde particulam codicis, qui in bibliotheca nostra Paullina asservatur, integram exscripsit, et quicquid ipsi ad Hexapla pertinere videretur, in textum recepit. Huius codicis fragmentum, quantum supererat, Celeberrimus Fischerus edidit, cuius ea in re diligentiam nuper laudavimus. Ipsi porro codicis, totiusque, in quo continetur, voluminis formam, diligenter in praefatione descripsit. Exsculpi etiam curavit specimen scripturae, qua laudatus codex exaratus est, ut, cuius Saeculi terminis scripturae genus adstringendum sit, lectores ipsi iudicarent. Cupiebamus tamen ipsam viri doctissimi hac in re sententiam audire, quam nobis persuasum haberemus, eum, quae est illius talium rerum scientia, certo accurateque aetatem codicis definire potuisse. Nam, monente S. R. Ernesti, (in *Archaeologia litteraria* pag. 39.) in tali iudicio non sola scripturae forma niti oportet, sed in ipsis codicibus, in calce, in marginibus quaerere, si quid sit, quod ad aetatis indicium valere possit. De textu codicis, Editoris sententia est haec, eum mere Hexaplaem esse; quod, quam verum sit, perspicuis argumentis ostenditur. Hinc signorum quorundam in codice passim

apparentium, vim explicat. Inde Marginalia, ut vulgo vocant, describit, aliaque partim Lectionem, partim verborum sensum, partim rem alienam spectare, alia vero veterum interpretum fragmenta referre, monet. Quibus fragmentis ita usus est, ut primum omnia, quae ad marginem scripta legebantur, cum interpretum nominibus exscriberet, et, si nondum a Montefalconio notata essent, in ipsum textum editionis Montefalc. inserret: ibi vero, ubi eadem lectio in illa iam editione prolata fuisset, in notis significaret, eandem haberi in Codice Lipsiensi Paullino. Saepe porro eas quoque lectiones, quae in editione Montefalc. interpretis nomine carent, veri auctoris nomine ornavit. Nonnunquam etiam Lectiones male collocatas suo loco restituit. In proferendis autem Lectionibus, quae in codice Lipsi. Paull. interpretis nomine carent, solam Analogiam secutum se esse dicit. Nempe, eiusmodi Lectiones cum nota *ἄλλες* in Hexapla recepit, etsi videbat, eas saepe varias esse scripturas in diversis editionibus τῶν Ὁ. iacentes. Qua occasione diligenter differit de vi notarum *ἄλλες* et Ὁ. *ἄλλες*, quae in editione Montefalo. frequentissime occurrunt. Coniectura quoque intellexisse videtur, Montefalconium operis sui basin editionem Romanam constituisse. Quibus addit et hoc, se, cum Blanchini vindicias perlustraret, varias e Codicibus ibi laudatis Lectiones collegisse, easque in hac editione passim notasse. Hanc vero partem futuro anno sequetur altera. Et, si viris doctis labores suos non displicuisse intellexerit, sperare nos etiam iubet Lexica, ad usum huius operis necessaria, alterum Graecum, Hebraicum alterum. Non denique silentio praetereundum est, doctissimum Bahrdium ab Heubigantio certiore nuper fuisse factum, de editione Hexaplorum Montefalconiana Romae imprimi coepta. At haec editio splendore suo plerorumque facultates superabit; novarum autem lectionum parum continebit, quam uideam codices adhibeantur quibus usus est Montefalconius. Et si forte prolatae sint novae lectiones, ac novae ad
 intelli-

intelligendam Hexaplorum indolem idoneas, Bahrdtii cura versabitur in eo, ut eae lectiones ac notae exscribantur, imprimantur, huiusque suae editionis emtoribus gratis tradantur.

Progrediamur ad notas et observationes, prolegomenis Montefalconii subinde adspersas. Atque earum ratio est haec, ut vel Montefalconii sententia uberius explicetur, vel non satis accurate dicta corrigantur, vel denique aliorum visorum sententiae, e. g. Kennicoti, Fischeri, commemorentur. Et omnino has notas lectori neque iniucundas, neque inutiles putamus fore. En specimina quaedam. Cap. I. proleg. §. 5. brevi nota emendatur Montefalconius, qui Origenem post Aquilae versionem ideo Symmachianam locasse dixerat, quia Symmachus propius ad veritatem Hebraicam quam LXX. et Theodotion accederet; recteque puritas et elegantia Symmachi laudatur. Cap. I. 7. ad eum Montefalconii locum, quo de explicatis in codice Coisliniano nominibus propriis agitur, notat Bahrdtius, in Codice Lipsiensi quoque tales notulas saepissime deprehendi, earumque, in reperiendis vocum paullo rariorum notionibus, usum non contemnendum esse, recte monet. Cap. IV, 1. ubi nimia versionis Alexandrinae laus est, monentur haec: „miror doctissimum et acutissimi iudicii hominem talia scribere potuisse.“ Cap. IV, 5. copiosa additur Kennicoti disputatio, in qua multa traduntur accuratiori Hexaplorum cognitioni inservientia. Cap. V, 2. in nota asseritur, Aquilae quidem versionem aures offendere barbarie, magis eam tamen animum delectare, quo aptior sit ad eruendas vocum Hebraicarum notiones. Quam usum ab omnibus omnino versionibus Graecis V. T. repetendum esse, luculenter, adscriptis Fischeri nostri eam in rem verbis, demonstratur. Cap. VIII, 6. cupidae Montefalconii disputatiunculae de Vulgata, alia additur, eaque verior accuratiorque. In describenda versione Itala laudatur celebris ille, quo Italiae mentionem fieri putant, Augustini locus. At nos ea in re non omni-

certitudine hoc loco uti sustineamus, reddita nobis per Benterium auctoritate illius suspecta, qui pro *Itala* legi censet *Itala*, argumentis quidem non prorsus contemnendis. — Quae Montefalconius circa veteres scripturae interpretationes exhibet anecdota, eorum tria priora ad suum locum, nempe ad Psalmos, relegavit Bahrdtius, quartum vero, quod est opusculum Epiphani de LXX. interpretibus, et *its qui perperam interpretati sunt*, post prolegomena collocavit. Tum sequuntur varia veterum de interpretibus antiquis testimonia.

Restat ut de ipsis Hexaplorum fragmentis aliquid moneamus, allatisque quibusdam exemplis, Bahrdtii diligentiam conspiciamus. Exhibentur vero priori hac parte Pentateuchus, Iosua, liber Iudicum, Ruth, libri Samuelis, Regum, et Paralipomenon. Ac in Genesi quidem doctissimus Editor notas se neglexisse fatetur. Sunt tamen et in hoc Mosis libro quaedam ab eo praestita, quae non displicuerunt. Sic placet quod Cap. XXVII, 1. lectionem Aquilae, *ἡμαυρώθησαν*, in textu posuit, de cuius lectionis veritate Montefalconius non adeo certus erat. Nam haud dubie, ex *ἡμαυρώθησαν*, errore et negligentia librarii, in Codice Coislin. *ἀλμυρώθησαν* existit. Saepius vero inveniuntur emendationes et notulae Editoris in Exodo, reliquisque Mosis libris, praesertim a Cap. XXXII. Exod. usque ad Deuter. I. ubi diligenter usus est fragmentis interpretum in codice Paull. exhibitia. Exodi I, 14. nos pro *ἰντροφήματι* rescribere ausimus *ἰν τρυφήματι*. Neque enim persuadere nobis possumus, ab Aquila in vertendo verbo תְּרִיבָה particulam ב neglectam fuisse. — Exodi XXXV, 21. monet, Codicem L. P. in textu *τῶν ο. ἀφαιρέμα* non habere, quod post *αὐτῶν* Basil. et Rom. proferunt. Quare aliunde irrepsisse dicit, quum neque in Hebraeo sit, neque sensum habeat, et forte e tali codice qualis est C. L. P. ortum esse hoc vitium. Nam hunc postea ad *σφραγίδας* in margine notare *ἀφαιρέμα*, quod neque istius pertinem. Itaque forte cum in vetustis Codd. idem ad

σφρα-

σφραγίδας notaretur, alios huc transtulisse, imperitiam imperitia compensantes. Maximam porro fragmentorum copiam codex L. P. in Levitico suppeditavit, quae tamen, observante doctissimo Editore, a Codicis Coisluniani lectionibus parum discrepant. Atque omnino non pauca sunt, quae in Levitico ingenio-diligentiaeque Bahrdeii debemus. Nos quaedam rei exempla dabimus. Levit. VII, 13. de sectione *ιερευικῶν αὐτῶ* sic statuit Montefalconius: *referenda ad extremam versiculi vocem* וְיָלֶשׁ. Et fatetur Editor τὸ *ιερευικῶν* hic non bene quadrare. Sed cum Codex L. P. et Coisl. id huc collocent, cumque ad וְיָלֶשׁ in eodem Codice L. P. denuo legatur in margine *ιερευικῶν*: dubitat, an sit ea lectio omnino abicienda, et pro vitio scribae, male collocantis, habenda. Levit. IX, 2. delevit ea, quae Montefalconius habebat ad verba לְנִלְוֹן חֲסֵן לְ tanquam manifeste vitiosa. Locum Aquilae et Symmachi Levit. XVI, 8. non infeliciter sane restituit. Primum nixus auctoritate Codicis L. P. qui sic: κληρον ἵνα εἰς κύριον, καὶ κληρον ἵνα εἰς τράγον ἀπερχόμενον. Α. εἰς κερραιωμένον. Σ. εἰς ἀπερχόμενον, ubi pro Σ altero legendum esse putat καὶ, quum Symmachi versio iam allata fuerit, et pro compendio scribendi τῷ καὶ, facile imperitus librarius C. vel Σ scribere potuerit. Alterum argumentum, quo in restituendo hoc loco nititur, petitum est ex Basilienfi, qui sic: Ἀ. κληρος εἰς κερραιωμένον, καὶ εἰς ἀπερχόμενον. Iam e codice unciali, qui fere omnes sine accenti-
 bus scripti fuerint, pro εἰς imperite εἰς, et ἀπερχόμενος pro ἀπερχόμενον, idescribi potuisse existimat. Assentiri etiam huic sententiae dicit ipsum textum. Nam וְיָלֶשׁ Aquilam suo more reddere debuisse docet tanquam compositum ex וְיָלֶשׁ *adit* et וְיָלֶשׁ *robur*. Totus itaque locus ita se habet:
 Α — καὶ κληρον ἵνα εἰς κερραιωμένον καὶ εἰς ἀπερχόμενον.
 Σ. κληρον ἵνα εἰς κύριον, καὶ κληρον ἵνα εἰς τράγον ἀπερχόμενον. Levit. XVIII, 17. in nota Bahrdeius haec habet: Ego *τίμινα* Θ. tribuerem. Et recte quidem: nam eiusmodi verba Hebraica in Symmacho ferri non possunt; Theodotio-

nem

nem vero quaedam appellativa ex Hebraico Graecis litteris retinere constat. Quare nos hoc ζέμμα in ipso fragmentorum textu Theodotioni tribuiffemus, Symmacho autem μύθος, quum ea quoque in re codex Coisl. faveat. Levit. XVIII, 29. coniectura profertur, quam ad indolem lectionum codicis Paullini Lips. accuratius perspicendam facere posse putamus. Scilicet in textu posuit lectiones ita: A. ἐξήρασαν. Σ. ἐξήμασαν. Θ. ἀνέβαλεν, licet Codex Coisl. et L. P. habeant sic: A. ἀπέβαλεν. Σ. ἐξήρασαν. Θ. ἐξήμασαν. Estimatur igitur doctiss. Editor, Codicem L. P. a Codice descriptum esse, cuius in margine, in commemorandis trium interpretum lectionibus, hic plerumque ordo cerneretur: Θ. A. Σ. Iam fieri potuisse, ut alius, qui forte in istum Codicem incideret, et, inspectis h. l. Θ. A. Σ. interpretationibus vitium suspicatus, corrigeret, atque A. Σ. Θ. praefigeret. Vehementer vero haec coniectura arridet, qua cum erroris origo, tum eius medela facile perspicitur. Non minor diligentia Bahrtdii in Numeris apparet. Num. II, 17. Codex L. P. habet: O. κατὰ τάγμα, in margine καθ' ἡγεμονίαν. Clare igitur ex hoc intelligi posse dicit, C. L. referre Hexaplaem editionem τῶν O. in quam h. l. Symmachi versio illata fuisset. Num. XXI, 17. in nota, varia Codicis L. P. scholia profert, quibus nomina propria explicantur. Ac vidimus eum saepius eiusmodi scholia protulisse, quod lectori non ingratum fore putamus. Quod Num. XXXIII, 44. Codex L. P. τοῖς ὑψίστοις Symmacho tribuit, ei recte in textu nota ἀλλ. praefigitur; nam Symmachus יי קי ב vertit ἐν βουνοῖς, quod est ipsius nomina propria Graece vertendi studium. In Deuteronom. Codex L. P. admodum pauca fragmenta dedit, desinit enim in versu 13. capitis I. Eo copiosiora veterum interpretum fragmenta e Codice Coisl. apparent, quibus scite usus est Bahrtdius. Nos tamen Deut. XXII, 9. Codicis Coisl. auctoritate nixi, lectiones: A. ἀνομοιογενές, Σ. ἐις γμῶν permutare ausimus; haec enim lectio nimis est ad etymologiam verbi נלכ, illa libere et pro contextu.

Iofuac

Iosuae Cap. I, 15. ad lectionem: Ἄλλ. Μουσῆς δὲ ἄλλοις κρησὶ, quae Symmachi forte esse putatur, speciosa haec proponitur coniectura: Scilicet Masius et Grabe istam lectionem cum Asterisco habent; sed Coisl. O. A. praefigit, quod Editori suspectum est adeo, ut suspicetur, in hoc forte libro scribam imperitiosam nota δὲ Α. usum esse, non eo sensu quo reliqui interpretes, sed ut alii, quos viderat, Codices indicarentur. Coniectura sane non spernenda, et ad intelligendam notam δὲ Α., quam Codex Coisl. in hoc libro frequentissime habet, profutura. Ceterum iis, quae ad Iosuum Masius et Grabe protulerunt, bene usus est. Quam Codex Coisl. Iudic. XVIII, 7. in margine lectionem habet: Α. καὶ ἢν καταισχύνων ἢδὲ διατρέπων, ea Montefalconio corrupta videbatur. Sed recte dubitat Editor, quin Aquila in Hebraeo aliter legerit, cum hic omnes veteres interpretes diversa legerint. — 1 Sam. V, 6. (al. 1 Reg.) habent LXX. alia et plura quam Hebraeus, quare versum in LXX. confusum iacere putat Montefalconius. Sed recte provocat Noster ad Houbigantium, quem ad h. l. meliora docere dicit. 1 Sam. XVII, 12. laudat sententiam Kennicotti, qui a versu 12. usque ad 32. huius capituli, omnia, quae sunt in Hebraeo, esse expungenda, tanquam ab otiosa manu interpolata, docte ostendit. 1 Sam. XXIII, 13. ad verbum ἱερμείοντο (Montefalc. habet ἱερμείοντο) recte monetur, hanc lectionem haud dubie esse vitiatam, quod et iam Montefalc. senserat. Nos ἱερμείοντο rescriberemus, edocti ita a Valkenario ad Eurip. Phoeniss. pag. 147. — Neque etiam infelix in altero Samuel. libro, et in libris Regum, delectus notarum habitus est. In libris Paralipomenon admodum pauca Hexaplorum fragmenta, adeoque et paucae notae apparent. Quare in proleg. Cap. IX. his verbis: *In libris Paralipomenon non pauca Hexaplorum fragmenta exhibemus*, vitio typothetae, rō non irrepsisse monendum est. Vehementer optamus, ut inter litterarum divinarum studiosos multi sint, qui Hexaplorum fragmenta in usum convertant suum, demta nunc, quae a

raritate editionis Montefalconianae defumitur, excufatione. Plura de Bahrdtii opera monere et nimis longum foret, et a confilio nostro alienum, qui non, nifi eius in hoc opere edendo rationem, monftrare volumus. Ceterum illum faepius hoc opere in coniciendo ingenii elegantiam, in emendando iudicii acumen, omninoque non vulgarem litterarum Graecarum Hebraicarumque noticiam demonftraffe, non poffumus non profiteri.

*ACTA LITTERARIA. SCRIPSIT CHRISTIANUS
ADOLFUS KLOTZIUS. — Librum fi malus
est nequeo laudare. Iuven.*

Altenburgi, VOL. I. 1764. VOL. II. 1765.
VOL. III. 1766. VOL. IV. 1767. in 8.

Librum hunc omnibus, quibus litterae in honore funt, qui facultatem in iis aliquid videndi vel habent, vel ad eam adspirant, qui liberalem ingenii cultum amant, cognitu lectuque iucundiffimum utiliffimumque, non dubitamus praedicare, eandemque fententiam plerisque, a quibus eum iam cupide expetitur et perlectum arbitramur, nobiscum communem esse credimus. Sed qua via Auctor ad huius laudis celebritatem contenderit, qua arte fructum eius tulerit, iuvat exponenda totius operis ratione planum facere. Constat quatuor voluminibus, quorum fingula totidem in partes divisa funt. In praefatione demonstrat Auctor causam, qua ad scribenda haec Acta fit impulsus, quam ponit in precibus amicorum quorundam, qui narrationem et iudicium de novis libris ab ipso postulaverint, quibus, sublata de eadem re saepius scribendi necessitate, non commodius satisfacere potuerit. Postea exponit consilium, quo fit in scribendo usus. Denuntiat, sub censuram se vocaturum libros qui ad humanitatem pertineant, quibus adnumerat, in quibus

quibus de liberalium artium elegantia, vel excellentium artificum ingenii operibusve disputetur, vel antiquorum temporum memoria, cum rebus gestis enarratis, tum antiquis ritibus explicatis, et monumentis priscis expositis, renovetur, vel Critices specimina dentur, vel fata litterarum et Iuris Romani vicissitudines enarrentur, vel popularis quaedam et utilis philosophandi ratio, a barbarie seiuncta, et ingenuarum artium studiis comta ornataque appareat. Igitur, sive antiqua Latina et Graeca, sive recentioribus linguis, Francica, Anglica, Italica, Germanica, scripti sint ad genus hoc pertinentes libri, nullo discrimine recensentur. Atque id ea libertate fit, quae simpliciter et ingenue, nullo ad auctorum vel nobilitatem, vel obscuritatem respectu, ipsa de re iudicet, remota acerbitate omni et rusticitate, quam indignam eruditae, tamen consuetam queritur, non sine amoeni ingenii iocis et lepore. Alienas censuras, servata sibi vel addendi, vel detrahendi quae placuerit, libertate, inferendas, tres vel quatuor, adiecta litterarum nota insignitas, reperire meminimus. Pro amplitudine vel tenuitate librorum, recensiones et ipsae modo prolixiores, modo breviores inveniuntur, servato in maioris maxime momenti libris hoc semper more, ut, quae singulis sectionibus capitibusque contineantur, enarratis, totius libri facies menti contemplanda reddatur. Nec Academici libelli omittuntur: eorum denique, quos ipse Auctor emisit, breviter a se delineatus conspectus exhibetur. Fieri non potest, ut ex singulis Voluminibus Specimina descriptionum demus; nam et optio foret difficilis, et res nimis diu nos teneret: ipsius potius libri lectionem suademus, ad quam Klotzianorum scriptorum ingenium, quis est, quem non sponte invitet? Iuvat tamen, quae ipsius in hac litteraria republica sensum testentur, aliorumque acuunt, ea proferre, et ad capita quaedam eius iudicia revocare.

Igitur in Antiquarii vel Historici argumenti libris prodit sagacitatem, in utilibus et necessariis ab inutilibus et su-

perfluis separandis: in quo genere peccatum esse a Paciaudio in Commentariis ad monumenta Peloponnesia, queritur. Diligentiam in moribus imperatorum pingendis, quo nomine Hausenium laudat, cuius quoque libertatem in detegendis Clericorum sceleribus sibi probari ostendit. Pariter characterum causa apte interpositarum laudat Schroekium in vitis Clar. viror. et Mablium in Historia Graeciae, ad quem ipse sententiam dicit de legibus Lycurgi, et institutis Spartanorum, quae sibi minime placere scribit. In Poetis notat, utrum impetu pectoris fervoreque mentis concitati ad versus scribendos agantur, an langueant, et exscriptorum partes, quod Griffetum fecisse, furtis eius manifestatis docet, teneant, an obscuritate et latini sermonis inscitia laborent. Languoris vitium, recte observat, fere semper inhaerere carminibus alicui necessitati tributis. In Chronodistichis, et ad nomina allusionibus extendendis, multorum prava fedulitas exclamare cogit virum honoris patriae studiosissimum: „O Germania, Germania, quando tandem ineptire defines, „exterisque benignam cavillandi et iocandi materiem dare? „quando abiicies amorem ornamentorum puerilium, quae „non, nisi imperitis nitent, aliis vix enarrabilem foeditatem „habent? Nullus principum moritur, nulla res paullo memorabilis accidit, ecce! in actis diurnis miserorum hominum ineptiae apparent, qui expungendis litteris, collocandisque, magnum aliquid sibi egisse videntur, si viri nomen „aut numerum anni inde elicuerint. Quid vero sapientiores? rident, aut ingemiscunt, exteri cachinnos tollunt, et sibilis nostrum acumen puniunt.“ Vertendi veterum scriptorum libros fervens praesentis saeculi studium, exprimit eam querelas de irrito priorumque in hoc genere conatu, quorum alii nimis rusticos, qualis nuper inter nos prodiit Demosthenes; alii nimis elegantes et Gallicis nugis ineptientes suos Auctores reddunt, sicut Homerum gallice vertendo Bitabeus; alii parum fidei, sua potius verba obtrudunt, quam aliena referunt. In quo peccasse demonstrat Formeium in Aelia-

Aeliani Variorum versione Gallica, d'Argensium tam in Ocello Lucano, quam Iuliani contra Christianos ex Cyrilli defensione collecto libro, gallice vertendō, in quo simul negligentiam, et notissimarum dicendi formarum, veluti *ἡ Δία*, et *πρὸς τὸν δῆμιον*, ignorantiam notat. Persius gallice red-ditus, eiusdem reprehensionis societatem subit. In Criticis probat humanitatem, lenitatem in convincendis aliorum erroribus, proruptam vero audaciam corrigendi, coniecturas propere factas, aut temere in textum receptas, aspernatur; cuius criminis reus se fecisse dicit Heathium, editis in tres Tragicos notis sive Lectionibus, et Toupium in Emendationib. in Suidam, editoque Theocrito Reiskium. Iubet etiam at-tendi, utrum ingeniose magis ambitioseque defensae, an ne-cessario factae veraeque sint emendationes: quorum illud quidam largitur, hoc negat in iis, quae Ier. Marklandus, cui modestiae humanitatisque laudem edito Euripidis, quod Supplices inscribitur, Dramate, concedit, (nam huius esse editionem, et ei subiectas veterum aliquot Auctorum Explica-tiones, recte eum coniecisse, ex iis quae Valkenarius nuper ad Euripidis Hippolytum praefatus est, apparet,) in locis Horatianis tentavit, quarum emendationum ipsi plurimas eripit. Quod nobis non invitis fecit. Qualis enim illa, in-ter eas, quas vir Illustris tantum commemorat nec revincit, Od. IV, 10, 2. *Insuperata tuae cum veniet ruga superbiae?* *pluma*, ut nunc legitur, multo venustius, elegantius. Quidni enim *pluma*, non tantum mento, sed et reliquo corpori mo-do subnascentem pilum denotet? Et nihil in hoc loco, vel nimium vidit acutissimus Bentleius. Rursus qui Criticam omnino negligunt, in locis desperatis nihil tentant, de lectio-nibus earumque veritate nihil iudicii sui interponunt, eos parum Auctoribus edendis prodesse monet. Quo nomine recte reprehendit Millerum, edita Plinii Historia Naturali, ubi iuvat legere quae a Plinii editore postulet. „Qui uti-lem, scribit, praestantissimi operis editionem tradere velit, primum operam dabit, ut verba scriptoris, quantum eius fieri

„fieri possit emendatissima exhibeat, non Criticorum conie-
 „cturis corruptus, sed bonorum librorum auctoritate usus,
 „atque in libello ad calcem operis reiecto, rationes lectionum
 „cum receptarum, tum recipiendarum, reddat, breviterque,
 „quid de veritate aut verisimilitudine cuiusque iudicandum
 „sit, moneat. Ipsis vero Plinii verbis eas subiicit observa-
 „tiones, in quibus non eruditionis speciem capet, non mul-
 „torum librorum lectionem iactet, sed solam spectet lectorum
 „utilitatem, et popularem interpretationem cuius recondi-
 „tae doctrinae praeferat. Inde primum explicabit difficilio-
 „ra Scriptoris loca breviter, et sine ostentatione: tum paucis
 „exponet, quae aut ex historia, aut ex aliorum scriptorum
 „libris illustranda sunt: ubi alios veteres scriptores a Plinio
 „dissentire animadverterit, rem et loca notabit: denique id
 „quod caput est, sententias Plinii ex libris recentiorum, qui
 „aut naturam rerum explicare annisi sunt, aut magnis iti-
 „neribus factis multorum hominum mores viderunt et ur-
 „bes, sibi que multarum rerum scientiam comparaverunt,
 „aut confirmabit ubi opus est, aut refutabit.“ Non feren-
 „dos esse docet, qui vulgaria et trita nimis in notis propo-
 „nant. Quarum ineptiarum documentum nuper dedit Italia,
 „emissis Bandinianis editionibus Callimachi, Nicandri, Mu-
 „saei, Thryphiodori, et Arati. „Commentarios, ait, et raro
 „addidit, et si quasdam adnotationes adpersit, nihil quod non
 „vulgare esset et pueris cognitum attulit.“ Nicandro qui-
 „dem aliquid ornamenti concedit accessisse ab Eutecni Meta-
 „phrasi, sicut Tryphiodoro non nihil adiumenti ab collatio-
 „ne codicum duorum bibliothecae Mediceae; in quibus lectio-
 „nibus se observasse scribit non paucas egregias, quibus opti-
 „me scriptor emendari possit. His accedit Virgilius Ambro-
 „gi, magnum incertitiae Ambrogianae monumentum, de quo
 „sic refert: „Nulla lectionis cura, nullae de locis difficiliori-
 „bus disputationes, nullae, quibus sensus veri et pulchri acua-
 „tur, quibus poetae ingenium ostendatur, animadversiones,
 „uno verbo, nil quod ab interprete poetarum expectare so-
 „lemus.

„lemus. Omnia trita, vulgaria, puerilia. — Iurares Ambrogium vulgare aliquod Lexicon, cum hanc Virgilio editio-
 „nem conficeret in manibus tenuisse, ubique illud evoluisse,
 „atque inde non sine voluptate descripsisse suum commenta-
 „rium.“ Horum duumvirorum ineptias non abesse a Mi-
 „nelli Junckerique nugis, nisi quod quas illi in chartam bi-
 „bulam libellorum duobolarium effudissent, ad puerorum tan-
 „tum usum, hi nitidissimis chartis, nullo splendoris externi
 lenocinio carentibus, alleverint, non hercle manibus disci-
 „pulorum terendis, sed in beatiorum bibliothecis reponen-
 „dis. Sed bene est, quod expulso istorum homuncionum
 commentandi modo, aliam se nunc tenere, cum poetarum,
 „tam omnino veterum Auctorum explicandorum rationem,
 „profiteatur. Germania, in qua sunt viri docti, qui per Bata-
 „vorum vestigia et artes ad laudem contendant. Aliis glo-
 „riatur bonis Virgilius Heynianus, quo munere placaturam
 se sperare scite scribit Germaniam Virgilianos manes, Am-
 „brogianis ineptiis graviter laesos, vehementerque turbatos.
 Namque ista se editio commendat dissertationibus de Car-
 „mine Bucolico, et proemio Georgicis praemisso, in quo de
 ingenio carminis docte disputatur: tum, collatione codicum
 „nondum in examen vocatorum: commentario denique, in
 quo tum difficilia feliciter explicata, tum ubique artificium
 „poetae in tractanda ornandaque re, delectus, elegantia, ho-
 „nestas, convenientia imaginum, sententiarum, et orationis
 notata sunt; nisi quod et ipse interdum ad formularum lo-
 „corumque, quorum sententia aut iam nota, aut non difficulter
 reperienda esset, explicationem descendit. Orpheus Gesneri,
 „Celsus Krausii, sine exceptione laudantur. Schwebelius, eden-
 „do Onofandro et Vegetio, cum famae suae, tum aliorum deside-
 „rio, bene consuluit. Koenii in Gregorium, Corinthi Episco-
 „pum, de dialectis, adnotationes, propter multorum apud va-
 „rios scriptores locorum emendationes explicationesque, do-
 „ctrinae et acuminis Auctori suo laudem conciliant; monetur
 „tamen, multos scriptores, una cum venustissima illa Antho-
 „logia

logia Graeca, adhuc incultos iacere, in quibus diligentia et cura multo magis sit, quam in antiquis grammaticis, loco posita. Sic Goensii, qui quindecim annorum adolescentulus, ope fortasse Wesselingii, scripta de Cepotaphiis dissertatione nobilitatus fuisset, Porphyrio de Nympharum Antra laudabilem operam impensam, in re senui legisque pretii consumptam esse. Dum Funccii de lectione Auctorum Clafsicorum opus sub censuram vocat, in reiiciendis verbis dicendique formis a Christianismo alienis, acute monet, debuisse Auctorem distinguere verba profanorum sacrorum ita propria, ut nullo modo haec profanitatis notio divelli possit, ab iis quae profanum usum non sua natura insitum, sed aliunde illatum teneant, nec ita proprium, semper ut adhaereat, sed etiam commode separandum. Deinde considerandum fuisse Auctori, multo plus in his licere Poetis, quam reliquis scriptoribus, qui certis legibus cautius in hac re versari iubeantur. Eius indicio cognoscimus, Dammianum Lexicon in parte Etymologica nihil valere, et hoc studium Etymologias venandi irritum plerumque, nec vero Grammaticorum veterum et Eustathii, (quem vix alia magis de causa admirari se scribit, quam quod veterum scriptorum loca vel deperdita, vel vulgatis medelae emendationique futura, fervet,) auctoritate defendi posse. Cuius studii poenas fat graves repetit a Bellio, qui omne acumen Gallicum eo nuper convertit, ut verborum Latinorum etymologiam enuclearet edita linguae, ut appellat, Anatomia: sapienter profecto id potius curandum esse praecipiens, ut ex multae lectionis usu significationes verborum cognitae habeamus, ad quam notitiam consequendam etymologiae parum profint. Inter haec admonemur sententiae, quam de Gebaueri ad Taciti Germaniam Commentario tulit, in quo tum alia, veluti nimiam Germanos ab illatis criminibus defendendi contentionem, refringit, tum sibi displicere ostendit et etymologias indagandi studium, et verbosam rerum ad summam nil facientium explicationem. In quam reprehensio-

hensionem incurrit quoque Maiansius, qui in Commentariis ad Iurisperitorum Fragmenta nihil reconditi, aut vulgo ignoti protulit. Sed alius generis sunt Püttmanni et Schotti scripta, quae laude excipiuntur, et Conradi Varia ex iure civili, quibus ad pristinam laudem suam si non integram, tamen ex parte, postliminio rediisse videtur. Reijciuntur autem Observatio II. et VII. Morelli Thesaurum Graecae Poeseos haecenus laudandum censet, quod sanam et veram Auctoris de re metrica Graecorum sententiam declaret, et ad emendandos graecos scriptores prodesse possit: ceterum ad versus faciendos peritis inutilem, imperitis ultra noxium esse, insuper commemorato more in Academiis Germaniae recepto, in solempni Magistrorum creandorum renuntiatione, recitandi graecae poeseos specimina, cui hunc librum proficuum esse posse iocatur.

Qui antiquorum artificum manu operibusque delectantur, quibus alant studium, reperient in his Actis plurima. Non desunt admonitiones, quae in teneris statim annis suscipi harum rerum sensum et elegantiam suadeant. Graviter ea de re praecipitur in recensione Daetyliothecae Lippertianae. „Undique, scribit A. de re scholastica emendanda „conciones habentur, etiam ab iis, qui perversè iudicant de „litteris: scribuntur de instituenda iuventute quotidie libri „permulti, quorum profecto iam copia laboramus, omnes „prope rem utilissimam omnium consiliis iuvare conantur. „Quae vero potest educandae iuventutis ratio melior inveniri, quae poliendi ingenii via iucundior tutiorque eligi, quam „si scholis maioribus Daetyliotheca Lippertiana tradatur „magistratibus, si idoneo praecceptori mandetur, ut illis geminarum exemplis in historia fabulari explicanda, in poëtis „antiquis interpretandis, immo in praecceptis artium litterarumque tradendis, utatur tanquam luculentissimis et pulcherrimis exemplis, quibus illius doctrina quasi vitam et „spiritum accipiat? — — hoc si modo tonelli animi ad elegantiam

„gantiam venustatisque sensum, amorem, imitationemque
 „formentur et fingantur, eos brevi tempore inde patria no-
 „stra fructus percipiet, quos e scholarum novarum (*reales*
 „vocat istas vulgo,) disciplina, qua (dicam enim libere quod
 „se.atio) verac et rectae doctrinae studia sensim extinguuntur,
 „licet illae habeant multa, quae etiam sagacem virum alli-
 „ciant, blandaque specie fallant, nunquam consequetur.“
 Winckelmanniano operi, de Allegoria in arte sculptoria et
 statuaria, cuius capita ordine recensentur, utilissimas admo-
 nitiones subiectas legimus. Omisisse eum docere, quibus lo-
 cis Allegoria adhibenda sit. Reprehenduntur, quae capite
 ultimo, in quo Allegorias a se inventas exponit, continen-
 tur. Monet enim, si proverbialia Allegorias praebent, esse
 debere non abstrusa, sed usu trita, nec propter humiliores
 quandam speciem ad Allegoriam inepta. Eundem, ad Ob-
 servationes in Historiam Artium Antiquitatis aliquoties me-
 liora docet. Refutat eius opinionem, omnes, quibus aliqua
 historia insculpta sit, gemmas, spurias putantis. Aegidem
 non clypeum, sed pellem caprinam esse scribentem, prola-
 tis Homeri verbis, erroris convincit. Ad Marmora Oxo-
 niensia observat, Millerum sculptorem, in capitibus statua-
 rum, non satis perite versatum. Laocoonti Lessingii pluri-
 mae disputationes observationesque adduntur. Longa est,
 et accurata disputatio, qua non modo venustatem et pulchri-
 tudinem, sed etiam deformitatem in imaginibus statuisque,
 veteres expressisse docetur. Super pulchritudine in pictu-
 ra, occasione libri gallici eiusdem argumenti, eleganter dispu-
 tatur. Manentia tantum, nec transitura pingenda fingen-
 daque, eosque qui v. c. Daphnem iam in laurum abeuntem
 faciant, errare putantem Ridelium, revincit, eaque non mi-
 nus recte fieri videri, quam pingi pendentes in aere volu-
 cres, scribit. De inscriptionibus inter Sponii et aliorum col-
 lectiones, nitore orationis carentibus, ita iudicat, ut non
 omnes pro spuris et suppositis habendas esse praecipiat.
 Num in ea re inter veteres ipsos peccatum fuisse, Maecenatis
 exem-

exemplo probat, cuius oratio, ut ipse discinctus, inornata incontinque fuisse fertur. Plurima essent commemoranda, si quae de numis, ex recondita interioreque doctrina, in litteras relata leguntur, enarrare velimus.

Rifu diducit lectorum ora, et, quod in praefatione Vol. II. scribit, *quando serenus animus, hilarius rem ago*, abunde praestat exagitandis malis philosophis, surreptoribus et excipitoribus librorum, malis denique interpretibus. Bone Deus, Logicam probabilium Grofchii ut traducit, ut hominem depectit! Finectum, principia Iuris naturalis tradentem, quo rifu obruit! Plurima inveniuntur: interim videri possunt Vol. I. pag. 465. Vol. II. pag. 162. Vol. IV. pag. 235.

Insunt alia, quae scire cupidos talium iuvat. Novam se editionem Martialis curaturum promittit, ope Codicis Bibliothecae regiae Hanoveranae, et excerptorum H. Vossii et Beverlandi, qui Martialem cum codicibus antiquis, Vaticano, Thuaneo, Florentino, contulerunt. Quod cum legimus, opravimus ut copia fieret Viro, ingenio, doctrina, muneribusque illustri, illius exemplaris editionis Raderianae maioris, cuius quondam possessor Kappius fuerat, cui G. Cortii manu, quatuor MSS. codicum, et trium editionum lectiones, adscriptas novimus. Commemoratur etiam, esse in eadem bibliotheca Hanoverana notas Leibnitii ad Martianum Capellam, quem, ut ex epistolis eius intelligitur, in usum Delplini edendum susceperat, ab se olim inspectas, sed reperisse eas non magni pretii, nec quae cuiquam valde placere possint.

Digreditur nonnumquam ad longiorem disputationem, qualis est, ubi de libertate, quae artium florem proferat, discutitur. In qua valde placuit, quod notionem libertatis, a plurimis non satis intellectam, doceat. Libertatem esse ait, ubi sint bonae leges, disciplina bona, ubi ad salutem civium omnia referantur, ubi absit timor tyranni, acerbis exactionibus,

bus, violentia, rapacitate nocentis, qui metus utique frangat delectaque ingenia. Addit, quanto melius sit artibus, ubi unus iudex: et praemia distribuat, quam ubi plures; nec cum populari libertate semper coniuncta esse litterarum incrementa, ex antiqua Graeciae reipublicae et recentiorum civitatum memoria docet. Rursum in quibusdam, quae aliquis fortasse longiore tractu orationis explicata mallet, ne quorundam inveteratas opiniones oppugnando odium et invidiam imprudenter susciperet, aut clamores et convicia provocaret, brevior contractiorque fuit. Quo pertinent, quae Vol. I. p. 285. scribit: „Certas ob causas sententiam nostram, de Cantici argumento, cuiusque suspicioni relinquere, quam palam profiteri malimus; ne forte barbatus quidam *Ἀισιμαχος* aut *Ἀισιπλάσης* mihi eundem, quem beato HEILMANNO nostro, locum in indice atro adsignet. Libertate maiore suam opinionem exposuit Euremondus — de quibus iudicet quisque quid velit: quid ego iudicem, optime scio.“ Nimirum, huic libertati quantum obstrepant, quam molestae sint malevolorum voces, exemplo Polijani existimare licet, qui, quod Odas Pindaricas sublimiores Davidicis dixerat, quot, quantasque de morte sua inimicorum criminationes suscepit? Quod, si recte intelligatur, nihil impietatis habet. Nimirum, mediocritatem in Davidicis et jucundam suavitatem esse laudandam eisque in hoc melio genere palmam esse tribuendam: in Pindaricis sublimitatem et grandes affectus praedicandos.

Placuit, praeter aliorum librorum excerpta, suorumque per idem tempus scriptorum, ut iam diximus, indicia et noticiam, denuo quaedam interponere de suo. Legimus Vol. I. p. 180. insertum ipsius Auctoris Corollarium, quo docet, nullas ampullas lacrimales, quae vulgo putentur existare aut ostendi posse, unquam a Veteribus monumentis conditas illatasque fuisse. Inscriptiones, quibus ista sententia nitatur, non recte intellectas, et latini sermonis inscitia male explicatas

plicatas fuisse. Neque enim verba: CUM LACRIMIS POS. hoc significare quod vulgo velint, neque ceteras formulas aliud quidquam denotare, quam magno luctu multisque lacrimis exsequias esse factas. Petronii denique locum Sat. cap. CXI. ubi occurrit *commodare lacrimas*, nihil probare; quo nihil aliud, quam, quod iam Erhardus vidit, in gratiam alterius collacrimare, denotetur. Quae de lucernis inextinguibilibus narrentur, pariter fabulosa esse docet, et tam qui defensores istius sententiae, quam qui oppugnatores fuerint, commemorat. Sic alio loco Antiquitatum Scriptoribus, Barbalto et Bannierio eripit *deum ridiculum*, et prolatis Festi verbis, ab illis, ut fit, non inspectis, *ridiculum* vocari docet. Aliud Corollarium Vol. IV. p. 92. habetur, Animadversiones in Laocoonta Lessingii continens, in quo tum supra disputatis confirmandis quaedam adduntur, tum ad extremum Variolas veteribus notas fuisse, Hippocratis, Galeni, et Aetii testimonio, contra Winckelmanum et Lessingium, qui illius hunc errorem intactum reliquerat, allinatur.

Eiusdem sunt Vitae et Elogia Eruditorum, in quibus de cuiusque fortuna, doctrina, meritis, moribusque, breviter exponitur. In his Munthii Observationum e Diodoro Siculo ad N. T. fit mentio, animadvertiturque, notas etiam verborum significationes subinde in his expositas eum dedisse; sed tamen id genus adnotationum ferri, et eo valere posse, ut Lexicorum defectum suppleat, pluresque eandem formam dicendi confirmare locos commonstret. Heilmanni doctrina, morumque suavitas, cum laude refertur. De Houmanno iudicatur, eum in philosophia parum exercitatum, in Critica audacem fuisse, stilum minus castigatum habere, inventorem tamen et parentem historiae litterariae esse. Wesselingius, propter ingenium et eruditionem singulare litterarum ornamentum, cum in ceteris quos edidit libris, tum nuper in Herodoto, cuius editionis Vol. I. p. 268-278. accurata notitia datur, omnes partes eximii Critici expleuisse,

commemoratur. De rebus ad Tiberium Hemsterhusium, Ed. Corfinum, Hogarthum, aliosque pertinentibus, in his Vitis utiliter et iucunde differitur.

Inferta quoque quorundam integra scripta, nunc primum cum eruditis communicantur. Exhibentur volumine II. et III. I. F. Herelii Specimina Animadversionum criticarum in quaedam veterum scriptorum loca III. Diogenis Laertii potissimum aliquot loca, Rutilii, Valerii Max. Stratonis Epigrammatum pauca quaedam, et Alciphronis nonnulla, emendantur, non sine doctrinae et ingenii documentis. Quorum quaedam exempla ponere lubet, additis, quae monenda visa fuerint, cum praesertim nullam iis Vir Illustris, quod in amicorum scriptis lubentissime alias facere proficitur, animadversionem adiecerit. Apud Eaert. L. IX. Sect. 43. in verbis: *τις ἔργον ἔρεξε τοσούτων ὅσων ὁ πανταδαίης μῆνυσε Δημόκριτος*, in quibus Casaubonus haesit, facili manu rescribit *ἤνυσε*. Rutilius L. I. v. 555. ubi legitur, *Exiguus rerum rectores cespes habebat*, collato Iuvenali, quem imitatus videtur, qui Sat. XIV, 164. *saturabat glebula* dicit, scriptum reliquisse videtur, *alebant*. Sed veniamus ad Stratonem. In huius aliorumque, sicut ab Ill. Klotzio edita sunt, epigrammatis, VII. v. 4. *πρὸ τῆτο μόνον χειρῶν ἄξιον ἐκ ἐκατέων*, scribendum putat *ἐκατέων*: quod nec intelligimus, nec procedit, et nescimus quid egerit vir doctus, qui indeclinabile flectendum suscepit. Epigramma numero X. editum habet: *Ἄγκιστρον πεποίηκας. ἔχεις ἰχθύν ἐμὲ τέκνον ἔλκε μ' ὅπως βάλει* — Cum de pisce capto sermo sit, non se videre scribit, cur de hami praeparatione Poeta loquatur. Hinc tentat reponere *βιβληκας*. Immo vero coniungenda sunt haec: *ἔχεις ἰχθύν ἐμὲ τέκνον*: *Hammum fecisti, habes me piscem, fili, sum tibi pro pisce, aequae me, ac piscem, quem capere est animus, in potestate habes. Hoc nisi esset, quomodo posset in sequenti versu iterum poni pronomen, ἔλκε μ' ὅπως βάλει?* Turbavit virum doctum interpunctio, quam melio-

rem

rem in Codice Lipsiensi esse meminimus. XX. v. 3. Κέραι
 τὸν καλὸν ἐστὶ ἀπὸ σπλάγγουσι Μύτικον Κεῦπτειν μὴ μὲ λάθη
 παῖδα λαβῶν πτέρυγας. Corrigendum putat ὑπό, non male.
 Sed in Codice Lipsiensi legitur ἐπί, quae lectio vera est. Ulti-
 ma intelligi non possunt: et mirum est vitium non animad-
 vertisse qui haec legebat; sed constitui possunt ex eodem
 Codice, qui habet: παῖδι βαλῶν πτέρυγας, alas admovens pu-
 ro. Verborum λαμβάνειν et βάλλειν tempora saepe permuta-
 ta a librariis sciunt eruditi. Qui dubitet, videat Mark-
 landum ad Max. Tyr. p. 677. Abresch. Dilucidat. Thucyd.
 p. 509. Porro XXVII. v. 5. Ἄλλ' ὅς μὲν τῶν αὐθις ἐκοίμησεν. Con-
 iiciendo legendum esse νόξ, assecutus est integritatem lectio-
 nis, quam eiusdem Codicis fides servat. In Alciphronē
 L. I. ep. 1. pro βλέπει μικρόν, recte vidit legendum πικρόν:
 meminimus autem Clariss. et amicissimum Irmilcum, scholae
 Flaviensis nunc Rectorem, iam olim hanc ipsam emendatio-
 nem, cum aliis quibusdam ad Alciphronis locos pertinenti-
 bus, proponere in extrema pagella dissertationis de Suspecto
 Ciceronis loco Offic. lib. I. c. 13. anno huius Seculi LV. edi-
 tae, quod indicare volumus, si eas fortasse Vir Cl. cui sin-
 gulari libello ad Alciphronem commentari propositum est,
 expendere velit.

Si quid monendum sit, dicamus nos aegre tulisse, labo-
 riosos eruditorum conatus, in inquirendis colligendisque va-
 riis lectionibus, traduci et perstringi. Pupugit etiam ini-
 quius de I. F. Christio iudicium, qui dicitur fuisse, miri inge-
 nii homo, obscurae diligentiae, qui in omnibus rebus my-
 steria quaereret, ferreus denique scriptor. At nos virum
 impense doctum, spirantis magnam sapientiam, et castigatissi-
 mae dictionis, morumque facillimorum, et consuetudinis
 iucundae, admirati sumus olim, et quoties aliquid scripto-
 rum eius revolvimus, admiramur. Et redemisse putandus
 est vir Illustris istam vituperationem, honorifica alias meri-
 torum eius mentione facta. Haec unum aliquando, quum ista
 legere-

legeremus: *Quid sibi illa velint*: „Hieroglyphica Aegyptiorum probant optime eorum in observandis animalibus diligentiam“ *non capio, nec ipse Auctor mentem suam luculentius exposuit.* Quomodo enim non recordabatur, pingendis animalium figuris, rem, quae cum moribus et natura eorum conveniret, eos denotasse? quod cum facerent, nosse utique ipsorum vires indolemque debebant. Iam porro, quod poenarum infernalium aeternitatem negat, quod Americanos populos sine Christi Servatoris cognitione in felicitatis futurae societatem recipit, et hanc sententiam se Feuerlino probasse scribit, quod de diabolo lusus facit, ista nec dissimulare, nec magno opere commovere volumus.

Alia sunt, quae non minore gravitate severitateque, quam elegantia ornatuque orationis, disputat. Praemisit Volumini secundo praefationem, in qua occurrit iis, qui libertatem in reprehendis, nullo personarum a quibus scripti essent discrimine, libris, accusaverant; quam temperandam erga eos, qui sacro ordini sint adscripti, inique postulari ostendit. Neque enim si quis eorum aut mala carmina scripserit, aut in Historia et re critica ridiculos errores commiserit, aut stulta superstitione occoecatus, non quod verum sit, sed quod antiquitatis auctoritate nitatur, unice probaverit, quo minus sententiam libere dicat, quid impediat se non videre. Non enim totum ordinem peti, aut quidquam religionis sanctitati derogari. Addit quaedam adversus eos, qui e religionis doctrina omnem dicendi libertatem sublatam velint. Nimio fervore concitari, qui, quos in quibusdam capitibus religionis aliter sentire intelligant, eos clamore et minis insectentur, aut ex hominum, quantum in ipsis sit, societate exturbare velint. Iis, qui excusso servitutis iugo puriorem nobis sacram doctrinam reddiderint, magnam deberi gratiam; neque tamen eos omnia ita constituisse, et propter nascentes tum primum litteras constituere potuisse, nihil ut sequentibus elaborandum amplius per-

polien-

poliendumque relictum sit. Cuius rei potestas si adimatur, in eadem qua olim condicione causam religionis esse, eadem servitute premi, domino tantum mutato. Ad extremum addit, se vel clamores, vel artes istorum parum curare, et paucorum, qui sentiendi dicendique libertatem non adspiciuntur, favore, contentum fore. Cum hac disputatione coniuncta sunt, quae in Praefatione Voluminis III. scribit. Continet autem ea querelas de acerbitate contra dissentientes in religione. Germaniam, quae olim excusserit coecae superstitionis servilisque obsequii iugum, nunc idem filiis imponere velle. Se, cum vidisset sensissetque, veritatis dicendae studium quas molestias crearet iis, quibus inquit, qua invidia premerentur, qua calumnia obruerentur, suadere pacem et concordiam non destitisse, idem fortasse sentientibus aliis, quorum animi non omnem humanitatem exuissent. Nunc, ne idem saepius repetendum sit, velle suam de minuendis, aut si fieri possit tollendis inimicitiis, ex opinionum dissimilitudine ortis, sententiam semel expromere. Nolle se dicere de crudelitate, quae, in quibus non eadem de rebus divinis seu potius ceremoniis sententiae animadvertantur, in eos ferro et flamma saeviat, quam graviter accusat vehementerque detestatur. Ab animo sensuque, qui in iis, qui christianum nomen profiteantur, esse debeat, istam longe abesse. Ferendum esse, si quis libertate unicuique a Deo concessa utatur. Neque vi doceri religionem, neque cogi, Lactantii et Sozomeni verbis monet. Ista asperitate magis averti homines. Ultra progredi non licere, quam quo docendo admonendoque permissum sit. Neque vero coecum puniri, quod colores distinguere non possit. Esse contra Christi et Apostolorum exemplum, quorum nemo cum carnifice, gladium crucamque praeferente, urbes ingressus sit, nemo contra repugnantes magistratus auxilium imploravit. Ab his convertit orationem ad concordiam inter ipsas christianorum familias. Has, ait, in summa rerum omnes convenire. Discordiam, aut rerum levicularum quaestionibus

intentos versare, aut in criminorum discrimine esse. Eundem omnes Deum colere: Christo divinitatem reddere: Scripturae sacrae divinam auctoritatem revereri: praemia a Christo parva post hanc vitam sperare: poenarum mala timere. Nihil ergo obstare, quo minus manus iungamus. Sed hoc non obtineri Conciliis, immo animos magis disungi, precibus votisque a Deo unice hanc concordiam expetendam esse.

Cum his, quae de eodem argumento Ven. Eugenius, nuper admodum ad Voltarii librum sur la Tolérance, Graece a se versum, Graeco sermone disputavit, comparari merentur.

*P. VIRGILII MARONIS OPERA: VARIETATE
Lectiois, et perpetua adnotatione illustrata, a CHR.
GOTTL. HEYNE: accedit index uberrimus,
TOMUS PRIOR.*

Lipsiae, sumptibus Caspari Fritsch, 1767. Alph. 1.
plagg. 17. in 8.

Quod in ingenti editionum Virgilii numero, eius lectionem adhuc premebat vitium, ut et verborum rerumque sententiae consequendae aut non satis tuta, aut parum expedita via esset, id Viro Clariss. novae editionis adornandae, simulque illius vel levandi, vel amovendi curam consiliumque immisit. Ac sine interprete legere poëtam incommodum esse per se intelligitur, et intellectum est omni tempore: neque enim tantos totque commentarios, solius ambitionis causa conscriptos esse, putare debemus, verum etiam necessitatis; sed his ipsis multorum commentationibus effectum est, ut obruerentur lectores rerum multitudine, ut refrigesceret legendi studium, impetusque orationis Virgilianae flumine sitientes aures proluendi, retardaretur, revocet-

revocareturque. Quo plurimum contulit multorum, qui ipsis invitis, nec opinantibus obrepsit, error, ut instituta de quadam re quaestione, dum in alia incurrens animus, longiore eorum contemplatione detineretur, id ipsum de quo quaerebatur omitterent. Neque vero, qui Virgilium intelligere, ne qui edere volunt quidem, opus habent, quae in eum scripta sint, omnia legere. Non omnia se legisse fatetur Vir Cel. quum et ii ipsi quos legerit, praestantiores fere, in locis, quibus maxime et optasset et expectasset opem, officio defuerint. Sed tamen pro humanitate modestaque sua, pepercit eorum famae, rectaque potius docere, quam falsa refellere maluit, et non nominatis, ad quos maxime pertinebant, inferere notis ea, a quibus sibi cavere alii discerent. Sed de his omnibus accuratius referendum est. Ergo, in quibus et Critici officio, et boni interpretis partibus fungi allaboraverit, age commemoremus.

Ex *Nic. Heinsii* et *P. Burmani* editionibus varias lectiones, praeter plane, ut scribit, inutiles, adiuncta *Pierii* codicum varietate, iudicioque suo interposito, inferuit. Quos Anglus Editor *Martinius* in Eclogis et Georgicis comparaverat Codices, eorum lectiones hic quoque inveniuntur. His quasi communibus superiorum editionum, quoad rem criticam, praesidiis, accesserunt propria nonnulla, quorum alia rursus ad lectionem constituendam, alia ad historiana temporum, alia denique ad carminis ingenium percipiendum pertinent. Etenim accessit trium Codicum bibliothecae Gothanae, a Cl. *Schlaegero* sibi missorum, *Io. Georgii Meuselii* studio facta collatio; a Celeb. *Reiskio* autem exemplar Eclogarum et Georgicorum ipsius manu passim notatum, quod, enotandis Viri observationibus coniecturisque, pro concessa sibi eius rei potestate, in usus convertit. Ad bona huius editionis propria porro pertinet Codicum accurata descriptio, editionumque, quarum aliquid ad textum Virgilianum auxilii, aut ad eius textus historiam, quam hoc la-

bore suscipiendo plenissimam exhibere voluit, praesidii expectetur, secundum annorum, quibus unaquaeque prodiit, seriem recensio. Instruxit eam quoque Vita Virgilii, quam a *Donato* quidem conscriptam, sed a Grammaticis et librariis monachis, dum semper alius aliam codici suo fabulam adfuerre gaudet, ita depravatam putat, ut quid Donati sit agnoscere vix detur. Notas igitur subiecit, in quibus quid falsum ineptumque sit, vel verbo indicaretur. Hanc excipit vita Poetae, loco illius, quae quondam a *Mafuicio* secundum temporum seriem exhibitae fuerat, sed propter errores ipsi adhaerentes quamplurimos et graves, repetenda non videbatur, chronologico ordine denuo conscripta: in qua quid quoque anno in republica gestum sit primum commemorat, deinde hinc quae ad carmina poetae illustranda valeant, fumenta demonstrat. Subiiciuntur testimonia de Virgilio et eius Operibus, Argumenta librorum, Epiraphia denique. Non minus se commendat utilemque reddit haec editio Dissertatione de Carmine Bucolico, in qua cum omnino de argumento et materie, tum de moribus ac sententiis, verbis atque numeris, de descriptione ac oeconomia carminis disputatur, allegoriae denique in eo a nonnullis captatae revincuntur. Iam, quo expeditior esset Eclogarum sententia, carum singulis argumentum praefixit, in quibus saepe, ac, quod necessitas exegit, fere in omnibus, inepto allegoriarum accommodandarum studio occurrit, omninoque, cum allegoriae notiones sint secundariae, si ex prima et propria quid dicatur apertum sit, allegoricum sensum, ut vocant, superfluum habendum esse praecipit. Bene disputat ad Ecl. IV. contra eos, qui eius argumentum ad vaticinium de Messia retulerant, et acute monet, sicut in quibusvis populorum calamitatibus vaticinia quaedam ferantur, ita apud Romanos suscepto civili bello idem obtinuisse, eoque tempore cum alia, tum Sybillina oracula plurimum valuisse. Quibus in vaticiniis, cum fere ad Seculum aureum commutationes rerum revocentur, eundem loquendi morem ipsam quoque

Poetam

Poetam servasse. Ceterum in natalem nobilis pueri, sed non Salonini, aut aliorum qui vulgo nominentur, cui opinioni temporum ratio adversetur, scriptam esse. Iam porro, Prooemio Georgicis praemisso, praeclare de Poeta meritis est. Huic generi *molle ac facetum*, ut Horatius appellat, proprium vindicat, hoc est, remotam ab omni asperitate dictionem, decus, et exultam elegantiam, ut ubique politum, urbanum, honestum ingenium agnoscas. In quo laudatur Poetae artificium, quo, quae is non primum ex se prolata cecinisset, sed ab antiquis fere tradita didicisset, ita elaborata, ita exulta, ita exornata dedit, ut novitatis non tam speciem, quam ipsam vim veritatemque prae se ferre videantur. Suademus, istas disputationes legi et expendi. Atque id tanto magis, quo maiore cum damno inventuris, veterum scriptorum lectione ad omnis humanitatis sensum excitandae, et ad inveniendum feliciter, aptaque rem propositam quamcunque oratione exprimentam, acuendae et exercendae, negliguntur a magistris in interpretando, quae ad hoc consilium obtinendum profunt. In textu Virgilio exhibendo Burmani recensionem, quae Heinshianam sequitur, unice retinuit, ne subinde nova exemplarium discrepantia, plus molestiae ac taedii, quam fructus et utilitatis, habitura, inferretur. Unaquaeque pagina superior contextum, media variis lectiones et virorum doctorum coniecturas, inferior Commentariam refert. Observationes et coniecturae Cel. Reiskii, quae crebro commemorantur, acutae sunt pleraeque, nonnullae etiam a certitudine parum remotae. Speciminis loco haec sunt. *Georg. I, 320.* certissime videtur legere:

*Quae gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublime expulsam ruerent,*

pro eruerent. *Georg. II, 136.*

Sed neque Medorum silvae, ditissima terra

Ubi praeclare vidit, coniungendum esse *silvae ditissima.* In commentario conficiendo, quod consilium spectaverit Auctor, ipse his commemorat verbis: „Ceterum eam legem et regulam,

„gulam, quae omnibus interpretibus proposita esse debet, ut
 „nihil, quod luce aliqua indigeat, cum ad illustrandum diffi-
 „cile sit, omittant, ac praetereant, nihil quod satis lucis ha-
 „beat, alienis luminibus affusis offuscent et obscurant, nun-
 „quam ex oculis dimisi, atque ea adeo industria et cautione
 „me illud assequutum esse spero, ut si non raram doctrinam,
 „inauditas observationes, severas in alios stricturas attule-
 „rim, at utiles tamen commentarios in poetarum principem
 „condiderim, in quibus ea proposita sint, quibus eius lectio
 „adiuvari, commendari, et, si non omni molestia liberata,
 „at cum voluptate tamen aliqua coniuncta videri possit.“
 Scilicet laudabile hoc est, quod praeter eruditionis Poetae
 laudem, locorumque, quos imitando expressisset, indicia, ubi-
 que eius in tractanda ornandaque re artificium, delectum,
 elegantiam, honestatem, convenientiamque imaginum, sen-
 tentiarum et orationis, notare conatus sit. Quantum hinc
 puerilis institutio, cui potissimum adiuvandae omnem hunc
 laborem suscepit, commodum capiat, facile licet existimare.
 Quae si magis quam plerumque sit, hoc genere observatio-
 num, quo animus alitur, magnarumque cogitationum capax
 fit, contineretur, minore cum taedio docentium, maiore-
 que cum emolumento discipulorum, perageretur. Subinde
 quoque Popii, Gesneri, celebriorum poetarum comparatio-
 nem suadet. Nunc, quoniam rara est adolescentum ea pa-
 tientia, ut legendis commentariis doctorum insudent, et
 quidquid in his literis proficiant, prudentiae magistrorum
 fere soli committitur, ipsis veterum Auctorum interpreti-
 bus, hoc commentandi genus, ad utilem disciplinae rationem
 suscipiendam ingrediendamque, viam monstrare poterit. Sed
 tamen concepimus animo cogitationes quasdam, quas dissi-
 mulare nolumus. Videtur enim, ut breviter dicamus, in
 aliis plenius et copiosius, in aliis imperfectius scriptus esse
 commentarius. Illuc referimus crebras verborum poetae
 pedestri oratione editas circumlocutiones. Ac dum nihil,
 quod explicationem admitteret, inexplicatum relinquere co-
 gitat

gitat Auctor, subinde ad verborum formularumque dicendi, quarum sententia aut iam nota, aut non difficulter reperienda esset, interpretationem delapsus est. Qui reliquo doctrinae apparatus, qui hunc commentarium instruit, frui et delectari didicerint, ii, quid esset *dare se*, quid *genialis hiems*, quid, *quae perhibetur amara*, denotaret, vix erant docendi. Contra, aliquid pulchre, eleganterque dictum saepius laudari meminimus, quod tamen, quomodo tale sit non intelligant adulescentes, nisi admoneantur, aut ita iam latine docti sint, ut vim notionemque verborum accurate teneant, sine qua scientia cecum est in hoc genere iudicium. Non satis est *deripere testis*, pro *sumere* dictum praecepisse, sed qua virtute id factum sit, docendum est. Cui non propria notio vocis *indulgentiae*, qua de parentibus respectu liberorum dicitur, in animo obversetur, is si *indulgentiam caeli* exquisite pro *clementia*, *temperie*, positam audiat, quid dicatur ne intelliget quidem, praesertim cum illud decretum non in universum valeat, sed quibusdam tantum locis aptum sit. Plurimum quoque huius generis, ut de arboribus, *contemnere ventos*, plane silentio praetermitti vidimus. In pauca quaedam incurramus, de quibus, an recte exposita essent, dubitaremus. *Ecl. III. v. 109. 110.*

*Et vitula tu dignus et hic: et quisquis amores
Aut metuet dulcis, aut experietur amarus.*

Sunt verba Palaeemonis iudicis ab alternatim canentibus adsciti. Hic adnotat: „haec verba (*et quisquis etc.*) — non — „quid ad reliquam sententiam velint, ab nullo interprete motum aut dictum est, neque unquam dici posse existimo.“ Et paucis interiectis, explanatisque prioribus verbis per se apertis, subiicit: „quorsum reliqua hoc et sequenti versu spectent, non facile dicas.“ Dicamus ergo, quid nobis in mentem venerit. Admodum probabile est, ista verba ad hos duos, qui in ecloga cantantes inducuntur, referri, quorum alter potiri se expetitis formis, paratoque et facili amore frui gloriatus, alter acerbo et immiti cruciari questus fuerat. Quod

comparandis versibus 73. 74. 80. 81. et 66. 67. 82. 83. intelligitur. Hoc autem expressit Poeta per *amores metuat*, (nam dissimulare non possumus, hoc summo, praeserendam videri lectionem *metuat*, et *experiatur*, quae in libris quibusdam reperitur,) *dulcis*, hoc est, in eorum usu sollicitus et cautus sit. Metuere enim in rebus secundis sapientiae est. *Horat.* Od. II, 10, 13.

*Sperat infestis, metuit secundis,
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus —*

Palaemon autem, quasi non satis attenderit ad quem quidque pertineret, alienior insuper ab hoc genere iudicii, dicit *quisquis*. *Ecl.* VI, 5. *deductum carmen* explicatur tenue pastoritium, a lana in filum deducta, quod ferri posset, si additum fuisset: hoc in loco. Nam eam explicationem non ubique retinendam, vel *Ovidii* *Trist.* I, 1, verba docent:

Carmina proveniunt animo deducta sereno

Ergo *deductum carmen* est omnino elegans, aptumque rebus quas tractat, sive magnis et sublimibus, sive mediocribus et humilibus. eadem *Ecl.* v. 30.

*Quo cursu deserta petiverit et quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis.*

Immerito illud *ante* vitii insinulatur, cum nihil sit aptius quam *ante sua tecta supervolitaverit* iungere, ut hoc *Philomelae*, illud, *deserta petere*, *Tereo* conyeniat. *Ecl.* VII. *inconstantiam* accusat pastoris, modo *Galateam*, modo *Alexin*, modo *Phyllida* collaudantis. In quo, quid delectationi legentis obsit, aut cur *Popius* praeserendus sit, non videamus. Quidni enim poetae, amatoris hominis, quacunquē forma commoveri, pluriunquē amore distineri soliti, mores referre liceat? *Georg.* II, 115. verborum, *pictos Gelunos*, simpliciter repudiat explicationem *Servii*, qui ita dici hos populos propter inulta sibi stigmata notat; quam veram esse putamus. Unde hoc confirmari possit, locus perspicuus est apud *Claudianum* I. in *Ruff.* v. 314.

Membra-

Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus:
 ubi videndi C. Barthius et Gesnerus. Ipsam dictionem *ferro pingere* etiam habet Iornandes c. 2. qui de Britannis, *incertum*, inquit, *ob decorem, an aliam obrem, ferro pingunt corpora*. Ut adeo haec, Salmasii et Emmenestii, Editoris denique, qui de coloribus corpori adlitis accipiunt, sententiae praeferenda sit. Eodem libro v. 467. *nescia fallere vita* explicatur vita tuta, constans, nullis casibus, adeoque nec metui obnoxia. Hoc nec esse potest, nam omnis vita casibus obnoxia; nec per vim verbi denotare valet. Vita fallere nescia, est vita nescia effugere, quae non ignoratur, qua capitur vitae fructus, vere vitalis, non sine usu transiens nostro, quae nobis vivitur non aliis; qua carent, qui in aula, in foro, in militia, in negotiis et quaevis pecuniariis, et reliquis vitae generibus et artibus, sive liberalibus, sive illiberalibus, addicti vivunt. Et haec est *fallentis semita vitae*, ut vocat Horat. Epist. I, 18, 103. Possunt divitiae dici *fallere* homines, qui earum usum intermittant. *Fallere*, λαδαν, in hac notione, bene interpretatur Bentleius ad Horat. Od. II, 16, 31. Iam porro v. 521. *ponit factus ausum*, in notis docetur dici, dum poma matura decidunt; quo non opus erat, et obscuratur metaphorica. De usu verbi *ponere*, quo de partum edentibus dicitur, aliquid admonendum erat. Catull. 35. *quam mater prope Deliam deposuit olivam*: vid. Burmanus ad Phaedr. I, 18, 5. Sic supra v. 460. *Fundit humo facilem victum iustissima tellus*, ubi adnotatum legitur, „*fundit*, sufficit, suppeditat, at sentis puto, quam istud ad copiae notionem valeat.“ Non tam eo respici putamus, nam in *fundere* non inest copiae notio, quam ad facilitatem, qua promte et expedite terra victum profert. *Fundere*, quod nisi sciatur, nec loci venustas sentitur, iterum est *parere*, et quidem sine labore, quod ipse quoque Burmanus ad Phaedr. III, 15, 6. pluribus docuit. Georg. III, 482. Ex nota non satis intellexeris, quae sit *via mortis simplex*. Difficultatem explicandi, remoto, in quo frustra haeret, inter *mortem simplicem*, et *viam mortis simplicem*.

cem discrimine, facile superare licet. Sane cum via mortis simplex fuisse negatur, id dicitur, varios cruciatus mortem ipsam praegressa.


Georg. IV. 344. Suavis est, dum scribit: „quomodo venatrices Nymphae inter Oceanitides locum habere possint, nondum assequor.“ Quid? non cogitavit Oceanitides esse Oceani filias? quasi vero ex his ipsis non quaedam venatrices fuerint. Versu 520 — *Spretas Ciconum quo munere matres* — *Discerptum latos iuvenem sparsere per agros.* Locum sane difficilem, variis explicationibus et coniecturis tentarunt interpretes. Novissime Cel. Editor *Sprito* ex quibusdam codicibus praefert, et *munere* accipit de luctu officioque erga defunctos, ut istae feminae sprevisse pietatem eius in uxorem dicantur. Sed nec sic explicandae sententiae loci satisfieri videtur. Cur non potius, quod quantum scimus nemo interpretum vidit, *munus* ipsam Eurydicen, sicut antea *irrita dona*, dici putemus hac sententia: hoc munere oblato vel amisso, prae hoc munere, spretae Ciconum matres, se vel filias in matrimonium offerentes, iniuriam contumeliamque discerpto eo ultae sunt.

HISTORIAE DIPLOMATICAE IURIS PATRONATUS Apostolicorum Hungariae Regum Libri III. Auctore ADAMO FRANCISCO KOLLARIO, Patronio Neosoliensi, Mariae Theresiae Augustae a Consiliis, et Aug. Biblioth. Vindobon. primo Custode.


Vindobonae, typis Geo. Lud. Schulzii, Acad. Typographi, MDCCLXII. in 4to: 1 Alph. 11. pl. absque dedicatione, praefatione, et indice.

Hanc historiam eo consilio Kollarus scribere aggressus est, ut veram iuris Patronatus ex legibus Hungariae origi-

originem, omnes controversias potiores, usum eius legitimum, et nulla unquam vicissitudine temporum interruptum, veterum ope litterarum perspicue et succincte explicaret, nobisque tribus libris proponeret. Quid in unoquoque istorum presiterit, iam videbimus. Primo igitur libro, de initiis religionis Christianae inter Hungaros, de sacrae Coronae, deque Iuris Patronatus vera origine, disseruit. Statim *Cap. I.* Schwarzii, Viri Celeb. nunc Theol. D. et Pr. Primarii in Academia Rintelensi meritissimi, de initiis religionis Christianae inter Hungaros sententia, breviter proponitur; quippe qui in diss. de hoc argumento habita Halae Magd. 1740. asseruerat, litteras a Silvestro II. ad Stephanum, primum regem Hungariae Christianum, scriptas, supposititias esse, regumque ius Patronatus ab *αρχαία* quadam ecclesiastica et *αυτονομία* profectum, et Christiana sacra a Graecis ad Hungaros perlata fuisse. Quae omnia triumvirorum testimoniis, videlicet Ioannis Seylitzae Curopalatae, Cedreni, atque Zonarae, stabilita quidem et confirmata a Schwarzio, verum etiam a Io. Stillingio in Actis Sanctorum, (quod nos non credimus,) refutata omnino esse prodidit. *Cap. II.* Sententia Schwarzii examini subiicitur: eam unico tantum niti testimonio Seylitzae, ex quo Cedrenus et Zonaras sua hauserint, asserit; igitur inde rem confici minime. Alterum argumentum, ex Gyulae principatu in Transilvania ductum, qui nempe Horcae filius, et Saroltae pater fuerit, et Christiana Sacra Constantinopoli amplexus sit, hoc modo diluit, ut demonstret, Gyulae nomen dignitatem iudicis in Hungaria denotare, neque demonstrari idoneis posse argumentis, Gyulam cum Sarolta filia sacris initiatos fuisse Christianorum. *Cap. III.* Initia religionis Christ. inter Hungaros catholicae Christi ecclesiae adferuntur. Totus est in eo A. ut doceat, Geysam ducem, eiusque filium Stephanum, cum gente sup Pontifici Rom. subiectos fuisse; huius rei causa litteras Stephani, monachis latinis ex disciplina Benedicti montis Pannoniae, A. 1001. datas, quarum *αρχαία* Schwarziius quae



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM

LEIPZIG 1768

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT
DAS ORIGINAL DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
ERLANGEN-NÜRNBERG ZUGRUNDE

SIGNATUR: LTG. IX.88.

que agnoscit, produxit, ex iisque collegit: Geyfam ducem in Hungaria monasterium pro monachis latinis extruxisse, quod mortuo Geyfa filius eius Stephanus ad finem perduxit. Exceptioni vero Schwarzii, statuentis, ecclesiam Hungaricam initio sui ortus fuisse capite destitutam, ita occurrere studuit, ut Seylitzæ relationi de Gyula, qui secum adduxit monachum quendam Hierotheum nomine, fidem conciliet. Litteris denique duabus Benedicti VII. summi Pontificis, et Laureacensis Episcopi, extantibus apud Lambecium Comment. L. II. p. 641. ostendit, Hungaricam ecclesiam ab initio fuisse latinam. *Cap. IV.* Auctoris opusculi, Hungaria sub Vainodis et Ducibus inscripti, (A. fuit Ioannes Pelczius, qui libellum cum censura Senatus Sempronienfis, Sopronii, typis Io. Ios. Sieffi, A. 1755. octonis edidit,) de initiis religionis christianae inter Hungaros sententia, obiter refutatur. Pelczius nimirum duas de conversis Hungaris ad Christ. religionem sententias, quarum prior Ottonis, posterior Constantini Imperatoris tempore hoc contigisse affirmat, conciliare studet, distinguendo inter sacra publica et privata, domestica et clandestina. De veritate clandestinorum sacrorum per Pannoniam, ab ethnicis Hungaris subactam, eundem cum Pelczio A. fovet opinionem; de privatis autem et tolerantis in alias plane transit partes: quare verba illius, Gylan, partis cuiusdam principem, in suam provinciam sacra Christianorum invexisse, tanquam novum commentum rejicit. *Cap. V.* Novae ahae Schwarzii opiniones, de sacra regni Hungariae corona, refelluntur. Coniectura illius, coronam Hungaricam graecae esse consuetudinis et artificii, igitur ab Imperatore Constantinopolitano Hungaro cuidam dono fuisse datam, non statim concedi potest; quoniam in variis urbis Romanae templis multas Sanctorum imagines in muris tholisque more graeco depictas eternare est, teste Leone Allatio de cons. eccl. occ. et orient. quae tamen nequaquam originem a Graecis traxerint; sic quoque rem se hic habere videri. *Aliam, melioremque viam idcirco ingredi suadet, scilicet, co-*

ronam Hungaricam ad imitationem graeci imperialis diadematis factam esse, quod cum ex more graecorum, non filio Imperatoris, Despotae, Sebastocratori vel Caesari, sed Imperatori solum fuerit concessum, non potuit Gyulae aut Bolofudi dari. *Cap. VI.* Altera Schw. de orig. Hung. cor. falsa opinio reiicitur, quae haec est: exteris gentibus in more fuisse positum, si quam egregiam Imperatoribus Graecorum operam navassent, coronas quoque inter caetera ab iis munera flagitavisse. Quod quidem factum esse A. non negat, ac Graeci importunas ac impudentes has petitiones nominarunt recularuntque; quod patet ex monito Constantini Porphyrogeniti ad filium. Neque unum exemplum pro imperiali diademate, barbaro cuiquam principi a Graeco donato, ex historia afferri potest; nam coronae, diu ante Hungarorum in Pannonias adventum, pro sacris sunt habitae, ergo hac quoque de causa barbaris dari non poterant. Exemplum autem de Simeone, Bulgariae Principe, a Nicolao Patriarcha coronato, nullius plane in hac causa est momenti, quoniam coronae loco proprium capitis integumentum, sive calyptram, testibus probatissimis Scriptoribus, ipsi imposuit. *Cap. VII.* Diadema regni Hungariae a Silvestro II. summo Pontifice Stephano missum esse, omnis aevi Scriptorum auctoritate ostenditur, et causae, cur graecae constructionis sit, proponuntur. Testimonia Dithmari, Chartuicij, et Raynaldi, hac in re potissimum laudavit A. atque inter causas has duas eminere dixit: 1) Silvestrum, diademate ad imperialis Graecorum instar efficto, orthodoxam et catholicam Constantini M. coronam ad alium orthodoxum, catholicum, et Constantino M. simillimum regem, transferre constituisse: 2) Pontificem Ottoni III. Imper. placere voluisse, unde adempto imperatoribus graecis diademate, aut certe simili efficto, et novello catholico regi submisso, Graecorum deprimi factum, et singularem occidentalis imperii dignitatem extolli, credidit. *Cap. VIII.* Reliquae Schwarzii rationes, huic opinioni adversae, refelluntur: v. c. cur corona Hungarica sit graecae consuetudinis; cur

iconibus Graecorum Imperatorum ornata; cur litteris graecis inscripta. *Cap. IX.* prima et vera iuris patronatus Apostolicorum regum Hungariae origo explicatur. Tribuit eandem huic cum christianae religionis in Hungaria initiis originem, statuitque, illud a Silvestro Stephano concessum esse; cuius rei causa litteras Silvestri laudavit, atque asseruit, Stephanum Proceresque regni, sub conditione huius iuris, christiana sacra amplexos fuisse. *Cap. X.* Litterae Silvestri II. a reliquis Schwarzii obiectionibus vindicantur; et *Cap. XI* eae diligentius expenduntur. *Cap. XII.* De titulo Apostolici, Stephano caeterisque Hungariae regibus ad A. 1758 die 19. Aug. passim dari solito, differitur. Pontificem summum tantum Apostolicum nominatum, Stephanum vero Apostolum ab initio dictum, sequioribus vero temporibus Stephanum ceterosque reges Hungariae privata auctoritate apostolicos appellatos dicit; sed tempus non exacte definiri posse prodit. Tandem *Cap. XIII.* hunc titulum a Clem. XIII. Anno 1758. d. 19. Aug. Hungariae regibus concessum esse, ex pontificiis litteris probatur.

Libro II. Auctor ostendit, Regem Stephanum, concessa sibi et successoribus suis Apostolici legati potestate, in disponendis per Hungariam Christi ecclesiis, fuisse usum; deinde fortunam et usum legitimum eiusdem potestatis, ab obitu Regis ad A. 1270, sive duplicem, nullo intercedente Schismate, centenariam praescriptionem. *Cap. I.* igitur primus iuris regii usus, litteris foundationis monasterio S. Martini in monte Pannoniae a rege Stephano concessis, ostenditur. Infertis litteris regiiis, Mansii errores circa illas A. notavit atque refutavit. *Cap. II.* eadem Legati Apostolici potestate privilegia Episcopo Quinqueecclesiensi indulgisse Stephanum affirmat. Episcopatus autem hic, cum Veszprimiensi, ab R. Steph. A. 1009. conditus fuerat. Notavit A. tabulas foundationis monasterii Veszprimiensi graeco idiomate esse exaratas, quarum tamen copia ipsi facta non est; at latinae a Szegedio cum autogra-

tographo graeco collatas esse asserit. *Cap. III.* eadem apostolica potestate Regem Monasterium Pécs-Várad, alias Varad dictum, condidisse, ac privilegiis ecclesiasticis exornasse, litteris foundationis, a Petro in Conciliis Hungar. asservatis, docuit. *Cap. IV.* Abbariam S. Adriani M. de Szala, a Rege conditam, et immunitatibus ecclesiasticis pro munere legati Apostolici ornatam, ex litteris ad Abbatem, quae in Bibliotheca Vindobonensi, cum aliis quibusdam Posoniensis Tabularii diplomatum apographis, asservantur, exhibuit. *Cap. V.* Litterae foundationis Monasterio Bakon-Belienfi a Rege concessae, eandem vicariam apostolicam continentem, recensentur, ex quibus A. Ius Patronatus Hungariae regum probavit. *Cap. VI.* vicissitudines huius iuris ab obitu regis descripsit, asserendo, sub quinque regibus sequentibus tristissimam regni Hungarici et ecclesiae fuisse conditionem; nihilo tamen minus ius illud regium, cum religione ipsa, salvum mansisse. *Cap. VII.* Narrantur ex litteris Gregorii VII. Pont. R. contentiones de regno Hungariae Romanae Sedis hereditario, quibus asseritur a rege Stephano olim beato Petro cum omni iure et potestate sua illud oblatum, et devote traditum. *Cap. VIII.* Gregorii VII. de eadem re ad Geysam I. Hungariae regem litterae proponuntur. *Cap. IX.* iisdem litteris Ladislaum, Geysae successorem, a Gregorio VII. lacessitum demonstrat, regem tamen apostolica sua usum esse potestate, ex constitutionibus Synodi de A. 1092. proponit. *Cap. X.* Eadem potestate R. Colomanum, Ladislai successorem, fuisse usum, ostenditur ex libris duobus Decretorum in Corpore Iuris Hung. *Cap. XI.* prima sub R. Colomano cum Paschali II. Pont. R. controversia, ob Pallium, Archiepiscopo Colocensi oblatum, a. 1102. orta, exponitur. Occasionem huic liti mors Alberti, Archiep. Coloc. in cuius locum Hugolinus I. Colomani voluntate surrogatus fuerat, praebuit. Hugolino itaque, Pallium pro more a Paschali II. petenti, rescripserat Pontifex, haud quaquam illud se ei concessurum, nisi iuramentum per nuncios submissum proba-

re,

re, et conceptis eius verbis sibi ac sedi Apostolicae iurare vellet. Quibus Hugolinus rescripsit: Regem Colomanum, Proceresque regni, vehementer fuisse admiratos, petita sibi pallium ea cum iuramenti conditione offerri, quam is salva regis auctoritate adimplere haud quaquam posset. Commotus his Pontifex, litteras Hugolino, quas A. inseruit, scripsit, quibus quid pallium? quae auctoritas Pontificis sit? atque iuramentum illud, (cuius quoque formula penes A. extat,) per omnes ubique provincias vigere, et cur inductum sit, doceret: verum Colomanus iuramento isto ius suum circumferri non est passus. *Cap. XII.* Colomanum Paschalis II. monitis obtemperantem, et ius investimenti per anulum et baculum remittentem, sistit: probatur vero ex refutatione Investiturae Episcoporum Actis Conc. Guastallensis A. 1106. sub Paschali II. celebrati subiuncta, quae docet, reges Hungariae iure Investiturae cessisse, in electionibus tamen et translationibus ius suum retinuisse. *Cap. XIII.* Tempus et nomen regis, qui Investituras per episcopalia insignia, retento homagio, sive fidelitatis iuramento, remisit, indagantur. Nihil certi ex Collectoribus Conciliorum potest colligi, quoniam non satis diligentes in colligendis Actis Conciliorum fuere. Ex tabulis tamen cessionis apud Io. Lucium, de regno Dalmatiae, iudicavit A. renuntiationem iuris Investiturae sub Paschali II. a Colomano R. vel certe Stephano eius filio fuisse factam, simulque de more investimenti Praelatos differit. *Cap. XIV.* ostendit, a morte Colomani R. usum iuris regii pacificum ad A. 1160. circa quem Geyla II. certis illud limitibus circumscripsit, quam circumscriptionem Bela III. eius filius A. 1179. confirmavit, fuisse. Diploma ipsum hanc in causa, maiori diligentia, quam in Annal. Baronii, exscriptum, huic cap. additum est. *Cap. XV.* Vulgatum illud diploma diligenter expenditur. Inscriptionem illius a Purpurato Aragonio factam, neque Stephano III. sed Belae tertio et Henrico tribuendum esse, existimavit; deinde argumentum ipsum diploma-

matis curatori studio indicavit. *Cap. XVI.* Belae III. Regis, de electo à se Spalatensi Archiepiscopo, cum Alexandro III. controversia, sub examen vocatur. Ea videlicet inter Belam III. Hungariae Regem et civitatem Spalatensem agitata est A. 1181. propter Theobaldum, sedis Apostolicae per Dalmatiam et Slavoniam legatum, quippe qui Episcopatum Pharensensem ecclesiae Spalatensi attribuerat contra Iadertinam sedem; qua re intellecta Bela III. obstitit electioni Archiepiscopi Spalatensis, et Petrum Ungarum, ad metropolitanam dignitatem pro iure suo evectum esse voluit, quod litteris ei Alexander Pontifex negavit: sed non longe post mortuo Alexandro, Lucius III. successor eius, Belam iure Hungariae regum veteri pacifice uti permisit. *Cap. XVII.* Emericus, sive Henricus Rex, Belae III. filius, constitutionem Geysae avi, a patre confirmatam pariter atque pater interpretatur, et ius suum regium non segniter tueretur. Existimat A. primam hanc sub Henrico de iure regio, et de constitutione Geysae, controversiam fuisse A. 1198. simulque occasionem litis, totiusque rei gestae summam, exposuit. *Cap. XVIII.* Docet, eadem ratione constitutionem avi sui Geysae, et confirmationem Belae patris, intellexisse Andream II. Regem, et ius suum regium exemplo patris fratrisque strenue defendisse. Andreas videlicet, Dux et gubernator, Ladislai nepotis sui regis nomine tunc summae rerum praesuit, cum Strigoniensis metropolitana sedes vacaret; is igitur Joannem Archiepiscopum Colocensem, Metropolitanum Strigoniensem esse iussit; at eam electionem se ratam habere non posse litteris Innocentius declaravit, quippe qui statutos cum a se, tum a decessore suo Coelestino, de electionibus Praelatorum recentes Canones, in Hungariam inducere conatus est. Tandem vero Pontifex, re accuratius cognita, Andreae regi paulo post coronato, et per litteras petenti, ut hanc translationem ratam haberet, annuit, uti ex litteris ad Capitulum Strigoniense datis patet: constat praeterea ex his, prout partes ad electionem habuisse regem, pontificem

vero ad consecrationem. *Cap. XIX.* causae genuinae huius controversiae indicantur, inter quas primò statim tenet locum Coelestini III. et Innocentii III. temeritas, ius hoc primarum ad electionem partium catholicis principibus adimendi; quae recentes Canones in Decr. tit. de elect. c. 4. et 28. exstantes, sub ipsa regni Andreae II. initia inducere voluerunt. Haec tamen iuri regio nihil derogant, si ius eligendi, quod regi a Stephani temporibus consensu Pontificis fuit concessum, a iure nominandi, postulandi, ac praesentandi distinguatur. Ergo ab hoc more, sine periculo sacrae coronae, non est recedendum. *Cap. XX.* De Bela IV. ius primarum partium ad electionem Praelatorum singulari prudentia detenta, agit. Hungaria per Tataros tunc oppressa, et respectu huius iuris iacturam passa fuisset, nisi Bela Innocentium IV. liberata Hungaria de illo per litteras certiore fecisset, qui deim Archiepiscopo Colocensi, Benedicto, commisit, ut veritate huius rei investigata ipsi omnia referberet. *Cap. XXI.* Alia sub eodem rege, de primis partibus ad electionem controversia expenditur. Occasionem huic praebuerat Stephanus Vancsa, Archiepiscopus Strigoniensis, qui Romam se ob certa negotia confereas, ab Innocentio IV. Episcopus Praenestinus renunciatus est. Bela igitur in eius locum Benedictum Colocensem Archiepiscopum, cum consilio Pontificis, quem litteris huius rei causa sollicitaverat, surrogare voluit. Negavit autem hoc Pontifex, instigante Stephano, qui infulas ecclesiae Strigoniensis retinere una cum Praenestino Episcopatu conabatur; quare litteris duabus, quae hic insertae leguntur, sua iura Bela iterum confirmavit. *Cap. XXII.* Genuina huius controversiae causa detegitur, quae repetenda utique est a Stephano Vancsa: cum enim aeris Italici intemperiem ferre non posset, summum Pontificem, ut ad Strigoniensem sedem eum iterum traduceret, exoraverat; quod quidem certis conditionibus concessit Pont. verum Bela a suscepto consilio nullis precibus, nullis Stephani artibus, sese dinoveri passus est.

Hac

Hac itaque constantia Belae victus Pontifex, petitioni regis subscripsit, et Benedictum Colocensem Archiepiscopum ad ipsam illam Strigoniensem ecclesiam transferri passus est.

Libro III. ostenduntur vices et usus legitimus vicariae apostolicae potestatis in disponendis per Hungariam Christi ecclesiis, regi Stephano eiusque legitimis successoribus a Silvestro II. summo Pontifice concessae, ab A. 1270. usque ad A. 1314. quo Uladislai regis iussu, iura et consuetudines regni Hungarici collectae et scripto vulgatae sunt; denique interpretatio tit. 10. et 11. Tripartiti Part. I. sive diplomaticae huius historiae scopus et finis, sequitur. *Cap. I.* vicissitudines iuris regii a morte regis Belae IV. ad A. 1279. describuntur. Sub Ladislao IV. nova lis de iure hoc orta, cuius *Cap. II.* prima et vera causa exponitur. Nicolaus Pontifex Legatum miserat, quem aditu regni prohibere sibi admisit Ladislaus, nec impedivit tamen; coniecit A. hoc factum esse a rege, quoniam ipsi innotuerat, quae Legatus de iure regio constituere intenderet. Nihil tamen fecit, precepto huius Legati ingressu, se ipsius monitis conformem reddidit, atque in articulos Synodi provincialis Budensis A. 1279. celebrandae a Philippo A. S. L. iurare inductus est ante, quam Synodus celebraretur. Quo tamen iuramento iuribus suis sibi caverat verbis: quaecumque pro ampliatione ecclesiasticae libertatis ac *sublimatione* regalis solii — duxerit ordinanda. Iustis vero postea de causis, ne de iure regio plane actum esset, Synodum abrupte consultum duxit. *Cap. III.* rationes adfert redduntur, ex art. 23. de intrusis in beneficia, quo ius regium pene sublatum, et art. 49. quo ius regaliae, sive in Bona a morte Praelatorum vacantia, eripiebatur; quare abrupta Synodus art. 69. adversus bonorum et iurium ecclesiasticorum invasores declamavit. Censet A. Ladislaum hac in re erravisse, quippe qui iura regia publicis docere litteris, et regem Hungariae

nullo iuramento, quod in praeiudicium regni sui iuraverit, teneri, declarare debuisset. Castigatus huius erroris gratia litteris Nicolai III. quas integras hic conspici licet, ad meliorem frugem rediit, uti ex litteris citis conspicuum fit. *Cap. IV.* subinde adnotata quaedam ad praecedentes litteras continet. Afferitur quoque, Ladislaum constitutiones apostolicas de excindendis haeresibus, ab Apostolica sede quomodocunque perlatas, recepisse; deinde eum apud Martinum IV. summum Pontificem, Nicolai successorem, valde conquestum esse de iuribus coronae et regni Hungariae, cum a suis ministris, tum etiam ab aliis fraudulenter subverlis: exhibentur denique ea de re litterae Martini IV. ad Ladislaum, memoria dignae. *Cap. V.* a morte Ladislai variam, cum regni Hungariae, tum iuris huius regii fortunam describit, et demonstrat, constitutiones Legati Apostolici a Carolo rege neque receptas esse, neque unquam recipi potuisse. *Cap. VI.* innuit, quid de litteris Capitulorum, per haec tempora ad summum Pontificem scriptis, quae speciem postulationis canonicae ad normam ecclesiarum Germaniae prae se ferunt, sentiendum? Statuit A. eas indulgentia Caroli regis scriptas, insignem iurium patriae ignorantiam prae se ferre; quod inde colligit, quia Carolus non semper ius suum neglexit, et Ludovicus I. filius ipse hanc indulgentiam, seu negligentiam, haud quaquam passus est. *Cap. VII.* Declarat Ludovicum patri successisse, iureque suo regio more maiorum usum, illudque strenue tutum fuisse. Huius rei probandae causa ad tria potissimum provocavit: primo enim ecclesiam Scepusiensem in Episcopatum erectam esse A. 1347. voluit, male controversa exorta est, quae usque ad A. 1439. filuit; deinde A. 1335 novum templum rex crexit Capitulo veteris Budae, et virginibus S. Clarae institutum professis templum ac monasterium magnificentum, cum matre Elisabetha, statuit; tandem A. 1375. Uladislauum, olim Ducem Cuiaviensem, cognatum Ludovici, Abbatia S. Martini montis Pannoniae dona-

donavit, contradicente Gregorio XI. Rom. Pontifice. *Cap. VIII.* Mariae, Ludovici filiae, et Sigismundi Imp. eius Sponsi, iuris regii conservandi studium A. describit. Maria etenim omnia decreta regum A. 1384. confirmavit. Sigismundus vero, quem coniurati post inaugurationem in arcem Szoklofensem captum deduxerant, ex custodia liberatus, arcem Strigoniensem, Vrebellium, et alia iuris Archiepiscopalis loca, in Fiscum redegit, Strigoniensemque Episcopum Ioannem de Canisa, conspirationis socium, bonis omnibus multavit. Praeter ea in ecclesias Dalmatiae, ab Hungaris tum avulsas, ius regium retinuit; ipsi etiam collatio beneficiorum, aliaque iura, a patribus Concilii Constantiensis A. 1415. confirmata sunt. Controversiam de Praepositura Scepusiensi sic finit, ut Praeposito illi insigne privilegium, singula beneficia vacantia in bene meritos dispensandi, conferret: sed et aliis decretis, Budae editis, optimo iuri regio consuluit. Gravia sane argumenta, atque quam maxime idonea, rei huic satis superque demonstrandae. *Cap. IX.* agit A. de Elisabetha, Sigismundi Imp. et Reg. filia, Alberti Austriaci, Hung. Regis, coninge. Mortuo nimirum Alberto Elisabetha regno praefuit, cuius indulgentia vacantem Strigoniensem Metropolitae sedem Dionysius de Szécs occupavit, testantibus duabus tabulis in sanctiori Augustae domus Tabulario asservatis, quas A. publici hic fecit iuris. *Cap. X.* docet, Ioannem Huniadem, seu Corvinum, pro Ladislao postumo partium Trans-Tibiscanarum gubernatorem, Episcopum M. Varadiensem elegisse, et ius suum tutum fuisse, quamquam Proceres regni, quia auctoritas gubernatoris multo infra regiam esse ipsis videretur, idcirco Romae questu sunt. Verum Huniades sedi Aposto-

licae respondit, se debere ius hoc Statui conservare summa cum integritate, et non permittere motionem in illa patria; voti etiam sui compotem factum esse A. perhibet. *Cap. XI.* Nova et gravior controversia de Episcopo Zagrabienfi describitur. *Cap. XII.* Eiusdem Huniadis, de Colocensi Archiepiscopo, Transilvaniae et Vacienfi Episcopi, a se electis, apud Pontificem cura et sollicitudo laudatur. *Cap. XIII.* tradit, Ioannem Huniadem idem negotium, tum per se, tum per alios vehementer urfisse. *Cap. XIV.* gravissimae controversiae de Praepositura Dömösienfi mentionem facit, cuius originem pariter ac causas ex libro, cui titulus est Topographia regni Hungariae, summa fide dexteritateque A. retulit. *Cap. XV.* Afferit Ladislaum Postumum, Archiepiscopi Strigonienfis Primatis Hungariae et Legati nati titulos confirmari a Pontifice obtinisse: Matthiam Corvinum autem, ut in omnibus regni Hungariae iuribus tuendis primum, ita neque in hoc iure patronatus regio propugnando secundum, filit. *Cap. XVI.* Successoris Corvini, Uladislai II. de iure hoc merita recensentur, et Tripartiti Part. I. Tit. II. cuius causa hic liber ab A. exaratus est, exhibetur. Quasnam enim obrationes hoc ius regibus competat, ex eo optime potest intelligi. Omnia ad quatuor revocari possunt argumenta: reges certe hoc iure gaudent ratione foundationis; deinde ratione susceptae religionis Christianae, quare rex Apostolus, vices ipsorum in terris gerens, audit, et duabus crucibus, in signum suae sanctitatis, fuit insignitus a Pontifice R. Porro ratione praescriptionis; et tandem ratione libertatis regni quoad collatio-

collationes beneficiorum, quae in Concilio olim Constantiensi confirmata est. *Cep. XVII.* Idem titulus ope historiae Hungariae illustratur, sive omnis celeberr. Auct. scopus et finis ostenditur, quo, testimonio omnis vetustatis, auctoritate diplomatum fide dignorum, et sanctitate Bullarum, ius patronatus regium inniti, luculenter apparet. Tractationi suae A. addidit Appendicem, de auctoritate Concilii Tridentini in praesenti argumento. Afirmat, reges ex Augusta domo Austriaca iure hoc semper usos fuisse, et adversus Szentivanium e S. I. (in diff. Paral. afferentem: Ferdinandum R. urfisse Concilium Tridentinum, cum firmo animo et proposito omnia decreta observandi,) monet, hanc sententiam his limitibus esse circumscribendam; quod istud Concilium iuri et libertati sacrae coronae Hungariae, et avitis regni legibus, non sit contrarium. Commemoravit quoque controversiam Ferdinandi II. super iure praesentandi et nominandi; sive potius iure peculiari coronae seu officio legationis apostolicae, an possit eligere Praelatos, et conferre beneficia ecclesiastica, cuius rei causa Imperator edoceri voluit a Petro Pazmanno. Voluntati eius satisfecit ille, ac demonstravit, salvum esse hoc ius regi, canonemque Conc. Trid. Sess. XXV. c. 20. haud quaquam ad iura Hungariae pertinere. Altera quaestio spectavit ad Episcopatus Titulares, quorum collationem R. Curia ad se recidisse contendebat, septem argumentis contrariam Pazmannus defendit opinionem. Ultimo denique loco A. definivit, ne in quaestionibus quidem de Appellatione Praelatorum, secundum

dum Concilii Tridentini Canones unquam pronunciatum esse.

En totius libri conspectum, de argumento gravissimo, et historiae iurisque publici Regni Hungariae amicis utilissimo; in quo pertractando profus singulare A. in colligendis documentis historicis studium, et in rebus proponendis egregiam ordinis rationem, aequè ac coniunctam cum perspicuitate subtilitatem gravitatemque argumentorum, merito laudamus.





INDEX AUCTORUM, quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recensentur.

I. *Libri Theologici et ad Historiam Eccle- siasticam spectantes.*

- B**andinii (*Ang. Mar.*) *Catalogus Codd. MS. Bibliothecae
Mediceae Laurentianae, varia continens opera Graeco-
rum Patrum.* 462
- le Bret (*Io. Frid.*) *Dissertatio de statu praesenti Ecclesiae
Graecae in Dalmatia, quae ritum Slavo-Servicum sequitur.*
224
- — — — *Acta Ecclesiae Graecae annorum 1762. et
1763. sive de schismate recentissimo in Ecclesia Graeca sub-
nato. Commentatio.* 283
- Deylingii (*Sal.*) *Institutiones Prudentiae Pastoralis, Editio ter-
tia auctior, per D. Christ. Wilh. Küstnerum.* 329
- Fischeri (*Io. Frid.*) *Exodi Particula, atque Leviticus, Grae-
ce; ex Biblioth. Colleg. Paullini Lips. Cod. MS. editur.*
369
- Gerdesii (*Dan.*) *Specimen Italiae Reformatae.* 172
- Hexaplorum Origenis quae supersunt cultiora et emendatiora,
edidit notisque illustravit Carolus-Fridericus Bahrdt.* 529
- ab Hoven (*Io. Dan.*) *Campensia, seu Spicilegia Critico-Anti-
quaria. Fasciculus I.* 378
- D d d d Itali

I N D E X

Itali cuiusdam animadversiones super Ecclesia in universum, super Clericis regularibus et secularibus, super Episcopis et Pontificibus Romanis, et super iuribus Principum ecclesiasticis.

241

Lexicon Hebraico - Chaldaico - Latino Biblicum. Pars I.

374

Mingarelli (Ferdin.) Veterum testimonia de Didymo Alexandrino coeco, ex quibus tres Libri de Trinitate nuper detecti eidem asseruntur.

248

Psalterium Syriacum, recensuit, et latine vertit Thom. Erpenius. Notas philologicas et criticas addidit I. A. Dache.

297

Schellhornii (Io. Georg.) Amoenitates Historiae Ecclesiasticae et Lutheranae. Volumen III.

137

Stiltingii (Io.) Suyskeni (Constant.) Perieri (Io.) et Io. Clesi Acta Sanctorum Septembris, ex Latinis et Graecis, Tomus VII.

337

II. Libri Iuridici.

Hommeli (Car. Ferdin.) Corpus Iuris Civilis, cum notis variorum.

169

— — — Palingenesia Librorum Iuris veterum, seu Pandectarum loca integra.

281

Iusti (Petri Pauli) Specimen Observationum criticarum in varia Iuris Romani loca.

1

Kollarii (Adami Francisci) Historiae diplomaticae Iuris Patronatus Apostolicorum Hungariae Regum, Libri III.

562

Püttmanni (I. L. E.) Probabilium Iuris Civilis Liber singularis, Accedit eiusdem dissertatio iuris canonici de Legislatore Ephesino ad c. 5. X. de praescript.

472

III. Libri Medici et Physici.

Anonymi de Transactionibus Philosophicis in Germania edendis Programma.

42

Abat

A U C T O R U M.

<i>Abat (Bonavent.) Oblectationes philosophicae ex Physica et Mathefi.</i>	145
<i>Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii, Tomus XI. pro anno 1765.</i>	385
<i>Obereidii (Iac. Herm.) Universalis confortativa medendi methodus, Disquisitio nova.</i>	127
<i>Societatis Taurinensis Miscellanea Philosophico - Mathematica, Tomus I.</i>	319
<i>Tralles (Balth. Lud.) vera Patrem Patriae, annuente divina clementia, sanum et longaeuum praestandi methodus.</i>	229
<i>Transactiões Philosophicae, A. 1751. et 1752. iterum editae et illustratae.</i>	481
<i>Winckler (Io. Henr.) de vi luminis borealis in commovenda acu magnetica.</i>	24

IV. *Libri Mathematici.*

<i>Anonymi (Progr. de Transactionibus Philosophicis in Germania edendis.</i>	42
<i>Abat (Bonavent.) Oblectationes Mathematicae.</i>	145
<i>Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii, Tomus XI. pro anno 1765.</i>	385
<i>Battarrae (Io. Anton.) Experimenta super phaenomeno quodam hydrostatico.</i>	193
<i>Hell (Maximil.) de Satellite Veneris.</i>	49 - 126
<i>Mayeri (Christiani) Pantometrum Pacechianum, seu instrumentum novum pro elicienda ex una statione distantia loci inaccessa, a. 1762. inventum.</i>	382
<i>Societatis Taurinensis Miscellanea Philosophico - Mathematica, Tomus I.</i>	319
<i>Transactiões Philosophicae, Anglice editae in Germania et illustratae, Vol. 47.</i>	481

I N D E X

V. Libri Historici et Geographici.

Bandinii (Ang. Mor.) <i>Catalogus Codicum MS. Bibliothecae Mediceae Laurentianae.</i>	462
Calvi (Mich.) <i>Bibliotheca Arabico-Hispana Escurialensis, Temus Prior.</i>	199
Curtii (Mich. Conr.) <i>Commentarii de Senatu Romano, post tempora reipublicae liberae. Praefatus est C. A. Klotzius.</i>	254
Gerdesii <i>Specimen Italiae Reformatae, sive Observata quaedam ad historiam renati in Italia tempore Reformationis Evangelici.</i>	172
C. A. Klotzii <i>Historia numerum contumeliosorum et satyricorum.</i>	274
— — — <i>Historia numerum obsidionalium.</i>	325
— — — <i>Symbolae ad Historiam Artium et Numis.</i>	426
— — — <i>Acta Litteraria, Volumen I-IV.</i>	538
Krebsii (Io. Tobiae) <i>Decreta Romanorum pro Iudaeis facta, et Josepho collecta, et commentario historico-grammatico-critico illustrata.</i>	218
Leibnitii (Gosfr. Guilielmi) <i>Opera omnia, nunc primum collecta, in classes distributa, praefationibus et indicibus exornata, studio Ludovici Dutens, Tomi VI.</i>	433
d'Origny <i>Chronologia Regum Aegyptiorum, a conditore regni Aene usque ad Cambysen Aegypti victorem.</i>	158
Schelhornii (I. G.) <i>Annotatae Historiae Ecclesasticae et Litterariae. Volumen III.</i>	137

VI. Libri Philosophici, Philologici, Auctores Classici, Antiquarii, Miscellanei.


<i>Anonymi Litterae ad Io. Iac. Ruffalium, quibus errores reselluntur ab auctore in libro commisi, qui inscribitur Contractus Socialis.</i>	479
	<i>Anony-</i>

A U C T O R U M .

<i>Anonymi de Diario militari Programma.</i>	524
Belii (Car. Andr.) <i>de licentia poetica Commentatio.</i>	177
Bodeni (Benj. Gottlieb Laurent.) <i>Carmen in tristem obitum Iohannis Winkelmanni.</i>	515
Desbillons (Franc. Ios.) <i>Fabulae Aesopiae, curis posterioribus omnes fere emendatae. Accesserunt plus quam 170. novae, observationes grammaticae, et figurat.</i>	449
Heerkens (Cier.) <i>Anni Rustici Ianuarius.</i>	234
Healingeri (Iac. Frid.) <i>Emendationum Callimachiarum Peri- culum.</i>	360
Isocratis (Panegyricus. <i>Recensuit et animadversionibus illustra- vit Samuel Fridericus Nathanael Morus.</i>	416
Iusti (Petri Pauli) <i>Specimen observationum criticarum.</i>	1
C. A. Klotzii <i>Opuscula varii argumenti.</i>	502
Lamberti (I. H.) <i>de Topicis Schediasma.</i>	12
Leibnitii (G. G.) <i>Opera omnia. Cura L. Dutens, Voll. VI.</i>	433
M. Manilii <i>Astronomicum, ex recensione Rich. Bentley, cum selectis variorum et propriis notis, cura Eliae Stoeberi.</i>	6
Onofandri <i>Strategicus, ad Codd. MS. fidem expressus, cum notis perpetuis editus a Nic. Schwebelo.</i>	313
Porphyrii <i>Philosophi de Abstinentia ab esu animalium Libri IV. cum notis variorum, edidit Iacobus de Rhoer.</i>	289
Reiske (Io. Iac.) <i>Animadversionum in Graecos Auctores Vo- lumen V. quo Libanius, Artemidorus, et Callimachus per- tractantur.</i>	211
Sigorgne (Petri) <i>Institutiones Leibnitianae, seu Brevis Expo- sitiio Monadologiae.</i>	166
Stratonis aliorumque <i>Poetarum graecorum epigrammata, nunc primum a C. A. Klotzio edita.</i>	40
Flavii Vegetii Renati Comitis <i>de Re militari Libri V. cum fidei Stewechni et Scriverii notis, et versione Gallica; cu- ra Nic. Schwebeli.</i>	353
P. Virgilii Maronis <i>Opera, varietate lectionis et perpetua ad- notatione illustrata a Chr. Gottl. Heyne.</i>	554
D d d 3	Winkel-

I N D E X

Winckelmanni (Io.) de Allegoria Commentarius, imprimis quo-
ad illa artibus liberalibus prodest. 152



I N D E X
RERVM NOTABILIORUM.

A.	
de Abstinentia ab esu animalium	289
Acta Sanctorum Ecclesiae Romanae	337
Acta Litteraria a C. A. Klotz- zio scripta	538
de Aedilium Romanorum dignitate	258
de Aedium sacrarum instaurandarum officio	335
Aegyptiorum regum antiquorum historia et chronologia illustrata	158
de Aere Varsaviensi quaedam	232
Aesopiarum fabularum P. I. Desbillons exempla	449
Alciplionis locus emendatus	551
de Algorithmi novi in solvendo problemate Pelliano usu	387
de Allegoria, artibus serviente, praecepta	151 sq.
Allegoriae novae quomodo condendae sint?	156
de Allegoria, Winckelmanni liber diiudicatus	546
Amphiboliae quomodo nascantur?	22
Analyticae observationes	391
de S. Anatalone nonnulla	341
Animi commotiones morborum causae	128
Antiquario-critica Spicilegia	378
de Antlia pneumatica emendanda	486
Aqua ignis ope elevanda	484
de Aquae motu observationes et experimenta	198
Arabicae Linguae usus in interpretando V. T. a Leibnizio agnitus	447
Arabico-Hispanica Bibliotheca Escorialensis descripta	199
de Arabum versionibus librorum graecorum	208.
de Ari-	

RERUM NOTABILIORUM.

<i>de Aristotelis Topicis iudicium</i>	15	Bibliothecae Arabicae Escu-	199
<i>Ars Topica explicata</i>	13	rialensis descriptio	
<i>ad Artemidorum observationes</i>	211	— — — Mediceae Lauren-	462
<i>Artium liberalium usus ex Al-</i>	151	tianae Codicum MS. Cata-	
<i>legoria</i>		logus	34
<i>— — historia ex numis illu-</i>	426	<i>de Boreali lumine observatio-</i>	
<i>strata</i>		<i>nes</i>	C.
<i>Astronomicae observationes</i>	49 lq. 407 lq. 413 lq.	<i>de Cadavere post annos 80 in-</i>	
<i>de Attractione Newtoniana</i>	149	<i>tegro, et sine putredine re-</i>	
<i>quaedam</i>	255	<i>perto</i>	497
<i>de Augusti nomine</i>	405	<i>de Calcis vivae singulari pro-</i>	
<i>Avium Indicarum descriptio-</i>		<i>prietate</i>	498
<i>nes</i>		<i>Callimachiarum emendatio-</i>	
B.		<i>num Periculum</i>	360
<i>de Baptismi materia terrena</i>	334	<i>ad Callimachium observationes</i>	211
<i>Barometra quomodo corrigenda?</i>	321	<i>de S. Callistrato quaedam ob-</i>	
<i>de Barometrorum diversae</i>	320	<i>servata</i>	344
<i>diametri varia altitudine</i>		<i>de Cauero marino observatio-</i>	
<i>A. G. Baumgartenii de Topi-</i>	16	<i>nes</i>	493
<i>ca sententia</i>		<i>de Caroli M. in urbem Romanam</i>	
<i>Bellinianum problema</i>	320	<i>iuribus</i>	443
<i>de Bela IV. R. Hungariae</i>	570	<i>Domin. Casini Observationes</i>	
<i>quaedam</i>	228	<i>astronomicae expensae</i>	57
<i>Benedicti XIV. consilia quae-</i>		lq.	
<i>dam de Graecis</i>		<i>de Castrensibus numis</i>	325
<i>Ben Malek, Grammaticus</i>	204	<i>de Causis observationes</i>	24
<i>Arabs</i>		<i>de Cercopitheco teneriori</i>	
<i>de Bernardino Feltrienf. San-</i>	353	<i>de b. Maria de Cervello</i>	493
<i>cto Ecclesiae Romanae</i>			343
		<i>Chaldaicum Lexicon Biblicum</i>	
			374
		<i>de S.</i>	

I N D E X

<p><i>de S. Charitonis vita quaedam</i> 349</p> <p><i>de Chinae Chinae usu quaedam</i> 498</p> <p><i>de Christinae Reginae numis</i> 429</p> <p>I. F. Christius <i>defensus</i> 551</p> <p>Chronologicae <i>observationes plurimae</i> 158 sq.</p> <p><i>de Chrylostomi oratione quaedam</i> 468</p> <p>Ciceronis <i>locus illustratus</i> 4</p> <p>— — — <i>Topica diiudicata</i> 18</p> <p><i>de Cinnamomi arbore</i> 495</p> <p><i>de S. Cleopha quaedam</i> 340</p> <p><i>super Clericis secularibus et regularibus animadversiones</i> 241</p> <p>Codicum <i>MS. Bibliothecae Mediceae Catalogus</i> 462</p> <p><i>de Coeli per segmenta sphaerica diaphana spectati phaenomenis</i> 395</p> <p><i>de Conciliis quaedam</i> 246</p> <p>Confortativa <i>medendi methodus universalis</i> 127</p> <p><i>de Conservatoribus urbis Romae</i> 273</p> <p><i>de Consulibus et Consulatu varii</i> 238</p> <p>Contumeliosorum <i>numorum descriptio</i> 274</p> <p><i>de Corallii quaedam</i> 494</p> <p><i>de Corporis ad duo centra</i></p>	<p><i>virium fixa attracti motu</i> 393</p> <p>Corpus <i>Iuris Civilis cum notis variorum</i> 169</p> <p><i>de S. Cosima observata</i> 347</p> <p>Criticae <i>observationes in Callimachum</i> 360</p> <p>Cumbae <i>regni descriptio</i> 242</p> <p><i>de Cupreo fonte</i> 492</p> <p><i>de S. Cypriano martyre quaedam</i> 345 sq.</p> <p style="text-align: center;">D.</p> <p>Dacierii <i>iudicia quaedam notata</i> 181</p> <p>Dactylothecae <i>Lippertianae commendatio</i> 545</p> <p>in Dalmatia <i>Ecclesiae Graecae status</i> 224</p> <p><i>de S. Damiano observationes quaedam</i> 347</p> <p>Demosthenis <i>nova editio a Reiskio promissa</i> 217</p> <p><i>ad Demosthenis loca observationis</i> 216</p> <p><i>de Dentibus rotarum</i> 395</p> <p><i>de Deorum allegoriis</i> 154</p> <p>F. I. Desbilloni <i>Fabulae Aesopicae laudatae</i> 449</p> <p>— — — <i>Fabula quaedam notata</i> 460</p> <p>Deuteronomii <i>particula graece edita ex MS. Biblioth. Paull. Lipsf.</i> 370</p> <p style="text-align: right;">Diac.</p>
---	--

RERUM NOTABILIORUM.

<i>Diaetetica praecepta Principum sanitati accommodata</i>	229	<i>de Episcopo Graecorum in ditione Veneta</i>	284
<i>Diarium militare promissum</i>	524	<i>de S. Eustochio, Hieronymi amica</i>	350
<i>de Didymo Alexandrino caeco, eiusque libris de Trinitate</i>	248	<i>Exarchatus quomodo Rom. Pontif. a Pipino traditus fuerit?</i>	265
<i>de Divortio quaedam</i>	335	<i>Exodi particula graece edita a Fischer</i>	369
<i>Ducens, operum Leibnitii editor, laudatus</i>	434	<i>Experimenta super phaenomeno quodam hydrostatico</i>	193
<i>de Dynastiis Aegyptiacis quaedam</i>	160		
E.		F.	
<i>super Ecclesia animadversiones</i>	241	<i>Fabulae Aesopicae F. I. Desbillons et aliorum</i>	449
<i>de Ecclesiastico iure Protestantium quaedam</i>	331	<i>de Faccae Episcopi Graeci electione</i>	287
<i>Eclipsis Solis observata a. 1704. Lipsiae</i>	413	<i>de Faulinae numo quodam</i>	277
<i>in Eclogis Virgilii pastoremores</i>	514	<i>de S. Faust</i>	350
<i>de Electricitate aerea</i>	489	<i>de S. Firmino martyre quaedam</i>	341
<i>de Electrica materia observationes</i>	37	<i>Flamma in clauso aere cur extinguatur?</i>	322
<i>de Electricitatis et Magnetismi analogia</i>	323	<i>de Fluidorum motu a diverso caloris gradu oriundo</i>	397
<i>de Elemento aereo quaedam</i>	130	<i>de Florum sexu observationes quaedam</i>	495
<i>Epigrammata graeca edita</i>	40	<i>Focorum determinandorum methodus generalis</i>	147
<i>Epistolae plurimae Leibnitii editae</i>	436	<i>de Frigore artificiali admirando</i>	399
<i>super Episcopis animadversiones</i>	241	<i>Fuci foliacei novi descriptio</i>	405
		<i>Eccc</i>	de 111

I N D E X

<i>de Fulminis causis et effectibus quaedam</i>	488	H. Grotius <i>defensus adversus Ruffavium</i>	477
<i>de Functionum discontinuarum in analysi usū</i>	385	H.	
G.		<i>de Io. Harduino iudicium Leibnitii</i>	427
<i>de Gallieni numo quodam</i>	277	<i>Hebraicae voces et phrasae illustratae</i>	309 sq. 377. 534 sq.
<i>Gallus et Vultur in fabulis</i>	457	<i>Hebraicum Lexicon Biblicum Maxim. Hellii Observationes astronomicae, imprimis in Satellitem Veneris explorandam instituta</i>	68
<i>Cicillii locus illustratus</i>	5	<i>de Herculanei urbis ruinis</i>	502
<i>de Gemmis scriptores Arabici</i>	209	<i>Hermaphroditus Londini visus</i>	496
<i>Geometricorum quorundam problematum solutio</i>	390	<i>Herniarum duo genera admodum rara</i>	501
<i>in Georgica Virgilii observationes</i>	557	<i>C. G. Heynii in Virgilium merita</i>	555
<i>de Germanicae linguae cultu</i>	448	<i>de S. Hiltrude virgine</i>	348
<i>Graecae ecclesiae acta quaedam a. 1762. et 1763.</i>	283	<i>Hexaplorum Origenis editio</i>	529
<i>de Graecae ecclesiae in ditone Veneta statu praesenti</i>	224	<i>Hispanicae Ecclesiae canones collecti</i>	210
<i>Graecae voces et phrasae illustratae</i>	154. 211 sq. 220 sq. 249. 252 sq. 293 sq. 315 sq. 360. 419 sq. 534 sq.	<i>ex Historia Ecclesiastica et Literaria observationes</i>	137
<i>de Graecorum numis quaedam</i>	431	<i>Horatii locus emendatus</i>	9
<i>ad Graecos auctores observationes</i>	211	— — — <i>illustratus</i>	179
<i>de Grammaticis Arabibus observata</i>	204	— — — <i>felix audacia diligentius explanata</i>	508
<i>Gratiani locus restitutus</i>	2	— — — <i>loca plura explicata</i>	509 sq.
<i>de Gregorio Bar - Hebraeo quaedam</i>	299		Ilut-

RERUM NOTABILIORUM

Hungariae Regum ius Patro-	<i>pro Iudaeis facta decreta Ro-</i>
natus assertum 562	<i>manorum, e Iosepho collecta</i>
Hyclos, reges Phoenicii 160	218
de Hydrargyro congelato 399	<i>de Iure Romano observata</i>
de Hydrostatico quodam pha-	<i>quaedam</i> 443
enomino 378	<i>Iuris Romani loca varia expli-</i>
de Hydrophobiae quodam casu	<i>cata et emendata</i> 1 sq.
500	— — <i>Civilis Corpus cum</i>
de Hyofoyami albi effectibus	<i>notis variorum</i> 167
497	<i>Iuris civilis probabilitum liber</i>
I.	472
Ianuarium carmine descriptus	— — <i>Patronatus Regum</i>
234	<i>Hungariae assertio</i> 562
de Ideis affinitibus quaedam 23	<i>Iustiniani epistola quaedam</i>
de Iliaca passione nonnulla 498	<i>edita</i> 471
Imaginum ab obiectis in specu-	<i>Iuris civilis librorum veterum</i>
lis ac lentibus sphaericis ex-	<i>palingenesia</i> 281
pressarum praecipua pha-	— <i>Canonici in Ecclesia Ev-</i>
enomina 148	<i>angelica usus</i> 331
de Imperatorum iuribus et po-	
testate 255	K.
Infantis duplicati descriptio	<i>Io. Tob. Krebsius laudatus</i>
496	— — — — <i>notatus</i>
Insectorum Indicorum descri-	220 sqq.
ptiones 405	L.
Ioannichii Patriarchae Con-	<i>Laberii locus illustratus</i> 3
stantinop. acta 286	<i>de Lacrumalibus ampullis</i>
Iosephus illustratus a Krebsio	<i>quaedam</i> 548
219	<i> Latinae voces et phrasae expli-</i>
de Iride inversa, dupliciter in	<i>catae</i> 8 sq. 355 sq. 561
gramine visa 488	<i>Latinorum adversus Ciracos</i>
Isoeratis Panegyricus, editus	<i>in Dalmatia machinationes</i>
et illustratus a Moro 416	226
Italiae reformatae specimen	<i>G. G. Leibnitii Operum omni-</i>
172	<i>um collectio</i> 433
	<i>E e e e 2 Leib-</i>

I N D E X

Leibnitii <i>Institutiones</i>	166	Magneticæ acus commotio ex lumine boreali orta	34.
Leviticus græce editus a Fichero ex MS. Biblioth. Paullinae	369		491
Lexicon Hebr. Chald. Latino-Biblicum	374	de Magnetismi et Electricitatis analogia	323
ad Libanium observationes Raskii	211 sq.	de Maleficis et Manichæis Constituto illustrata	381
de Libris rarioribus observationes	138	ad Manethonem observata	161 sq. 154
de Libertate artibus necesse	547	Manilii locus ab emendatione defectus	6
de Licentia poetica	177	— — Astronomicum cum notis variorum et suis editum a Stoebro	6
Licentiae varia genera	178	— — loca plurima illustrata	8 sq.
de S. Lioba seu Leobgytha, Germaniæ Apostola, quædam	351	de Io. Marco nonnulla	346
Lippertianæ dactylothecæ commendatio	545	de Martiali iterum edendo	547
de I. Lipsii latinitate observationes	503	Mathematica miscellanea	319
de Lucullo observata quædam	153	Mathematica inventa Leibnitii	439
de Luminis Borealis vi incommovenda acu magnetica	34	de Matrimonio observatio	334
Lunæ motus irregularitatis quomodo explicandæ?	485	Medendi methodus confortativa universalis	127
Lunularum trium ex intersektione circularum ortarum demonstratio	146	Medicæ Bibliothecæ Codd. MS.	462
		de Mercurio congelato Brauner experimenta	359. 401
		Meteorologicæ observationes	487
M.		de re Militari Romanorum	353
de Magistris militum et officiorum	263	Militaris diarum edendi adumbratio	124
Magnetis artificialis parandi methodus	491	de Miltono iudicium	185
		de Mi-	

RERUM NOTABILIORUM.

<i>de Minucii Felicis vera aetate, dignitate, et patria</i>	378	<i>Numorum contumeliosorum et satyricorum descriptio</i>	274
<i>de Minutiarum studio contra Grammaticos quosdam</i>	§ 12	— — — obsidionalium historia	325
<i>de Monachis, et damnis quas ab ipsis proficiuntur</i>	243	<i>Numus confessionarius defensus</i>	334
<i>Monadologiae brevis expositio</i>	166	O.	
<i>Mon signii observationes Satellitis Veneris expensae</i>	61 sq.	<i>Observationum Juris Civilis index</i>	169
<i>de Morbis observationes</i>	132	<i>Obsidionalium numerorum historia</i>	325
<i>Morborum classis tres</i>	134	<i>de Bernh. Oehlino quaedam</i>	138
<i>de Mortuorum indicibus utendis</i>	502	<i>de Odoribus experimenta</i>	490
<i>de Moschifero animali quaedam</i>	493	<i>in Oeconomia poematum licentia</i>	186
<i>de Mosis textu triplici</i>	158 sq.	<i>Omnipraesentiae Dei notio</i>	168
<i>de Motu fluminum</i>	397	<i>de Onokolite deo</i>	381
<i>de Musculorum motus voluntarii causis</i>	497	<i>Onofandri Strategici a Schwabellio editus cum notis pertuis</i>	313
<i>de Mythologiae usu in poesi</i>	189	<i>Opticae et catadioptricae observationes</i>	72 sq.
N.		— — — observationes novae	147 sq.
<i>de Nano quodam homine</i>	496	<i>de Oratoribus Arabicis quaedam</i>	205
<i>Naturalis historiae scriptores Arabici</i>	209	<i>Origenis Hexapla iterum edita</i>	529
<i>Nich. Neandri elogium</i>	139	<i>Orosii locus correctus</i>	3
<i>de Nemoribus in telluris aedibus Romanorum</i>	510	<i>de Ottonis M. diplomate quodam</i>	267
<i>S. Nilus descriptus, eiusque responsa quaedam</i>	345	<i>de Ovo</i>	
<i>Numeri graece editi ex MS. Codic. a Byschero</i>	270		
<i>ex Numis artium historia illustrata</i>	426		

I N D E X

<i>de Ovorum elixatorum cicatricula</i>	320	Plinii <i>Hist. Nat. locus illustratus</i>	150
P.		Plinii <i>Epistolarum locus illustratus</i>	380
<i>Raphael. Pacecho ab Vcedos Pantometrum</i>	382	— — <i>Hist. Nat. Editori quid agendum sit?</i>	541
<i>de Facto sociali quaedam</i>	478	<i>de Pluviae quantitate, quae Lugduni Batavorum a. 1771. cecidit</i>	487
<i>Palingenesia librorum iuris veterum</i>	281	<i>de Poetica sicientia observationes</i>	177
<i>Pandectarum loca integra collecta</i>	281	<i>de Poetis Arabicis quaedam</i>	206
<i>Panegyricus Isocratis editus et illustratus</i>	416	<i>de Poloniae Rege hodierno quaedam</i>	230
<i>Pantometrum Pacechianum descriptum</i>	382	<i>de Polybio iudicium Reiskii iniquius</i>	217
<i>de Parallaxi Solis quaedam</i>	409	<i>Polyspasti emendatio</i>	485
<i>Pastoralis prudentiae institutiones</i>	329	<i>de Pontificatu Maximo apud Romanos</i>	256
<i>de Pastoribus regibus Aegyptiacis</i>	161	<i>de Pontificibus Romanis observationes</i>	241
<i>de Patrum Graecorum Codd. quibusdam</i>	467	<i>de Popolari discendi genere</i>	507
<i>de Patriciorum dignitate</i>	263	<i>Porphyrii de abstinentia ab esu animalium liber, cum multorum notis, iterum editus</i>	289
<i>de Patronatus iure quaedam</i>	332	<i>de Praefectura urbis Romanae</i>	260
— — <i>iure Regum Hungariae</i>	562	<i>de Praefectis Praetorio observationes</i>	262
<i>Pelliani problematis solutio</i>	387		Prin-
<i>Petropolitanae Academiae Commentarii</i>	385		
<i>Philosophica miscellanea</i>	319		

RERUM NOTABILIORUM

Principis sanitatem perpetuo tuendi methodus	229	I. I. Ruffavius confutatus	475
de Principum iuribus ecclesiasticis observata	241	Rustici anni Ion. carmine positus	234
Probabilium iuris civilis liber singularis	472	S.	
de Proconsulibus quaedam	259	de Elzeario de Sabrano quaedam	348
de Prudentia pastoralis observationes	329	de Sacrorum apud Romanos libertate	380
Pfalterium Syriacum iterum editum	297	de S. Salomone Rege Hungariae Eremita	352
R.		de Salviano eiusque libris quaedam	247
Reformatae Italiae specimen	172 sq.	Sanctorum Ecclesiae Rom. acta longe plurima, vera, dubia, falsa	337
Roma sub Patriciis	265	Sanitas principis quomodo conservanda?	229
de Romano Senatu post tempora reipublicae liberae	254	Satellitem Veneris illusionem esse demonstratur	49 sq.
de Romae expugnatione a. 1527. quaedam	175	de Saturnalibus numis quaedam	276
Romanorum decreta pro Iudaeis facta, e Iosepho collecta et illustrata a Krebsio	218	Satyricorum numerorum descriptio	274
in Romanorum testis nemora	510	de Scarabaeis Americanis	405
apud Romanos sacrorum libertas	380	de Schismate recentissimo in Ecclesia Graeca	283
de Rotarum dentibus	396	de Scholis Saxonis quaedam	336
		Schwe	

I N D E X

Schwebelius <i>laudatus</i>	354	<i>Pfalm CXXXVII, 5.</i>	310
— — — <i>notatus</i>	358	<i>CXLV.</i>	307
Scientiarum <i>mappa topogra-</i>		<i>Astor. XII. XV.</i>	346
<i>phica descripta</i>	14	<i>XVI, 19. 20.</i>	223
Scripturae S. <i>loca explicata et</i>		S. Senator, Sanctus <i>ambiguus</i>	
<i>illustrata:</i>			345
<i>Genes. I, 1.</i>	298	<i>de Senatu Romano post tem-</i>	
<i>XXVII, 1.</i>	534	<i>ra reipublicae liberae</i>	254
<i>XLIX, 10.</i>	222	<i>de Serapidis cultu temere Chri-</i>	
<i>Exod. XXXV, 21.</i>	534	<i>stianis obiecto</i>	381
<i>Levit. XVIII, 17.</i>	535	<i>de Sesostridis epocha quaedam</i>	
<i>XIX, 18.</i>	373		161
<i>Num. XVI, 5.</i>	373	<i>Shorti observationes astronomi-</i>	
<i>XXI, 19.</i>	373	<i>cae diiudicatae</i>	59 sq.
<i>XXXIII, 38.</i>	373	<i>de Sinensium philosophia quae-</i>	
— — — 44.	536	<i>dam</i>	441
<i>Deuter. XXII, 9.</i>	536	<i>de Sleidani historia observatio-</i>	
<i>Iosuae I, 15.</i>	537	<i>nes</i>	139
<i>1 Sam. XXIII, 13.</i>	537	<i>de Smaragdo, quo gladiatorum</i>	
<i>Pfalm II, 9.</i>	306	<i>pugnas Imp. Nero spectavit</i>	150
<i>IV, 7.</i>	306	<i>de Soni natura et propagatio-</i>	
<i>VII, 7.</i>	306	<i>ne</i>	323
<i>XVIII, 46.</i>	307	<i>Socialis Contractus Ruffavii</i>	
<i>XXII, 30.</i>	310	<i>confutatus</i>	475
<i>XXVIII, 19.</i>	307	<i>de S. Solenne quaedam</i>	343
<i>XLIX, 9.</i>	307	<i>Solis parallaxis ex observatio-</i>	
<i>LXXXIX, 48.</i>	307	<i>ne transitus Veneris per</i>	
<i>XCI, 4.</i>	310	<i>discum Solis investigata</i>	409
<i>CIV, 11.</i>	309	<i>Melch. Specceri epistola ad</i>	
		<i>Sturmium</i>	141
		<i>de Spe-</i>	

RERUM NOTABILIORUM

<i>de Spectro quodam astronomico</i>	49 sq.	Theodicaea Leibnitii quomodo orta sit?	447
<i>de Speculo in Pharo turri</i>	149	<i>de Theodorae dominio Romae</i>	266
Stoeberi in Manilio edendo diligentia	7	Theodoreti Codex Miscuus	459
— — ratio in eodem loco servata notata	11	<i>de Thermometrorum ascensu ac descensu quaedam</i>	321
Strabegicus Onofandri iterum editus	313	Thermometricae tabulae et observationes a. 1748.	487.
Stratonis aliorumque poetarum graecorum epigrammata edita a Klotzio	40	Topicae artis definitio, usus, etc.	18 sq.
<i>de Franc. Suarez quaedam</i>	340	<i>de Topicis disputatio Lamberti</i>	12
<i>de Sylvestro II. Pontifice R. quaedam</i>	566	Transactionum Philosophicarum nova editio, accessionibus locupletata	42. 481 seq.
Syriacae voces illustratae	309 seq.	<i>de Trigonometria sphaerica ad planum reducia</i>	484
<i>de Syriacae Versionis N. Test. aetate</i>	298	<i>de Trinitate Libri tres, nuper detecti, Didymo Alexandrino auctori</i>	248
Syriacum Psalterium iterum editum	297	Triangulorum, quorum anguli certam inter se rationem tenent, proprietates	388
T.		<i>de Tubis Gregorianis aut dioptricis quaedam</i>	89 sq.
Tabulae Topicae descriptio et usus	24 sq.	V.	
Taciti locus ab emendatione defensus	5	<i>de Variolarum infectione quaedam</i>	499
<i>de Terministica, sive iudicium Leibnitii</i>	445	Ffff	<i>de Var-</i>

